COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XV.

PATRES TERTII ET QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,

APUD **RUSAND**, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **GAUME** FRATRES, BIBLIOPOLAS;

ROMÆ,

APUD **MERLE**, BIBLIOPOLAM.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO DECOURCHANT,
VIA VULGO DICTA D'ERFURTH, N° I.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

TOMUS DECIMUS QUINTUS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DES SAINTS-PÈRES.

BRUXELLIS, APUD EUMDEM.

PARISIIS, APUD A. POILLEUX, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA DU CIMETIÈRE-S.-ANDRÉ-DES-ARCS.

M. DCCC. XXIX.

S. DIONYSIUS ALEXANDRINUS,

EPISCOPUS ET CONFESSOR.

EPISTOLÆ.

S. DIONYSIUS ALEXANDRINUS,

EPISCOPUS ET CONFESSOR.

GRÆCUS.

(ANNO 264.)

Sanctus Dionysius Alexandrinus, qui a B. Athanasio *Catholicæ Ecclesiæ magister* vocatus est (Epist. de sent. Dionys.), a S. autem Basilio *Magni* nomine decoratus (Epist. I canon. ad Amphiloch.) nobili prosapia oriundus, dignitates simul ac divitias omnesque profanarum laudum susurros cum paganis erroribus pro Christo despiciendos abjecit. Origenis discipulus, ejus in Alexandrina schola anno 231, jam sacerdos, vices suscepit. Non ita vero catechizandis aliis incumbebat, ut ipse a lectione abstineret librorum etiam hæreticorum, quos ex Dei revelatione legere solebat, quo facilius illorum erroribus posset obsistere.

« Cum Heraclas post sexdecim episcopatus annos » diem extremum obiisset, pontificatum Alexandrinæ » ecclesiæ suscepit Dionysius. » (Euseb. Hist. Eccl. VI, 35.) Agebatur annus Christi 248, multa Ecclesiæ pace, regnante Philippo, quoadusque susceptis a Decio rebus, exardescere cœpit persecutio. Sabinus, Ægypti præfectus, misit qui Dionysium episcopum catenis vinctum adduceret; sed per quatuor dies quæsitus, et non inventus, quanquam media in domo palam permaneret, Dei providentia cum famulis multisque fratribus, ut narratum in ejus Epistòlis videbimus,

periculum evasit, et in locis desertis cum sociis Petro et Caïo usque ad persecutionis finem delituit. Hinc Ecclesiæ semper curam gerere, epistolas scribere, et sacerdotes qui fideles confortarent dirigere, non destitit.

Recrudescente an. 257 persecutione, post susceptum a Valeriano imperium, coram Æmiliano, Ægypti præfecto, Christi partes viriliter defendit, et propter generosam confessionem *Cephro* primum *abire jussus est*, deinde *ad Colluthionis regionem migrare* (Euseb. Hist. Eccl. VII, 11), ubi Christum prædicare perseveravit.

Cum autem anno 263 persecutionem hæresis Sabellii suscepisset, « quidam ex Ecclesia fratres, sanæ » quidem doctrinæ homines, Romam se contulere, » illumque apud cognominem Dionysium Romanum » episcopum accusarunt. Quibus ille auditis una scri- » psit et contra Sabellii sectatores, et contra eos qui » ejus essent sententiæ... æqualem aiens, licet ex » diametro oppositam Sabellii impietatem eorum » blasphemiæ qui dicunt Verbum Dei creaturam, » opificium et rem factam esse. Misit quoque ad Dio- » nysium litteras, ut indicaret qua de re accusatus » ab illis fuisset. Ille vero quamprimum sui purgandi » causa libros edidit, quos inscripsit : *Elenchus* et » *Apologia.* » (S. Athan. Epist. de Dionys. sent.)

Interea Paulus Samosatenus, anno 260 ad Antiochensem episcopatum provectus, unam in Trinitate personam delirabat; cui etiam pacificas scripsit litteras, ut eum ab errore retraheret; quod cum grassanti veneno non satis obsisteret, episcopisque concilium contrahere placuisset, deficientibus corporis, sed integris adhuc animi viribus, per epistolas catholicum ad illos testimonium mittere curavit;

sicque Christi miles, usque ad finem pro Christo bellum gerens, stante adhuc concilio defunctus est, anno episcopatus 17, imperii Gallieni 12, Christi autem 264.

Ex omnibus quæ scripserat sive libris, sive epistolis, pauca tantum supersunt fragmenta, ab Eusebio sanctisque Athanasio et Basilio servata, in quibus ingenii simul splendor et doctrinæ altitudo refulget : modestus, cum suam profert sententiam; pacificus, cum Ecclesiæ unitatem promovere contendit; fortis et ardens, cum fidei jura propugnat; *vir eloquentissimus, elegantis libri scriptor* ab Hieronymo (prolog. in lib. XVIII in Isaïam), a Rufino *Ecclesiasticæ fidei eruditissimus assertor* (de Adulter. libr. Origen.), a Theodoreto autem *vir doctrina insignis* (Hæret. fab. II, 8) audire meruit.

Nulla extat operum S. Dionysii Alexandrini omnia complectens editio, sed alia reperiuntur in Eusebii Historia ecclesiastica, alia in sanctorum Athanasii et Basilii operibus, alia denique in Labbæi Collectione Conciliorum : ex quibus sequentia decerpta sunt.

Plura habentur gallica tum apud Fleury, Hist. Eccl. tom. II; tum apud D. Cellier, Hist. scriptorum Ecclesiast., tom. III, IX; tum apud D. Guillon, Bibl. Sanctorum Patrum, tom. I, p. 188 et seqq. in-8°, Parisiis, 1824.

S. DIONYSII ALEXANDRINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS,

EPISTOLÆ[1].

EPISTOLA I.

De persecutione Decii[2].

Ego[3] vero coram Deo loquor, et ipse scit me nequaquam mentiri : nunquam mea sponte, nec sine Dei nutu fugam inii. Sed et prius, cum persecutionis edictum sub Decio propositum fuisset, Sabinus Frumentarium qui me requireret, eodem temporis momento misit. Atque ego quidem quatriduo domi mansi, adventum expectans Frumentarii. Ille vero omnia circumeundo perscrutabatur : vias, fluvios, agros : ubi me occultari aut qua transiturum esse suspicabatur. Verum caligo quædam ei obtutum ademerat, ne domum reperiret. Neque enim opinabatur me domi consistere grassante adversus me persecutione. Vixque post diem quartum, cum Deus mihi ut alio migrarem præcepisset, ac præter opinionem omnium viam aperuisset : ego et famuli, multique ex fratribus simul egressi sumus. Atque id divinæ providentiæ opus fuisse rerum eventus postea declaravit. Siquidem nonnullis fortasse haudquaquam inutiles fuimus.

Deinde paucis interpositis, ea quæ ipsi post fugam contigerunt subjungit his verbis.

Ego quidem circa solis occasum una cum comitibus

[1] Vide D. Guillon, tom. I, p. 188 et seqq.
[2] Euseb. Hist. Eccl. lib. VI, cap. XL.
[3] Vide D. Guillon, tom. I, p. 191 et seq.

meis a militibus comprehensus, Taposirim perductus sum. Timotheus vero, Deo ita disponente, tum quidem non adfuit, nec comprehensus est. Sed cum postea advenisset, domum vacuam reperit, et satellites qui eam custodiebant; nos vero in servitutem abductos.

Et aliquanto post :

Quisnam vero divinæ illius dispositionis ordo ac modus fuit? Dicam enim quæ vera sunt. Aufugienti et perturbato Timotheo agrestis quidam occurrens, causam festinationis percontatur. Ille rem ut erat exposuit. Rusticus re audita (pergebat tunc forte ad nuptiale convivium : solent enim in hujusmodi conviviis totam noctem pervigilare), ingressus rem discumbentibus narrat. Qui confestim quasi signo dato, omnes uno impetu consurrexerunt ; et concito cursu in nos irruentes, clamorem ediderunt. Continuo satellitibus qui nos custodiebant in fugam versis, supervenientes, nos, ut eramus, nudis in grabatis jacentes deprehenderunt. Ac primo quidem aspectu, Deum testor, latrones esse existimans qui spoliandi ac diripiendi causa venissent, manens in lectulo meo nudus, sola opertus linea tunica, reliquam vestem quæ juxta me posita erat eis porrexi. At illi consurgere me et quam celerrime proficisci jusserunt. Tunc demum intelligens cujus rei gratia venissent, vociferari cœpi, rogans atque obtestans ut abirent, nosque illic dimitterent. Quod si de nobis bene mereri vellent, orabam ut eos qui me abducebant satellites prævenirent, ipsique caput mihi demerent. Hæc me vociferantem, ut norunt ii qui mihi consortes et participes ærumnarum omnium fuere, invitum surgere coëgerunt. Ac me quidem ipse humi supinum abjeci. Illi vero pedibus manibusque comprehendentes me trahere atque educere cœperunt. Sequebantur me Caïus et Faustus, Petrus ac Paulus : qui horum omnium testes fuere.

Qui me suscipientes, ex oppidulo exportarunt, ac deinde nudo impositum asino abduxerunt.

EPISTOLA II.

AD NOVATIANUM. ANNO 251.

De schismate [1].

Dionysius Novato[2] fratri salutem[3]. Si quidem invitus, ut asseris, eo adductus es, id nobis ostendes tua sponte redeundo. Satius quidem fuerat quidvis pati, ne Ecclesia Dei discinderetur. Nec minus gloriosum fuisset idcirco subire martyrium ne Ecclesiam scinderes, quam ut ne idolis sacrificares. Imo illud meo quidem judicio illustrius fuisset. Hic enim pro sua unius anima : illic pro omni Ecclesia martyrium quis sustinet. Si tamen vel nunc persuaseris fratribus, aut eos coëgeris ut ad concordiam redeant, majus tibi meritum erit quam culpa. Et hæc quidem non imputabitur : illud vero prædicabitur. Quod si fratribus parere recusantibus id efficere non potes, tuam ipse animam serva. Opto te paci studentem in Domino bene valere.

EPISTOLA III.

AD FABIUM, EPISCOPUM ANTIOCHIÆ. AN. 251.

De persecutione Decii [4].

Nequaquam ex imperatoris edicto[5] persecutio cœpta est,

[1] Euseb. Hist. Eccl. lib. VI, cap. XLV.
[2] Hic erravit Eusebius, Novatum pro Novatiano ponens. Certum est enim hanc epistolam ad Novatianum fuisse directam.
[3] Vide D. Guillon, tom. I, p. 200 et seq.
[4] Euseb. Hist. Eccl. lib. VI, cap. XLI, XLII.
[5] Vide D. Guillon, tom. I, p. 191 et seq.

quippe quæ integro anno anteverterat. Etenim infaustus quidam vates ac poeta quisquis ille fuit, commoverat jam antea atque incitavearat adversus nos gentilium turbas, ad innatam genti superstitionem animos eorum incendens. Ab hoc igitur homine stimulati, omnemque ad patranda scelera licentiam nacti, hanc solam pietatem cultumque dæmonum suorum existimabant, si cædibus adversus nostros sævirent. Primum itaque senem quemdam Metram nomine, correptum impia verba proferre jubent. Quod cum ille abnueret, fustibus hominem verberantes, et acutis arundinibus vultum ejus oculosque pungentes, deductum in suburbium lapidibus obruerunt. Post hæc fidelem quamdam mulierem Quintam nomine, ad idoli templum perductam, adorare illud coëgerunt. Quod cum illa aversaretur atque execraretur, constrictis pedibus eam per totius civitatis vicos aspero silice constratos rapientes, saxis illisam molaribus, flagris insuper verberantes, ad suburbium itidem abducunt, ibique lapidibus interficiunt. Omnes deinde uno impetu in domos Christianorum irruere cœperunt : et quos quisque sibi vicinos noverat, eos illico properantes agebant, spoliabant àc diripiebant : ea quidem quæ maxime pretiosa essent in sinum suum congerentes : viliora autem et lignea quæquæ disjiciebant, ac per vias concremabant; captæ ab hostibus urbis speciem atque imaginem exhibentes. Fratres vero declinabant et subducebant se fuga; ac direptionem bonorum suorum, perinde ac illi de quibus Paulus testificatus est, cum gaudio exceperunt. Nec eorum quisquam, quod equidem sciam, nisi fortasse unus aliquis in illorum manus incidens, hactenus quidem Deum negavit. Sed et admirandam illam provectæ jam ætatis virginem Apolloniam tunc comprehenderunt, et maxillas quidem ejus verberantes, cunctos ei dentes excusserunt. Accenso autem extra urbem rogo, minabantur vivam se illam combusturos, nisi una

cum ipsis impia verba pronuntiaret. At illa veniam deprecari paulisper visa, atque interim dimissa, celeriter in ignem insiliit et conflagravit. Præterea Serapionem quemdam cum in ædibus suis deprehendissent, acerbissimis tormentis excruciarunt, et membris omnibus confractum ex cœnaculo precipitem dejecerunt. Porro nusquam : non per viam publicam, non per angiportus incedere, aut noctu aut interdiu nobis licebat, cum omnes ubique et assidue clamitarent : quicumque impia illa verba proferre abnuisset, eum illico trahendum esse, et flammis ultricibus absumendum. Et hæc quidem diutissime viguerunt ad hunc modum. Secuta deinde seditio et bellum civile miseros excipiens, crudelitatem qua in notros grassati fuerant, in ipsos mutuo convertit. Ac nos quidem paululum respiravimus, dum illorum cessaret furor. Sed continuo imperii illius erga nos benignissimi mutatio nobis nuntiata est, et gravissimus nobis minarum terror intentabatur. Jamque aderat edictum Imperatoris, illud ipsum fere quod a Domino nostro prædictum est, horrificum ac terribile exhibens, adeo ut ipsi etiam electi, si fieri posset, scandalum paterentur. Omnes certe mirum in modum exterriti sunt. Ac multi quidem ex illustrioribus, præ metu statim occurrerunt. Alii qui rem publicam administrabant, ipsa actuum suorum necessitate pertracti veniebant. Alii a notis et familiaribus adducebantur; et nominatim citati, ad impura et profana sacrificia accedebant : nonnulli quidem pallidi ac tremebundi, quasi non sacrificaturi, sed ipsi potius victimarum loco idolis immolandi essent. Adeo ut a circumstante multitudine deriderentur : quippe qui palam omnibus ostenderent se tum ad moriendum, tum ad sacrificandum pusillo animo esse. Alii vero promptius ad aras accurrebant, audacter affirmantes nunquam se antea Christianos fuisse. De quibus verissime prædixit olim Dominus, ejusmodi homines ægre salutem

consecuturos. Cæteri autem partim alterutros eorum quos diximus sequebantur; partim se in fugam dabant; partim comprehendebantur. Ex quibus nonnulli cum usque ad vincula et custodiam progressi essent; quidam etiam plusculos dies in carcere perstitissent, prius tamen quam in judicium inducerentur, fidem ejurarunt. Nonnulli vero cum aliquandiu tormenta fortiter sustinuissent, ad reliqua quæ intentabantur supplicia animos desponderunt. Verum beati illi ac stabiles columnæ Domini, ab ipso confirmati, et fidei suæ robori congruentem et ex æquo respondentem vim atque constantiam nacti, admirabiles regni illius testes effecti sunt. Quorum Julianus, vir podagræ doloribus constrictus, qui nec stare poterat neque incedere, una cum duobus aliis qui ipsum portabant, adductus est. Horum alter statim negavit. Alter nomine Cronion, qui Eunus cognominabatur, necnon et senex ipse Julianus, cum Christum confessi essent, per universam urbem, quæ quidem, ut nostis, maxima est, camelis insidentes, flagris sublimes verberati, tandem ardentissimo igne circumfusa totius populi multitudine consumpti sunt. Miles vero qui ipsis, dum ad supplicium ducerentur, adstabat, et contumeliam inferentes propulerat, Besas nomine, conclamante adversus eum populo in jus adductus est. Ubi fortissimus Dei pugnator, cum in magno illo pro pietate certamine strenue se gessisset, securi percussus est. Alius item oriundus ex Libya, et vocabulo et divina benedictione vere Macar, cum a judice omnibus modis sollicitatus ut Christum negaret, flecti nunquam potuisset, vivus comburitur. Post hos Epimachus et Alexander, cum post diuturnum carceris horrorem in quo vincti permanserant, ferreos ungues, flagra ac mille dolorum genera pertulissent, vivæ calcis incendio etiam ipsi colliquefacti perierunt. Eumdem cum ipsis exitum sortitæ sunt quatuor mulieres. Ammonarium qui-

dem virgo sanctissima, cum a judice diutissime torta fuisset ingenti cum pertinacia propterea quod palam prædixerat nihil horum quæ judex jusserat prolaturam se esse; pollicitationem suam executioni mandans, ad supplicium abducta est. Residuæ vero, Mercuria scilicet anus imprimis veneranda; et Dionysia, plurimorum quidem liberorum mater, sed quæ pignora sua minori quam Dominum charitate complexa est; et alia rursus Ammonarium : cum præfectum jam puderet eas ulterius incassum torquere et a fœminis superari, gladio cæsæ sunt, nullis prius tormentis subditæ. Etenim earum princeps et antesignana Ammonarium, pro omnibus tormenta pertulerat. Heron etiam et Ater et Isidorus Ægyptii, cumque illis Dioscorus puer, annos circiter quindecim natus, judici oblati sunt. Et cum judex primum ante alios adolescentem Dioscorum, partim sermonibus ut flexibilem decipere, partim tormentis ut mollem ac tenerum cogere tentavisset; ille nec persuasionibus cessit nec tormentis. Reliqui crudelissime verberati, cum cruciatus fortiter sustinuissent, igni etiam ipsi sunt traditi. Dioscorum vero qui in omnium conspectu inclaruerat, et qui ad omnia interrogata sapientissime responderat, admiratus judex dimisit, spatium se illi ad pœnitentiam concedere affirmans, ob ætatis infirmitatem. Et nunc nobiscum versatur divinus Dioscorus, in majus ac diuturnius certamen reservatus. Sed et Nemesion quidam, etiam ipse Ægyptius, primum quidem falso accusatus fuerat tanquam socius et contubernalis latronum; postea vero cum apud centurionem hanc calumniam a se utique alienissimam depulisset, delatus quod Christianus esset, ad præfectum vinctus adducitur. At ille nequissimus judex, postquam eum duplo gravioribus quam reliquos latrones tormentis ac verberibus affecisset, inter latrones jussit incendi. Et sic vir beatissimus similitudine Christi honoratus est. Porro uni-

versus simul militum manipulus, Ammon scilicet Zeno, Ptolemæus et Ingenuus, cumque illis senex Theophilus ante prætorium stabant. Et cum quidam ob Christianam religionem in judicium inductus, jamjamque negaturus Christum videretur, illi adstantes dentibus stridere, vultu in nuere, manus extendere, ac totius simul corporis motus gestusque edere cœperunt. Cumque omnium in se oculos convertissent, priusquam ab aliquo comprehenderentur, ipsi ad subsellium accurrentes, Christianos se esse professi sunt. Quo facto præfectus et assessores qui in consilio aderant, metu perterriti sunt. Ac rei quidem ipsi ad ea quæ perpessuri erant promptissimi et confidentissimi cernebantur : judices autem ipsi contremiscebant. Isti igitur ex prætorio ovantes processerunt, exultantes ob fidei confessionem, cum Deus per ipsos gloriose triumpharet.

Sed et alii complures per oppida et vicos a Gentilibus discerpti sunt : ex quibus unum exempli gratia commemorabo. Ischyrion mercede conductus procurator erat cujusdam magistratum gerentis. Hic ab eo cujus rem procurabat jussus idolis immolare, cum minime obtemperaret, primum injuria affectus est. Postea cum in eadem sententia perstaret, variis ab eodem vexatus est contumeliis. Quæ omnia cum patienter sustineret, ille prægrandi sude correpta, transfixum per media viscera hominem interfecit. Jam quid opus est commemorare multitudinem eorum qui in montibus ac per solitudinem oberrantes, fame et siti, frigore ac morbis, et latronum aut bestiarum incursu oppressi interiere ? Ex quibus hi qui superfuerunt incolumes testes sunt electionis illorum atque victoriæ. Unicum duntaxat facinus ad declarandam rei veritatem hic adjiciam. Chæremon erat quidam grandævus, Nili urbis episcopus. Hic una cum conjuge in Arabicum montem fuga delatus, non ulterius reversus est. Et fratres, quamvis ac-

curate omnia perscrutati, nec ipsos posthac nec ipsorum cadavera reperire potuerunt. Porro multi in Arabico illo monte a Barbaris Saracenis capti, et in servitutem redacti sunt. Ex quibus alii soluto ingenti pretio vix tandem redempti : alii nondum hactenus redimi potuerunt. Atque hæc non frustra, frater charissime, a me commemorata sunt; sed ut scias quæ et quam gravia nobis mala contigerint. Quæ profecto melius intelligunt ii qui magis experti sunt.

Et paucis interpositis, hæc subjungit :

Cæterum hi divini martyres qui nunc assessores sunt Christi, et regni illius consortes, ac judicii participes una cum ipso judicaturi ; dum hic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos, et idolis sacrificasse convictos, susceperunt : et conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cum judicassent eam placere posse illi qui peccatoris pœnitentiam mavult quam mortem, eos admiserunt et collegerunt, atque in cœtum suum receperunt, et in orationibus ac cibo cum iisdem communicarunt. Quid ergo nobis, fratres, de his suadetis ? quid nos agere debemus? Utrum sententiæ martyrum accedemus, et rem ab illis judicatam seu potius gratiam concessam tuebimur, et cum iis quos illi miseratione prosecuti sunt benigne agemus ? An contra judicium illorum irritum faciemus, nosque ipsi sententiæ illorum discussores ac judices constituemus; clementiam dolore afficiemus ; ordinem constitutum evertemus; Dei ipsius indignationem provocabimus ?

EPISTOLA IV.

AD EUMDEM, EODEM ANNO.

De eadem persecutione[1].

.... Unum tibi exemplum proponam, quod apud nos contigit. Erat in hac urbe Serapion quidam senex e numero fidelium, qui reliquo quidem anteactæ vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat; sed in persecutione lapsus, sæpenumero veniam petierat; nec quisquam ei attendebat, eo quod sacrificasset. Idem postea morbo correptus, vocis usu sensuque omni carens triduo permansit. Quarto demum die paululum recreatus, nepotem ex filia ad se vocat, et : Quousque tandem, inquit, me detinetis, fili? Properate quæso, et me quantocius absolvite. Accerse me unum ex presbyteris. Hæc cum dixisset, rursus illum vox destituit. Puer ad presbyterum cucurrit. Jam nox erat; presbyter autem ægrotabat. Sed quoniam in mandatis dederam, ut morituris, si peterent, et maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent; exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam, seni in os instillaret. Redit igitur puer buccellam afferens. Et cum appropinquaret, priusquam ingrederetur, recreatus iterum senex : Venisti, inquit, fili; at presbyter quidem ipse venire non potuit. Tu vero fac citius quod imperatum est; et dimitte me. Mox puer buccellam intinxit et in os senis infudit. Qui ea paulatim absorpta, continuo animam exhalavit. An non igitur perspicue apparet eum reservatum fuisse, ac tantisper

[1] Euseb. Hist. Eccl. lib. VI, cap. XLIV.

in vita permansisse, quoad reconciliaretur, et deleto jam crimine, pro multis quæ gesserat bonis operibus a Christo agnosci posset et prædicari?

EPISTOLA V.

AD FRATRES. ANNO 253.

De solemnitate paschali et peste [1].

Aliis quidem hominibus [2] præsens hoc tempus non videatur esse tempus festivitatis. Neque vero illis tempus festivitatis est, nec hoc quod a nobis celebratur, nec ullum aliud, non dicam eorum quæ luctuosa sunt, sed etiam eorum quæ vel maxime læta et hilaria existimantur. Nunc quidem certe plena sunt omnia lamentationum : lugent cuncti : et ob mortuorum hominum ac quotidie morientium multitudinem, tota urbs gemitibus circumsonat. Prorsus enim ut de primogenitis Ægyptiorum in sacris libris scriptum habetur, ita nunc quoque clamor ingens excitatus est. Nulla quippe domus est in qua non sit aliquod funus. Atque utinam unum duntaxat in unaquaque domo esset. Multa quidem et acerba ante hanc calamitatem nobis contigerunt. Primum enim nos urbe expulerunt. Cumque soli ab omnibus fugaremur atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis denique locus in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus; ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit. Sed omnium lætissimam festivitatem egerunt consummati martyres, qui in cœlo epulati

1 Euseb. Hist. Eccl. lib. VII, cap. XXII.
2 Vide D. Guillon, tom. I, p. 202 et seq.

sunt. Posthæc bellum et fames excepit, quæ quidem nos cum Gentilibus junctim pertulimus. Et ea quidem mala quibus nos attriverunt, soli sustinuimus. Quæ autem ipsi sibi vicissim intulerunt ac passi sunt, eorum partem toleravimus. Sed rursus oblectavit nos pax illa, quam Christus nobis solis indulsit. Cum autem brevissimo temporis spatio nos et illi respirassemus, reperte ingruit lues illa; ipsis quidem res omnium formidolosissima et calamitosissima; et quæ sola, ut proprius quidam ipsorum scriptor loquitur, omnium spem opinionemque superavit. Nobis vero non ejusmodi fuit : sed potius meditamentum quoddam ac probamentum, perinde ac cætera. Neque enim a nobis abstinuit lues illa, licet plurimum in Gentiles grassata sit.

Addit deinde :

Plurimi quidem ex fratribus nostris ob nimiam charitatem, curam omnem propriæ salutis abjicientes, sibique mutuo adhærescentes, dum ægros secure atque audacter invisunt, eisque assidue ministrant, et curationem adhibent in Christo, una cum illis mortui sunt; aliorum ægritudine libentissime sese implentes, et proximorum morbum in semetipsos quodammodo attrahentes, doloresque eorum sponte sua exprimentes atque extergentes. Multique adeo qui alios ægrotantes curaverant et in pristinam valetudinem restituerant, ipsi interierunt; mortem illorum in seipsos traducentes, verbumque illud vulgare quod officiosæ duntaxat comitatis hactenus visum fuerat, reipsa adimplentes, cum aliorum peripsema effecti, ex hac vita migrarent. Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli presbyteri erant ac diaconi, et ex populo laudatissimus quisque mortem oppetierunt : adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique constantiam nequaquam inferius martyrio censeatur. Hi ergo sanctorum cor-

pora supinis manibus gremioque excipientes, oculos illis et ora claudentes, bajulantes eadem humeris suis, componentes, adhærescentes illis, complectentes, lavacro et vestimentis ornantes, paulo post eadem officia ab aliis consecuti sunt; cum superstites semper eorum qui præcesserant vestigiis insisterent. Gentiles vero prorsus contraria his egerunt. Nam et eos qui ægrotare incœperant exturbabant, et charissimos refugiebant, eosque in viis semineces destituebant; aut mortuos insepultos projiciebant, aversantes mortis participationem ac societatem, quam tamen, licet multiplici adhibita cautione ac diligentia, evitare non poterant.

EPISTOLA VI.

AD SANCTUM STEPHANUM. ANNO 256.

De pace Ecclesiæ reddita[1].

Scias autem, frater, cunctas per Orientem et ulterius positas ecclesias quæ prius erant discissæ, nunc tandem ad unitatem reversas esse; et omnes ecclesiarum ubique antistites unum idemque sentire, et ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exultare : Demetrianum scilicet episcopum Antiochiæ, Theoctistum Cæsareæ, Æliæ post mortem Alexandri Mazabanem, Marinum Tyri, Laodiceæ vero post Thelymidris obitum Heliodorum, Helenum Tarsi cunctasque Ciliciæ ecclesias, Firmilianum denique cum universa Cappadocia. Solos enim illustriores episcopos nominavi, ne forte epistola nostra prolixior et oratio molestior redderetur. Syriarum quidem provinciæ omnes cum Arabia, quibus identidem necessaria suppeditatis, et quibus litteras nunc scripsistis; Mesopotamia quoque, Pontus

[1] Euseb. Hist. Eccl. lib. VII, cap. V.

ac Bithynia : ac ut uno verbo absolvam, omnes ubique terrarum lætitia gestiunt, Deoque gratias agunt ob hanc concordiam fraternamque charitatem.

EPISTOLA VII.

AD SANCTUM XYSTUM. ANNO 257.

De baptismo [1].

In hac epistola Stephani simul ac reliquorum episcoporum de baptismo sententiam ac judicium exponit, de Stephano ita scribens :

Antea litteras scripserat de Heleno et de Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis : sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent. Ac vide, quæso, gravitatem negotii. Revera enim in maximis, ut audio, episcoporum conciliis decretum est ut qui ab hæreticis ad catholicam Ecclesiam accedunt, primum catechumeni fierent, ac deinde veteris et impuri fermenti sordibus per baptismum purgarentur. De his omnibus ego ad illum epistolam misi, rogans atque obtestans.

Et aliquanto post :

Sed et charissimis fratribus et compresbyteris nostris Dionysio ac Philemoni, qui prius idem cum Stephano senserant, deque iisdem rebus ad me scripserant, antea quidem breviter, nunc vero pluribus verbis scripsi. Verum de supradicta quæstione hactenus.

In eadem epistola de Sabellianis hæreticis, utpote

[1] Euseb. Hist. Eccles. lib. VII, cap. V et VI.

qui tunc temporis increscebant, Xystum certiorem facit his verbis :

Nam de dogmate illo quod nuper apud Ptolemaïdem, urbem Pentapoleos, commotum est, pleno impietatis ac blasphemiæ adversus omnipotentem Deum patrem Domini nostri Jesu Christi; pleno etiam incredulitatis erga unigenitum ejus Filium, primogenitum omnis creaturæ, Verbum quod inter homines versatum est; pleno denique stuporis adversus Spiritum sanctum : cum ab utraque parte et litteræ ad me allatæ essent, et fratres mecum disserturi venissent, epistolas quasdam, quantum Deo juvante potui, tractatoris more fusius scripsi. Quarum exemplaria ad te misi.

EPISTOLA VIII.

AD EUMDEM. ANNO 258.

De impio hæreticorum baptismo [1].

Profecto opus habeo, frater, consilio tuo, et sententiam tuam expeto, ne forte ipse alluciner, tali ad me negotio delato. Quidam ex fratribus qui ad ecclesiam conveniunt, jampridem pro fideli habitus, et qui ante meam ordinationem, ac ni fallor ante ipsius quoque Heraclæ episcopatum, cœtus fidelium particeps fuerat; cum interfuisset baptismo eorum qui nuper baptizabantur, et interrogationes responsaque illorum audiisset, ad me accessit flens et vicem suam ingemiscens. Pedibusque meis advolutus confiteri atque dejerare cœpit, baptismum quo apud hæreticos initiatus fuerat, non hujusmodi esse, nec cum hoc nostro quidquam commune habere : quippe illum plenum esse

[1] Euseb. Hist. Eccles. lib. VII, cap. IX.

blasphemiæ et impietatis. Aiebatque animum suum acerbissimo doloris sensu compungi, ac ne oculos quidem ad Deum attollere se audere, quippe qui scelestis illis verbis ac cæremoniis initiatus fuisset. Proinde orabat ut hoc purissimo lavacro, verissimaque adoptione et gratia donaretur. Quod equidem facere non sum ausus; sed diuturnam illi communionem ad id sufficere dixi. Nam qui gratiarum actionem frequenter audierit, et qui cum cæteris responderit amen; qui ad sacram mensam astiterit, et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit; qui illum exceperit, et corporis ac sanguinis nostri Jesu Christi particeps fuerit diutissime, eum ego de integro renovare non ausim. Porro ut bono animo esset et cum firma fide bonæ spei plenus ad Dominici corporis participationem accederet, jussi. Verum ille nullum lugendi finem facit, et ad mensam accedere penitus exhorrescit; vixque rogatus interesse orationibus sustinet.

EPISTOLA IX.

AD DIONYSIUM ROMANUM. ANNO 257.

De hæresi Novati[1].

Nam Novatianum merito aversamur, quippe qui Ecclesiam discidit, et quosdam ex fratribus ad impietatem blasphemiamque pertraxit; qui nefariam de Deo doctrinam invexit, et clementissimum Dominum nostrum Jesum Christum quasi implacabilem calumniatur; qui præterea sacrum lavacrum obliterat, fidemque et confessionem quæ baptismum præcedunt evertit; et Spiritum sanctum penitus ab

[1] Euseb. Hist. Eccles. lib. VII, cap. VIII.

illis fugat, tametsi spes aliqua subsit vel quod in illis adhuc maneat, vel quod ad eos reversurus sit.

EPISTOLA X.

AD PHILEMONEM, ROMANUM PRESBYTERUM. ANNO 258.

De sancti Dionysii visione[1].

Ego vero in libris et traditionibus hæreticorum cognoscendis operam posui; execrandis quidem illorum sententiis animum meum tantisper coinquinans : hanc tamen ex iis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multoque magis quam antea detestarer. Et cum frater quidam ex presbyterorum ordine prohiberet me, veritus ne forte nequitiæ illorum cœno commiscerer; quippe animum meum contaminatum iri aiebat, et quidem verissime ut ipsemet sentiebam; visione cœlitus missa confirmatus sum. Et vox ad aures meas perlata diserte mihi præcepit hoc modo : Lege omnia quæcumque in manus venerint; idoneus namque es qui singula disquiras et examines, hacque primum occasione ad Christi fidem impulsus es. Amplexus sum visionem illam, utpote quæ Apostolicæ voci consentiret, robustissimos quosque ita compellanti : « Estote periti » nummularii. »

Pauca deinde de universis hæresibus interlocutus, hæc subdit :

Hanc ego regulam et formam a beatissimo papa nostro Heracla accepi. Eos enim qui ab hæreticis veniebant, tametsi defecissent; seu potius non defecissent illi quidem, sed in speciem cum fratribus communicantes, clam perversæ

[1] Euseb. Hist. Eccles. lib. VII. cap. VII.

doctrinæ magistros adire delati essent : ab Ecclesia ejectos, post multas tandem preces non prius admisit, quam quæcumque ab adversariis audierant, palam exposuissent. Ac tunc demum ad communionem eos admittebat, nequaquam existimans iterato baptismate eis opus esse. Quippe jam antea Spiritum sanctum ab ipso acceperant.

Rursus hac quæstione abunde ventilata, concludit in hunc modum :

Illud præterea didici, non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse; sed et multo antea, superiorum episcoporum temporibus, in ecclesiis populosissimis, et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse. Quorum sententias et statuta subvertere, eosque ad jurgia et contentiones excitare equidem nolim. Scriptum est enim : « Non commutabis » terminos proximi tui, quos parentes tui constituerunt[1]. »

EPISTOLA XI.

CONTRA GERMANI CALUMNIAS. ANNO 259[2].

Equidem vereor ne in dementiam ac stuporem lapsus esse videar, dum referre cogor admirabilem erga nos Dei providentiam ac dispensationem. Sed quoniam arcanum quidem regis occultare, ut ait Scriptura, laudandum est[3]; Dei autem opera prædicare gloriosum : adversus Germani impetum cominus decertabo. Veni ad Æmilianum non solus, sed comitantibus me Maximo compresbytero, et Fausto,

[1] Deuter. XIX.
[2] Euseb. Hist. Eccles. lib. VII, cap. XI.
[3] Tobiæ XII.

Eusebio ac Chæremone diaconis. Quidam etiam ex fratribus Romanis qui tum aderant nobiscum ingressus est. Porro Æmilianus non dixit mihi prima fronte : Ne conventus agas; id enim illi supervacuum erat ac postremum, ad id quod primum ac præcipuum est recurrenti. Quippe haudquaquam curabat ne alios congregarem : sed id agebat ne ipsi Christiani essemus. Et ab eo cultu desistere me jubebat : ratus scilicet, si ego ab eo cultu descivissem, cæteros exemplum meum secuturos. Respondi non improbabiliter, nec longe arcessita responsione : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Sed palam et aperte contestatus sum, me illum qui solus est Deus, neque alium nullum præter hunc adorare; nec a proposito discessurum me esse, nec commisurum unquam ut Christianus esse desinerem. Posthæc abire nos jussit in vicum quemdam solitudini proximum, cui nomen est Cephro. Sed verba ipsa quæ ab utroque nostrum dicta sunt, sicut actis publicis inserta leguntur, accipite. Inducto Dionysio, Fausto, Maximo, Marcello et Chæremone, Æmilianus præfectus dixit : Non solum scripto, sed etiam viva voce vobiscum disserui de humanitate principum nostrorum, qua illi erga vos utuntur. Vobis enim potestatem fecerunt salutis vestræ retinendæ, dummodo ad id quod naturæ consentaneum est ferri, deosque imperii illorum custodes adorare, et eorum quæ naturæ ipsi repugnant oblivisci velletis. Quid ergo ad hæc dicitis? Neque enim vos ingrato animo fore spero adversus eorum clementiam; quippe cum ad meliora vos traducere conentur. Dionysius respondit : Non omnes ab omnibus coluntur dii; sed eos singuli colunt quos arbitrantur deos. Nos quidem unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano et Gallieno sacratissimis Augustis imperium tradidit, colimus et adoramus. Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile et inconcussum permaneat.

Æmilianus præfectus iterum dixit : Quis vero vos prohibet quominus et hunc, si quidem Deus est, cum iis qui natura dii sunt adoretis? Deos enim colere jussi estis, eosque quos cuncti norunt deos. Dionysius respondit : Nos nullum alium adoramus. Æmilianus præfectus dixit : Video vos ingratos esse simul ac stupidos, qui clementiam Augustorum minime sentiatis. Quamobrem non manebitis in hac urbe, sed mittemini in partes Libyæ, ad locum qui dicitur Cephro. Hunc enim locum jussu Augustorum nostrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis nec quibuscumque aliis conventus agere, aut ea quæ vocantur cœmeteria adire. Quod si quis ad eum quem jussi locum minime profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus, is sibi ipse periculum arcesset. Non enim deerit congrua animadversio. Abscedite igitur quo jussi estis. Statimque me tametsi ægrotantem proficisci compulit, ne diei quidem unius dilatione concessa. Quomodo igitur conventus agere aut non agere vacuum mihi deinceps fuit?

Paucis deinde interjectis addit :

Sed neque a corporali conventu, Domino juvante, abfuimus. Verum eos qui in urbe erant, perinde ac si adessem, majore studio congregavi in ecclesiam; absens quidem corpore, ut jam dixi; animo autem præsens. Apud Cephro vero nobiscum magna fidelium affuit multitudo; partim eorum qui ab urbe nos secuti fuerant; partim aliorum qui ex reliqua Ægypto confluebant. Ibi quoque januam nobis patefecit Deus ad prædicationem verbi sui. Et initio quidem persecutionem passi et lapidibus impetiti sumus; postmodum vero non pauci ex Gentilibus, relictis simulacris, ad Deum conversi sunt. Tunc enim primum apud illos verbi divini per nos sparsa sunt semina, cum illud antea non suscepissent. Ac prorsus quasi Deus ejus rei

causa nos ad illos perduxisset, postquam illud ministerium implevimus, iterum nos alio transtulit. Etenim Æmilianus in asperiora quædam loca, ut credebat magis Libyca, nos transportare constituit. Et cunctis undecumque ad Mareoticam præfecturam confluere jussis, vicos per regionem illam dispersos singulis assignavit. Nos vero magis ad viam publicam, ut primi comprehenderemur, collocavit. Id enim præcipue agebat ac moliebatur, ut quandocumque voluisset, omnes nullo negotio capi possemus. Ego vero cum Cephro primum abire jussus sum, tametsi ubinam locus ille situs esset ignorabam, quippe qui vix nomen illius antea audivissem; nihilominus alacri constantique animo perrexi. Posteaquam vero mihi renuntiatum est ut ad Colluthionis regionem migrarem, norunt ii qui tum præsentes aderant quomodo affectus animo fuerim. Hic enim memetipsum accusabo. Principio quidem ægre admodum ac moleste tuli. Etsi enim regio illa notior nobis magisque familiaris erat quam Cephro, tamen fratribus ac probis viris vacuus esse locus dicebatur, et viatorum turbis latronumque incursionibus obnoxius. Sed multum mihi consolationis attulit, quod fratres me admonuerunt locum illum a civitate propius abesse. Itaque quamvis Cephron maximam nobis multitudinem fratrum ex Ægypto confluentium adduxisset, adeo ut laxius jam conventus agere possemus, illic tamen ob vicinitatem urbis, charissimorum et conjunctissimorum hominum aspectu crebrius nos aiebant esse fruituros : eos quippe accessuros ibique commoraturos; et tanquam in suburbanis remotioribus, particulares illic conventus futuros. Idque ita contigit.

Deinde paulo post, de his quæ sibi acciderunt ita scribit :

Sed fortasse Germanus multis fidei confessionibus glo-

riatur. Multa prædicare potest adversus se gesta : quot vero enumerare potest perinde atque ego, sententias judicum, publicationes, proscriptiones, direptiones bonorum, abjectiones dignitatum, contemptus gloriæ sæcularis, laudum a præfectis ac decurionibus profectarum despectus; minarum denique quæ coram intentabantur, vociferationum, discriminum, persecutionem fugæ, ærumnarum et cujusquemodi malorum tolerantiam; cujusmodi sunt ea quæ sub Decio et Sabino, et quæ in hunc usque diem sub Æmiliano nobis contigerunt? Ubinam vero comparuit Germanus? Quænam illius facta est mentio? Verum ab imprudentia illa, in quam Germani causa delapsus sum, tandem absisto. Singularum igitur rerum narrationem fratribus qui plenissimam gestorum notitiam habent, relinquo.

EPISTOLA XII.

AD DOMITIUM ET DIDYMUM. EODEM ANNO.

De persecutione Decii[1].

Nostros vero superfluum est nominatim recensere, cum et plurimi sint et vobis ignoti. Id tantum in universum scire vos convenit, viros et mulieres, juvenes ac senes, puellas et anus, milites ac paganos, ex omni denique hominum genere atque ætate, alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse. Nonnullis vero longissimum temporis spatium non satis fuit ad hoc ut Deo acceptabiles viderentur : siculi nec mihi in hunc usque diem. Scilicet in aliud opportunum tempus quod ipsi probe cognitum est, me distulit Dominus qui dicit : « In tempore accepto exaudivi te, et in die salutis opi-

[1] Euseb. Hist. Eccles. lib. VII, cap. XI.

» tulatus sum tibi [1]. » De rebus autem nostris, quandoquidem sciscitamini ac certiores fieri vultis quo in statu agamus : audivistis quidem omnino quo pacto, cum ego et Caïus et Faustus cum Petro et Paulo vincti duceremur a centurione et magistratibus, militibusque et apparitoribus qui una cum ipsis erant; supervenientes quidam ex Mareotis, invitos nos nec sponte sequentes per vim abstraxerint. Ego quidem nunc et Petrus et Caius soli, reliquis fratribus orbati, in deserto et squallido quodam Libyæ loco conclusi sumus, tridui itinere distantes a Paraetonio.

Et aliquanto post :

In urbe autem occultarunt se, ut fratres clanculo invisant, presbyteri quidem : Maximus, Dioscorus, Demetrius et Lucius. Faustinus enim et Aquila, utpote in majore hominum luce positi, per Ægyptum vagantur. Diaconi vero post illos qui morbo consumpti sunt, superstites : Faustus, Eusebius, Chæremon. Eusebius, inquam, quem Deus jam inde ab initio roboravit, impulitque ut confessoribus in custodia positis ministeria strenue exhiberet, utque consummatorum ac beatorum martyrum cadavera non sine capitis sui periculo sepeliret. Nam in hunc usque diem non cessat præfectus nostros qui præsentiæ ipsius exhibentur, partim interficere crudelissime, partim tormentis dilaniare, partim squallore carceris et vinculis macerare, interdicens ne quis ad eos accedat, et perscrutans num quis forte videatur accedere. Verumtamen Deus ex alacritate ac benignitate fratrum, solatium assidue præstat afflictis.

[1] Isai. XLIX, 8.

EPISTOLA XIII.

AD BASILIDEM. EODEM ANNO.

De pluribus disciplinæ regulis [1].

Misisti ad me, fidelissime et sapientissime fili mi, interrogans qua hora dies Paschæ sit jejunandus. Dicis enim aliquos fratres dicere quod oportet hoc in galli cantu facere; alios vero, quod id sit faciendum vespere. Qui enim Romæ sunt fratres, ut aiunt, gallum expectant : de iis autem qui hic sunt dixisti quod citius. Horam autem exactam et valde demensam quæris imponere; quod quidem est difficile et lubricum. Quod enim post resurrectionis Domini tempus oportet eos festum lætitiamque inchoare qui ad illud usque animas jejuniis humiliant, erit apud omnes similiter in confesso. Per ea autem quæ scripsisti, probasti (sane admodum divinorum Evangeliorum sensu percepto) quod nihil ab eis accurate perfecteque traditum de hora qua resurrexit apparet. Diverse enim Evangelistæ ad monumentum venisse scripserunt, mutatis temporibus; et omnes, surrexisse jam Dominum, dixerunt invenisse. Et « vespere sabbatorum, » ut dixit Matthæus [2] : et « cum mane adhuc esset obscurum, » ut scribit Joannes [3] : et « summo diluculo, » ut Lucas [4] : et « valde mane, orto jam sole, » ut Marcus [5] : et quando surrexit quidem, nemo aperte respondit. Quod autem vespere sabbati, lucescente una sabbatorum, qui ad monumentum venerunt eum non amplius jacentem invenerunt, hoc in confesso est. Ac neque dissentire nec sibi adversari inter se Evangelistas, existimemus. Et quanquam parva quædam circa id quod quæritur controversia esse videbitur, si omnes

[1] Collectio Conciliorum P. Labbæi, tom. I, fol. 851.

[2] Matth. XXVIII. — [3] Joan. XX. — [4] Luc. XXIV. — [5] Marc. XVI.

in una nocte mundi lucem Dominum nostrum exortum esse consentientes, in hora dissentiunt, nos tamen quæ ab eis dicta sunt, pie et fideliter conciliare studeamus. Quod a Matthæo quidem dictum est, sic habet :

« Vespere sabbatorum, lucescente una sabbatorum, venit » Maria Magdalene et alia Maria ad spectandum sepulchrum, » et ecce fuit magnus terræ motus : Angelus enim Domini » cum de cœlo descendisset, accedens devolvit lapidem, et » sedit supra ipsum; erat autem species ejus ut fulgur, et » indumentum ejus album ut nix : a timore autem ejus con- » cussi sunt qui servabant, et facti sunt ut mortui. Respon- » dens autem Angelus, dixit mulieribus : Ne timete vos, scio » enim quod Jesum crucifixum quæritis : non est hic; resur- » rexit enim sicut dixit. »

Id autem quod dictum est *vespere,* alii quidem existimabant secundum verbi communitatem significare vesperam sabbati : sapientiores autem id audientes, non hoc, sed profundam noctem esse dicent, tarditatem et longum tempus vespere significante. Ei quod noctem dicit et non vesperam, subjunxit : « Illucescente in una sabbatorum, et venerunt, » nondum, ut reliqui dicunt, aromata ferentes, sed ad spectandum sepulchrum. Invenerunt autem factum esse terræ motum, et Angelum super lapidem sedentem, et audierunt ab ipso : « Non est hic; surrexit. » Similiter Joannes : « In » una sabbatorum, *inquit,* Maria Magdalene venit mane, » cum essent tenebræ, ad monumentum, et videt lapidem » sublatum a monumento. » Sed juxta eum, cum adhuc essent tenebræ, præcesserat. Lucas autem dicit : « Sabbato » quidem quieverunt, secundum præceptum : una autem » sabbatorum summo mane ad monumentum venerunt, fe- » rentes quæ paraverant aromata; invenerunt autem lapidem » a monumento devolutum. » Summum mane, fortasse matutinum splendorem qui prius subapparet, significat unius

sabbatorum. Et ideo jam perfecte præterito cum tota consequente nocte sabbato, et alio die incipiente, venerunt, aromata et unguenta ferentes, quando jam videlicet diu ante surrexerat. Hoc Marcus quoque sequitur, dicens : « Emerunt » aromata, ut venientes Jesum ungerent : et valde mane unius » sabbatorum, veniunt ad monumentum orto jam sole. » *Valde* enim *mane* hic quoque dixit, quod idem est ac *summo diluculo;* et subjunxit, *orto jam sole.* Profecto quidem et iter earum summo diluculo et valde mane incœpit; in itinere autem et circa monumentum moram traxerunt usque ad ortum solis, et is quidem tunc dicit adolescens candidatus : « Resurrexit; non est hic. » Hæc autem cum ita se habeant, hoc iis qui accuratius subtiliusque considerant enuntiamus quota hora vel etiam semihorula vel quarta horæ oportet incipere lætitiam ob Domini nostri a mortuis resurrectionem; et eos qui nimium festinant et ante mediam noctem surgunt, ut contemptores et intemperantes reprehendimus, ut qui propemodum antequam par sit cursum abruperint, dicente viro sapiente : Non parvum est in vita, quod parum abest. Eos autem qui differunt, et plurimum perferunt, et ad quartam usque vigiliam fortiter abstinent, in qua etiam pluribus Servator noster in mari ambulans apparuit, ut generosos et laborum tolerantes suscipimus : iis autem qui interea ut moti sunt, vel ut potuerunt quiescunt, non valde molesti sumus; quandoquidem nec sex jejuniorum dies æqualiter nec similiter omnes expectant. Sed alii quidem, vel omnes transmittunt, jejuni permanentes; alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum. Et iis quidem qui in illis transmittendis valde laboraverunt, deinde defessi sunt et propemodum deficiunt, ignoscendum est quod celerius gustent. Si qui autem non modo non transmissis, sed ne jejunatis quidem, vel etiam in delicatis opiparisque conviviis consumptis præcedentibus quatuor die-

bus; ad duos, eosque solos extremos dies cum venerint, illis a se, cibo non gustato transmissis parasceve et sabbato, magnum quid et egregium se facere existimant si ad auroram usque permanserint, non existimo eos ex æquo certamen subiisse cum iis qui se pluribus diebus prius exercuerunt. Hæc quidem, ut sentio, consulens scripsi.

De mulieribus quæ sunt in abscessu, an eas sic affectas oporteat domum Dei ingredi, supervacaneum vel interrogare existimo. Neque enim eas existimo, si sint piæ et fideles, sic affectas ausuras vel ad sanctam mensam accedere, vel corpus et sanguinem Domini attingere (1). Neque enim quæ duodecim annorum fluxum habebat ipsum ad medicinam tetigit, sed solam ejus fimbriam. Orare enim quomodocumque se habeat aliquis, et utcumque sit affectus Domini meminisse et auxilium implorare, non est reprehendendum. Ad sancta autem sanctorum qui anima et corpore purus non est accedere prohibebitur.

Porro et qui consenuerunt debent esse sui idonei judices. Quod enim a se invicem, ex consensu, ad tempus abstinere conveniat ut vacent orationi, et rursus conveniant, Paulum dicentem audierunt[1].

Qui autem in non voluntario nocturno fluxu fuerint, ii quoque propriam conscientiam sequantur; et se ipsos, an de eo discernant an non, considerent. Quemadmodum in cibis, qui discernit, inquit, si comederit, condemnatus est[2]; in his quoque bonæ sit conscientiæ, et libere sequatur secundum propriam cogitationem qui ad Deum accedit.

Has tu quidem, nos honorans (non enim ignorans, o dilecte) nobis quæstiones proposuisti, non ut ejusdem sententiæ, sicut et sumus, ejusdemque animi simul præparans. Ego autem non ut doctor, sed ut cum omni simplicitate convenit nos invicem disserere, meam sententiam in com-

[1] 1 Cor. II, 7. — [2] Rom. XIV.

nunc edidi : quam cum tu examinaveris, fili mi sapientissime, quod tibi justum meliusque apparuerit, vel an sic etiam de his habere existimas, rescribes. Valere te, dilecte fili mi, in pace Domino ministrantem opto.

EPISTOLA XIV.

AD HIERACEM, ÆGYPTIUM EPISCOPUM. ANNO 262.

De lugendo statu Alexandrinæ civitatis [1].

Quid vero mirum, si grave ac difficile mihi est homines longius remotos vel per epistolas alloqui, cum nec mecum ipse colloqui, nec animæ meæ consulere facile possim? Etenim ad mea ipsius viscera, ad contubernales et unanimes fratres ejusdemque ecclesiæ municipes, missis epistolis opus habeo ; easque quomodo transmittam vix reperio. Facilius enim quis, non dicam extra fines provinciæ, sed ab Oriente ad regiones Occidentis ultimas commeari possit, quam ex ipsa urbe Alexandria Alexandriam pergere. Quippe vasta illa et invia solitudine quam Israëlitæ duabus ætatibus peragrarunt, vastior magisque invia est media urbis platea. Portus autem illi tranquilli et placidi, imaginem exhibent maris illius quod olim scissum ac duorum instar parietum utrinque firmatum, Israëlitis quidem transitum præbuit, Ægyptios vero in ipso calle submersit. Nam ob crebras hominum cædes ibi perpetratas, maris cujusdam rubri instar fuerunt. Qui vero civitatem ipsam alluit fluvius, interdum quidem aridior visus est et squalidior siticulosa illa solitudine per quam iter facientes Israëlitæ tanta oppressi sunt siti, ut adversus Mosem vociferari non desinerent, quoad virtute illius qui solus mirabilia facit, ex prærupta rupe

[1] Euseb. Hist. Eccles. lib. VII, cap. XXI.

aqua ipsis ad potum effluxisset; interdum vero tantopere exundavit, ut circumsitæ regioni viisque et agris omnibus superfusus, aquarum diluvium cujusmodi temporibus Noë accidit, minari videretur. Cæterum cædibus et cruore et submersionibus hominum continuis inquinatus evolvitur; qualis olim a Mose præstitus est Pharaoni, in sanguinem conversus et fœtidus. Quænam igitur unda lustrare poterit aquam qua omnia purgantur? Quomodo vastus ille nec hominibus permeabilis Oceanus, hoc amarum pelagus unquam absterserit? Aut quomodo ingens ille fluvius qui ex Edem profluit, etiamsi quatuor illos in quos dividitur alveos in unum Geonis alveum transfundat, tantam hanc abluet saniem? Ecquando scelestissimis undecumque vaporibus obnubilatus aër, purus tandem serenusque reddetur? Hujusmodi enim halitus ex terra, ex mari venti, ex fluminibus auræ, ex portubus fuligines spirant, ut tabescentium in omnibus subjacentibus elementis cadaverum sanies pro rore sit. Et posthæc mirantur et ambigunt homines undenam continuæ pestes, undenam graves morbi, omnisque generis tabes, et multiplices variique hominum interitus; quid causæ sit cur urbs maxima tantum civium numerum amplius non ferat, etiamsi ab ipsis infantibus ad decrepitos usque senes numerentur, quod antea crudos senes sic vocatos aluit. Verum tunc temporis adeo plures erant quadragenarii, et supra hos usque ad septuagesimum ætatis annum progressi, ut numerus eorum nunc expleri non possit, ascriptis licet et in album relatis ad annonam ex publico accipiendam his qui quatuordecim annos nati sunt, usque ad octogenarios. Et qui specie ipsa adolescentuli sunt, æquales quodammodo nunc facti sunt eorum qui olim senes erant. Cumque in terris humanum genus tantopere imminutum et consumptum videant, augescente in dies et crescente ipsorum excidio non intremiscunt.

3.

S. DIONYSII ALEXANDRINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS,

LIBRI DOGMATICI.

FRAGMENTUM

LIBRI DE PROMISSIONIBUS,

CONTRA NEPOTEM. ANNO 254.

Causam scribendi præbuit Nepos quidam, episcopus Ægypti, qui promissiones sanctis hominibus factas in divinis voluminibus, Judaïco sensu exhibendas docebat, et nescio quod mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirmabat. Cumque ex Joannis revelatione opinionem suam stabilire se posse existimaret, librum quem de hac quæstione composuerat, confutationem Allegoristarum inscripsit. Hunc ergo Dionysius in libris de Promissionibus acriter impugnat. Et in priore quidem libro suam ipsius sententiam de hac quæstione proponit. In secundo autem libro de Joannis Revelatione disputans, in ipso statim exordio Nepotis mentionem facit his verbis :

Sed quoniam librum quemdam proferunt Nepotis, quo quidem magnopere nituntur, quasi in eo certissimis argu-

mentis demonstratum sit regnum Christi in terris futurum: in plurimis quidem aliis rebus laudo Nepotem ac diligo, cum propter fidem tum ob diligentiam et studium Scripturarum; postremo ob psalmorum cantus multiplices, quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere delectantur. Magnoque honore ac reverentia hominem prosequor, vel ob id maxime quod ex hac vita migravit. Sed veritatem magis diligo, cunctisque præferendam censeo. Etenim ea quidem quæ recte dicta sint, absque invidia laudare ac probare debemus. Si quid vero secius scriptum est, id examinari a nobis et corrigi decet. Quod si ipse præsens adesset, et opinionem suam viva voce promulgaret, sufficeret fortasse simplex absque scripto colloquium, quo per interrogationes ac responsiones convincerentur adversarii et in pristinam concordiam revocarentur. Verum cum in publicum editus sit liber, isque, ut nonnullis videtur, ad persuadendum aptissimus; et cum quidam doctores Legem quidem ac Prophetas nihili faciant, Evangelia sequi negligant, Apostolorum Epistolas contemnant, hujus vero libri doctrinam quasi magnum aliquod et arcanum sacramentum venditent; et simpliciores quosdam ex fratribus nostris nihil sublime atque magnificum, nec de glorioso prorsusque divino adventu Domini nostri, nec de resurrectione nostra, nostrique ad Christum aggregatione et assimilatione sentire patiantur; sed levia quædam ac mortalia, et qualia nunc homines sperare solent in regno Dei cogitare jubeant: necesse est ut adversus fratrem meum Nepotem quasi præsentem, disputationem instituam.

Paucis deinde interpositis hæc subjungit :

Cum essem in Arsinoïtica præfectura, in qua jam pridem, ut nosti, increbruit hæc opinio, adeo ut schismata et integrarum ecclesiarum defectiones fierent; convocatis pres-

byteris ac doctoribus qui per singulos vicos fratribus prædicabant, præsentibus item fratribus qui adesse voluerant, hortatus sum illos ut ea doctrina palam in concione examinaretur. Cumque hunc librum tanquam scutum quoddam murumque inexpugnabilem mihi opposuissent, tres continuos dies a prima luce usque ad vesperam cum ipsis sedens, quæcumque in eo libro scripta erant discutere aggressus sum. Tum vero fratrum constantiam, et ardentissimum cognoscendæ veritatis studium, et docilitatem atque intelligentiam magnopere sum admiratus : adeo moderate et ordine interrogationes rationesque dubitandi, et assensiones a nobis fiebant. Ac studiose quidem cavebamus, ne ea quæ semel nobis placuissent, tametsi falsa esse deprehenderentur, pertinaciter defenderemus : nec aliorum objectiones subterfugiebamus. Sed quoad fieri poterat, ad ea de quibus instituta erat disputatio eniti, eaque stabilire conabamur : sin autem rationibus convicti essemus, non pudebat nos mutare sententiam et aliis assentiri. Quin potius cum bona animi conscientia, absque ulla simulatione, expansis ad Deum cordibus, quæcumque certissimis argumentis et auctoritate sacræ Scripturæ confirmata essent, suscipiebamus. Tandem denique Coracio, qui hujus doctrinæ auctor et signifer fuerat, audientibus cunctis qui aderant fratribus, pollicitus nobis et contestatus est, se in posterum hanc opinionem amplexurum non esse, nec de ea disputaturum, nec locuturum, nec populo prædicaturum ; quippe qui argumentis oppositis satis superque convictus fuisset. Fratribus autem qui aderant, hæc disputatio et omnium inter se reconciliatio atque consensio non mediocrem attulit voluptatem.

Deinde, aliquanto post, de Revelatione Joannis ita scribit :

Nonnulli quidem ex iis qui nos præcesserunt, librum hunc repudiarunt penitus ac refutarunt, singula ejus capita refellentes, eumque absque ullo sensu et ratiocinatione scriptum esse monstrantes. Adhæc inscriptionem libri falsam esse dicunt : neque enim auctorem ejus esse Joannem; sed neque eam Revelationem esse, quippe quæ tam crasso tamque opaco ignorantiæ obducta sit velo. Et non modo Apostolorum neminem, sed ne ullum quidem e sanctis et ecclesiasticis viris hujus libelli conditorem fuisse affirmant : Cerinthum enim, qui nominis sui sectam conflavit, cum magnæ auctoritatis nomen ad faciendam fidem commentis suis vellet præfigere, Joannis titulum operi suo indidisse ; quippe hanc Cerinthi opinionem fuisse, regnum Christi terrenum futurum, et in iis maxime rebus quas ipse, utpote carnalis et voluptatibus corporis deditus, præcipue concupiscebat, hæsurum : in ventris scilicet, et eorum quæ sub ventre sunt satietate; id est, in cibis ac poculis, in nuptiis et in iis quibus ista honestius parari posse existimabat, festis nimirum et sacrificiis, et hostiarum mactationibus. Ego vero[1] librum illum rejicere omnino non ausim, præsertim cum multi ex fratribus eum magni faciant. Sed hujusmodi de illo opinionem concipiens quasi sensus mei modum excedat, arcanam quamdam planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen altiorem quemdam sensum verbis subesse. Eaque non meo ipsius judicio metior atque æstimo: sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno quæ intelligere non potui : verum inde admiror magis quod capere non possum.

[1] Vide D. Guillon, tom. 1, p. 206.

Post hæc integro Revelationis libro examinato, postquam apertissime ostendit eum prorsus intelligi non posse juxta obvium verborum sensum, hæc subjicit :

Absoluta demum universa prædictione sua, Propheta beatos pronuntiat tum eos qui eam servaverint, tum seipsum. « Beatus, inquit, qui servat verba prophetiæ libri hujus; et » ego ipse Joannes qui hæc vidi atque audivi. » Joannem igitur hunc vocari, et librum a Joanne scriptum esse, non inficior. Fateor enim sancti cujusdam et divino Spiritu afflati viri id opus esse ; sed hunc ipsum esse Apostolum Zebedæi filium, Jacobi fratrem, cujus est Evangelium illud quod secundum Joannem inscribitur, et Epistola catholica, haud facile concesserim. Nam ex utriusque genio et forma loquendi, et ex libelli totius ductu ac dispositione, non unum eumdemque scriptorem esse conjicio : quippe Evangelista quidem nullibi nomen suum ascribit ; nec semetipse, aut in Evangelio, aut in Epistola prædicat.

Et paulo post subdit :

Joannes vero nusquam, nec tanquam de seipso, nec tanquam de altero. At ille qui Revelationem scripsit, in ipso statim exordio nomen suum præfigit cum ait : « Revelatio » Jesu Christi quam dedit ipsi ut palam faceret servis suis » celeriter, et significavit mittens per Angelum suum Joanni » servo suo, qui testificatus est Verbum Dei et testimonium » ejus quæcumque vidit. » Ad hæc epistolam scribit. « Joan» nes, *inquit*, septem ecclesiis quæ sunt in Asia : gratia vobis » et pax. » Evangelistes vero ne catholicæ quidem Epistolæ nomen suum præfixit; sed absque ulla verborum ambage ab ipso divinæ revelationis mysterio exorsus est. « Quod fuit, *in-*

» *quit*, ab initio ; quod audivimus, quod vidimus oculis nostris. » Ob hujusmodi enim revelationem, Petrum Dominus beatum prædicavit his verbis : « Beatus es, Simon fili Jonæ, » quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui » in cœlis est. » Sed neque in secunda ac tertia, quæ Joanni vulgo ascribuntur, Epistolis, quamvis brevissimis, Joannis vocabulum prostat : verum absque ullo nomine *Senior* inscribitur. Alter autem ille non satis habuit nomine suo semel edito narrationem deinceps prosequi ; sed iterum repetit : « Ego Joannes, frater et consors vester in tribulatione » et regno et patientia in Jesu, fui in insula quæ Patmos vo» catur, propter verbum Dei et testimonium Jesu. » Et sub finem libri rursus hæc addit : « Beatus qui servat verba pro» phetiæ libri hujus, et ego Joannes qui hæc vidi et audivi. » Joannem igitur esse auctorem hujus libri, ipsi id affirmanti credendum est. Sed quisnam ille fuerit Joannes, incertum. Neque enim seipsum esse dixit, sicut in Evangelio sæpius dicitur, discipulum illum quem dilexit Dominus, aut illum qui supra pectus Domini recubuit, aut fratrem Jacobi, aut illum denique qui Dominum vidit atque audivit. Aliquid enim horum quæ memorata sunt certe dixisset, si seipsum liquido voluisset ostendere. Sed horum quidem nihil posuit : fratrem vero duntaxat et consortem nostrum sese appellavit et testem Jesu, beatum denique ob visam atque auditam revelationem. Ac plurimos quidem fuisse opinor Joanni Apostolo cognomines, qui propter singularem erga illum benevolentiam, et quod hominem mirarentur ac suspicerent, et perinde ac ille a Domino diligi ambirent, hoc cognomentum adamaverint : quemadmodum ex fidelium liberis multos Pauli Petrique nominibus appellatos videmus. Est etiam alius Joannes in Actibus Apostolorum, cognomento Marcus, quem Barnabas et Paulus comitem sibi adjunxerunt. De quo etiam rursus dicitur : « Habebant autem

» Joannem ministrum [1].» An hic sit qui Revelationem scripsit, mihi non liquet. Neque enim una cum illis in Asiam venisse perhibetur. « Sed cum solvissent, inquit, a Papho, » Paulus quidem Pergen Pamphyliæ profectus est; Joannes » vero discedens ab illis, reversus est Hierosolymam. » Alium igitur esse censeo : unum scilicet eorum qui in Asia versati sunt. Duo enim apud Ephesum sepulcra fuisse traduntur, utrumque Joannis nomine insignitum. Ex sententiis quoque et ex verbis eorumque collocatione, facile conjicitur hunc ab illo diversum fuisse. Nam Evangelium et Epistola sibi mutuo consonant, et eodem ordiuntur modo. Sic enim incipit Evangelium : « In principio erat Verbum. » Epistola vero : « Quod fuit ab initio. » In illo dicitur : « Et Verbum caro fac- » tum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, glo- » riam quasi Unigeniti a Patre. » Hæc vero eadem habet, paulisper tantum immutata : « Quod audivimus, quod vidimus » oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ con- » trectaverunt de Verbo vitæ : et vita manifestata est. » Hæc enim ille veluti modulationis præludia præmittit, adversus eos qui Christum in carne advenisse negabant, ut in sequentibus ostendit. Quamobrem de industria subjunxit : « Et quod » vidimus testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, » quæ erat apud Patrem et apparuit nobis. Quod vidimus et » audivimus annuntiamus vobis. » Adeo totus ex seipse pendet, et a propositionibus suis ne latum quidem unguem discedit; sed iisdem pene capitibus ac verbis cuncta prosequitur. Ex quibus nos quidem nonnulla breviter suggeremus. Qui vero attente perlegerit, in utroque sæpius vitam, lucem, fugam tenebrarum; frequenter veritatem, gratiam, gaudium, carnem et sanguinem Domini, judicium, peccatorum remissionem; Dei erga nos dilectionem, mutuæ inter nos dilectionis præceptum, et universa præcepta servanda

[1] Actuum XIII.

esse reperiet. Adhæc condemnationis elogium adversus mundum, diabolum et Antichristum ; promissio sancti Spiritus, adoptio filiorum Dei, fides in omnibus a nobis præstanda, Pater et Filius ubique nominati, in utroque passim occurrunt. Denique in omnibus, si recte examinaveris, unus idemque utriusque scriptionis genius, Evangelii nimirum et Epistolæ, evidenter apparet. Apocalypsis vero ab his prorsus aliena est et extranea : nulla necessitudine aut vicinitate contingens quidquam ex supradictis; ac ne syllabam quidem unam cum illis communem habens. Sed neque Epistola (de Evangelio enim nihil dico) mentionem ullam aut signifiactionem facit Apocalypseos, nec Apocalypsis Epistolæ : cum tamen Paulus in Epistolis non nihil de revelationibus suis indicaverit, quas quidem ille in proprium volumen non retulit. Præterea ex dictione ipsa conjici potest quantum Evangelium et Epistola differant ab Apocalypsi. Nam illa quidem non modo emendate quod ad Græcum sermonem attinet, verum etiam cum summa elegantia tum in verbis, tum in argumentationibus et in tota orationis compositione perscripta sint. Tantum abest ut barbarismus aliquis aut solœcismus, aut denique idiotismus quispiam in illis deprehendatur. Utroque enim præditus erat Evangelistes, sermone nimirum ac scientia; cum hæc duo ipsi Dominus concessisset, scientiam simul et eloquentiam. Illum vero Revelationem quidem vidisse, et scientiam ac futurorum prædictionem accepisse non inficior; verum dictionem ejus non admodum Græcam animadverto, sed barbarismis atque interdum solœcismis inquinatam. Quos quidem inpræsentiarum excerpere haudquaquam necesse est; neque enim subsannandi animo hæc a me dicta esse quisquam existimet : sed potius eo consilio, ut utriusque scripti dissimilitudinem expenderem.

Præter hæc libri *de Promissionibus* fragmenta, extant plura alia excerpta sive apud *Præparationem Evangelicam* Eusebii, lib. XIV, sive in operibus SS. Athanasii et Basilii, quæ cum postea in eorum dem Patrum scriptis sint excudenda, hic prætermittuntur.

S. GREGORIUS THAUMATURGUS,

SEU NEOCÆSARIENSIS.

EXPOSITIO FIDEI.

EPISTOLA CANONICA.

METAPHRASIS IN ECCLESIASTEN.

S. GREGORIUS THAUMATURGUS,

SEU NEOCÆSARIENSIS.

(CIRCA ANNUM 270.)

GRÆCUS.

S. Gregorius, qui prius *Theodorus*, a virtutis et doctrinæ præstantia *Magni*, a miraculis autem *Thaumaturgi* et *alterius Mosis* cognomine insignitus, nobilibus et opulentis parentibus Ethnicis natus est Neocæsareæ Ponti. Post obitum patris quatuordecim annorum juvenis jam aliquo Christianæ religionis amore cœpit allici; Rhetoricam autem ita curante matre didicit, ut futuræ eloquentiæ non minimam injiceret opinionem. Nec defuit etiam linguæ latinæ, quin et Romani juris studium, unde Berytum proficiendi desiderio petiit, una cum Firmiliano Patricio Cappadoce, episcopo postea Cæsariensi, et fratre suo Athenodoro, ad episcopatum Ponti itidem deinde provecto. Cum autem Cæsaream Palæstinæ deflexisset, detentus ab Origene, per quinque annos, quibusdam interjectis intervallis, ab ejus ore tum in hac ipsa urbe, tum Alexandriæ, tum iterum Cæsareæ pependit, a quo ad Christum adductus philosophicisque primum disciplinis imbutus, tum præsertim sacra mysteria edoctus est; quæ ita fideliter non animo tantum, sed moribus ebibit, ut insultantem scortum non contempserit modo, sed maligno spiritui traditam ante pedes subito prostraverit.

Baptismo tinctus, priusquam a Cæsarea discederet, Origenem præsentem magna convocata frequentia celebravit, eique gratias egit insigni sermone panegyrico, qui etiamnunc extat, et a Pamphilo apologiæ Origenis pridem insertus fuit. Absens inde et latitans a Phædimo episcopo primus Neocæsariensis pontifex electus est, licet vix septemdecim tum in hac urbe numerarentur Christiani.

Cum autem an. 240 consecratus, in elucidanda fidei doctrina pernoctaret, apparuit illi, inter circumfusi luminis radios mater Domini cum Joanne Evangelista, a quo, Maria jubente, dictata suscepit mysteria, manuque conscripta suis successoribus transmisit.

Hinc una cum episcopatu incipere stupenda illa miraculorum series, quibus ad *Thaumaturgi* gloriam assurrexit. Modo dæmonibus silentium imponere; modo transferre lapides; modo stagna in siccitatem redigere; modo aquis redundantibus, defixa in terram virga magnamque in arborem transmutata, obicem opponere nunquam superandum. Comanæ episcopum consecrare rogatus, Alexandrum *Carbonarii* nomine notum, deterso quo humilis tegebatur pulvere, ad pontificatum provexit.

Exorta Decii circa an. 250 persecutione, fugiendi periculi populo auctor fuit, quod ita feliciter successit, ut nemo tormentis addictus in apostasiam prolaberetur. Ipse in vicinum desertumque collem, cum diacono ab idolis, quorum primum sacerdos erat, converso delituit, obcæcatisque persequentium oculis, qui arborem ejus loco videre crediderant, salvus tandem evasit.

Persecutionis vices pestis excepit, cujus originem faustumque eventum ita narrat Gregorius Nyssenus :

« Feriæ quædam publicæ et universales erant in urbe
» dæmoni cuidam domestico, patrio quodam ritu ac
» more solemni celebrari consuetæ, ad quas una cum
» urbanis celebrandas universa propemodum gens
» ex tota ea regione confluebat : atque eorum qui con-
» currebant theatrum plenum erat, et eorum qui pos-
» tremi affluxerant multitudo subselliis undique su-
» perfundebatur, atque omnibus ad spectacula atque
» acroamata orchestram intueri cupientibus, plena
» erat scena tumultus et trepidationis, irritaque præ-
» stigiatoribus mirabiliumque spectaculorum artifici-
» bus ostentatio, tumultu sese mutuo constipantium
» non modo oblectationem musicæ impediente, sed
» ne circulatoribus quidem et præstigiatoribus suas
» artes ostentandi tempus concedente. Tum vero com-
» munis ab omni multitudine erumpit vox dæmo-
» nem cui diem festum agebant implorantium, et ab
» illo sibi laxitatem fieri petentium. Posteaquam au-
» tem omnibus simul loquentibus in altum vox tol-
» lebatur, ac totius civitatis veluti unius oris sermo
» esse videbatur, quo hæ preces dæmoni adhibeban-
» tur (erat autem precatio ut ipsa verba ejus audian-
» tur : *Jupiter fac nobis locum*); audito sane magnus
» ille vir sono nominatim invocantium dæmonem, a
» quo laxitatem civitati fieri petebant, quodam ex
» astantibus ad eos misso, laxitatem ait ipsis mox
» datum iri majorem quam optarent. Hac autem ab
» eo voce tanquam tristi quadam sententia prolata,
» pestilentia frequentem illum ferias agentium et
» ludos celebrantium conventum excipit : ac statim
» trepidantium choris lamentatio miscebatur, adeo
» ut in luctus et calamitates eis voluptates converte-
» rentur, cum pro plausibus et cantu tibiarum aliæ
» super alias næniæ cantusque lugubres urbem pas-

» sim invasissent. Cum enim semel homines morbus » invasisset, opinione citius propagabatur atque ser- » pebat, ignis in modum domos depascens : adeo ut » ædes quidem sacræ, quo spe sanationis atque re- » medii confugiebant, iis qui morbo peribant reple- » tæ; fontes vero, aquæductus scaturiginesque et » putei eorum quos atrocitate morbi sitis exurebat » referti essent,.... multi etiam item ultro transirent » ad sepulcra, eo quod superstites sepeliendis mor- » tuis non amplius sufficerent; nec inopinato malum » homines invaderet, sed quasi spectrum quoddam ad » eas ædes quibus pernicies imminebat accederet, ita » certum exitium subsequeretur.... *Tunc* magno isti » viro supplices fiunt, orantes ut per eum quem ipse » Deum agnosceret ac prædicaret, quem solum re- » vera Deum esse et in omnes imperium habere » confiterentur, mali impetum sisteret et inhiberet. » Cum spectrum illud ante futuram pestem alicui » domui appareret, ac protinus desperationem vitæ » habitatoribus injiceret, una periclitantibus salutis » ratio erat si illas ædes Magnus Gregorius ingrede- » retur, ac per preces morbum qui domum invasis- » set repelleret ac summoveret. Cum autem celeri- » ter per eos qui primi ea ratione servati fuerant ad » omnes fama permanasset, omnia quæ prius vani- » tate atque stultitia adducti curabant omittebantur, » oracula, sacrificia, piacularia, in delubris simula- » crorum commoratio, omnibus magnum sacerdotem » intuentibus, et unoquoque eum ad se totius fami- » liæ suæ servandæ gratia alliciente. Mercedem au- » tem ab iis qui servabantur, salutem animarum » consequebatur. » (Greg. Nys. in vit. Thaum.)

Interfuit una cum Athenodoro fratre suo, congregatis Antiochiæ contra Paulum Samosatenum epi-

scopis, anno 264, celebremque scripsit Canonicam Epistolam, quæ nonnullas circa pœnitentiam regulas complectitur. Cum autem Paulus Samosatenus in Antiochensi synodo intentatam dissimulavisset hæresim, congregatum est anno 269 secundum ad eamdem urbem concilium, cui subscripsit Theodorus quidam, qui si pro nostro doctore assumatur, mors ejus ad annum 270 referenda videretur. Morti proximus, sollicite inquisivit utrum vel in urbe vel in territorio aliqui etiamnum remanerent Ethnici, compertoque quod adhuc septemdecim supererant, Deo gratias agens : « Totidem, *inquit*, erant fideles, cum » cepi episcopatum. » (Idem, ibid.)

Locum quo sepeliretur emi prohibuit, dicens, posteritati sciendum, omni hæreditate expertem Gregorium alieno, et illo quidem mutuum accepto, tumulatum fuisse sepulcro. Defunctus est, ut probabilius videtur, circa an. 265, 17 novembris, die qua ejus festum, cum S. Dionysii Alexandrini eodem tempore defuncti memoria, Ecclesia celebrare consuevit. Martyrem nemo ante Rufinum dixit; nec illo, nisi late accepto vocabulo, recte potest appellari.

Ex dictis patet illum scripsisse, 1° *Orationem ad Origenem, quam panegyricam et charisteriam, convocata grandi frequentia, ipsoque Origene præsente recitavit* (Hieron. de Script. Eccles. c. LXV); 2° *Symbolum*, de quo supra jam mentionem fecimus, et quam *divinam institutionem et disciplinam* Gregorius Nyssenus prædicat (in vit. Thaum.); 3° *Epistolam unam*, quæ ab omnibus, excepto Dodwello, admittitur, et vocatur *Canonica;* 4° *Metaphrasim in Ecclesiasten, brevem quidem, sed valde utilem* (Hieron. de Vir. illustr.), *quam* Rufinus asserit *magnificentissime scriptam* (Hist. Eccles. lib. VII, c. XXV).

Hunc autem *virum Apostolicorum signorum atque virtutum* ab Hieronymo (Epist. LXXXIV, ad Magn.) vocatum, et a plerisque laudatum veteribus, ita imprimis encomiis extollit S. Basilius : « Cæterum Gregorium Magnum et illius voces quo loco ponam? » Annon cum Apostolis et Prophetis, virum qui eodem spiritu quo illi versatus sit, quique sanctorum » vestigiis per omnem vitam inhæserit, quique Evangelicæ conversationis vigorem quamdiu vixit præstiterit? Equidem illud dixerim : profecto injuria » affecerimus veritatem, si non animam illam annumeremus iis qui Deo juncti sunt, qui velut insignis magnaque lucerna in Ecclesia Dei resplenduit, » qui e Spiritus ope tremendam habuit adversus dæmones potestatem. Nam tantam acceperat gratiam » ad obedientiam fidei inter gentes, ut assumptis » non plus septemdecim Christianis, universum populum et urbanum et rusticum per agnitionem adjunxerit Deo. Ille et fluminum cursus in diversum » vertit, præcipiens illis in magno nomine Christi; » et paludes exsiccavit belli causam præbentes fratribus avaris. Cæterum prædictiones de futuris ejusmodi sunt ut nihilo sit inferior cæteris Prophetis.... » Cujus et in hodiernum quoque diem magna est » apud ejus regionis homines admiratio, recensque » ac semper vigens memoria sic infixa est Ecclesiis » ut nullo tempore abolescat. » (S. Basil. lib. de Spiritu Sancto, cap. XXIX.)

Universa quæ extant Thaumaturgi opera excusa fuere, pleraque græca et latina, curante Gerardo Vossio Moguntiæ, an. 1604, in-4°; Parisiis, an. 1622, in-fol. cum S. Macario Alexandrino et S. Basilio Seleuciensi; Coloniæ, 1618, in Bibliotheca Patrum, an. 1618, et Lugduni, 1677. *Oratio pro Origine* separatim in lucem emissa est vertente P. Sirmundo Augustoduni, 1605, cum

libris Origenis contra Celsum. *Metaphrasis in Ecclesiasten* legitur in S. Gregorii Nazianzeni operibus, ubi inter ejus orationes tanquam quinquagesima tertia annumeratur. Eadem pariter legitur in Micropresbytico, an. 1550, et in Catenis Patrum, Antuerpiæ, 1614. *Symbolum* extat etiam in editionibus Conciliorum Binii et Labbæi. *Epistola Canonica* Tarragonæ prodiit an. 1584, in-4°; Parisiis, 1641, in Collectione canonum Beveregii; Oxoniæ, 1672; Parisiis, 1720, cum operibus Balsamonis curante Frontone Ducæo.

Vide apud D. Fleury *Epistolam Canonicam* gallice versam, Hist. Eccles. VII, 62. Vide etiam D. Guillon, tom. IV, p. 311, in-8°, Parisiis, 1824.

SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII,

EPISCOPI NEOCÆSAREÆ PONTI,

THAUMATURGI,

EXPOSITIO FIDEI,

QUAM PER REVELATIONEM A BEATO JOANNE EVANGELISTA, MEDIANTE DEI GENITRICE MARIA VIRGINE, ACCEPIT.

(DOCTORE GERARDO VOSSIO INTERPRETE.)

Unus Deus, Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, et potentiæ ac characteris sempiterni : perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo. Character et imago Deitatis, Verbum efficax. Sapientia, constitutionis rerum universarum comprehensiva, et virtus atque potentia universæ creaturæ effectiva. Filius verus, veri Patris, invisibilis, ejus qui est invisibilis; et incorruptibilis, corruptioni non obnoxii; ac immortalis, mortis prorsus nescii; et sempiternus, sempiterni. Unusque Spiritus sanctus, ex Deo existentiam habens, et qui per Filium apparuit, scilicet hominibus : imago Filii, perfecti perfecta; vita, viventium causa; fons sanctus, sanctitas, sanctificationis suppeditator : in quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia est, et in omnibus; et Deus Filius, qui per omnia est. Trinitas perfecta, quæ gloria et æternitate, ac regno atque imperio non dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid, aut servum in Trinitate : neque superinductitium aliquid et adventitium, quasi prius non existens, posterius vero adveniens. Non ergo defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus; sed immutabilis et invariabilis, eadem semper manet Trinitas.

S. GREGORII, ARCHIEPISCOPI NEOCÆSARIENSIS,

QUI THAUMATURGUS DICTUS EST,

EPISTOLA CANONICA

DE IIS QUI IN BARBARORUM INCURSIONE
IDOLOTHYTA COMEDERUNT, ET ALIA QUÆDAM PECCATA COMMISERUNT.

CANON PRIMUS.

Non cibi nos gravant, sancte Papa, si captivi comederint ea quæ qui in eos dominium obtinent eis apposuerunt; maxime quando una de omnibus fama est, Barbaros qui in nostras regiones incursiones fecerunt, idolis non sacrificasse. Dicit autem Apostolus : « Escæ ventri, et venter escis; Deus » autem et hunc et has destruet[1]. » Sed Salvator quoque omnes cibos mundans : « Non quod intrat, *inquit,* coïnqui- » nat hominem; sed quod egreditur[2]. » Et hoc quoque, quod captivæ mulieres corruptæ fuerunt, Barbaris earum corporibus insolenter abutentibus : sed si prius quoque damnata vita fuerat, procul abeuntibus oculis fornicatoribus, ut scriptum est[3]; fornicarius scilicet habitus suspectus est etiam tempore captivitatis : et non oportet facile orationibus cum ejusmodi communicare. Sed siquidem aliqua quæ in summa continentia vixerit, et puram ab omnique suspicione alienam priorem vitam ostenderit, nunc vi et necessitate in probrum contumeliamve lapsa sit : habebimus exemplum quod est in Deuteronomio, de adolescentula quam homo in agro invenit, et ea vi compressa, cum ipsa dormivit : « Ado- » lescentulæ, *inquit,* nihil facietis; non erit adolescentulæ

[1] 1 Cor. vi. — [2] Matth. xv. — [3] Num. xv.

» peccatum mortis[1] : » quia, quemadmodum si quis homo adversus proximum suum insurrexerit, et ipsius animam morte affecerit; sic hanc rem adolescentula proclamavit, et non erat qui ei opem ferret. Hæc quidem certe ita se habent.

CANON SECUNDUS.

Gravis res est avaritia, et plura habendi cupiditas, nec possunt una epistola proponi Scripturæ, in quibus non solum prædari fugiendum horrendumque prædicatur, sed plura etiam concupiscere, et aliena propter turpe lucrum attingere : et quicumque est hujusmodi, is est a Dei Ecclesia abdicatus. In tempore autem incursionis, in tanto luctu tantisque fletibus, ausos esse aliquos, tempus quod omnibus exitium afferebat, existimare esse sibi lucri tempus; est hominum impiorum, et Deo invisorum, et quorum improbitati nihil potest adjici. Unde illis omnibus ejusmodi interdicere visum est, eosque abdicare; ne forte ad totum populum ira perveniat, et in eos primum qui præsunt et non inquirunt. Vereor enim, ut ait Scriptura, ne impius jussum una secum perdat[2]. « Fornicatio enim, *inquit Apostolus,* et avaritia » non nominentur in vobis : per quæ venit ira Dei in filios » inobedientiæ. Ne sitis ergo eorum participes : fuistis enim » aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii » lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate » et justitia, et veritate; probantes quid sit Deo acceptum : » et nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum, » sed potius etiam redarguite. Quæ enim ab ipsis fiunt clanculum, turpe est vel dicere. Omnia autem a luce convicta » manifestantur[3]. » Hæc quidem Apostolus. Si autem qui propter priorem plura habendi cupiditatem, quæ in pace fuit, pœnam dat; in ipso iræ tempore rursus ad avaritiam

[1] Deut. XXII. — [2] Prov. XXI. — [3] Ephes. V.

convertuntur; lucrum facientes ex sanguine et pernicie eversorum hominum captivorum, interfectorum : quid aliud expectandum est, quam ut avaritia decertantes, iram sibi et universo populo accumulent?

CANON TERTIUS.

Nam ecce Achar, Zaræ filius, in eo quod Deo dedicatum erat, peccavit[1] : et in omnem Israëlis synagogam ira pervenit. Atqui hic unus solus peccavit; sed non solus in suo peccato est mortuus. Nobis autem quidquid non est nostrum, sed alienum est, ab hoc tempore lucrum Deo dicatum esse, existimandum est. Nam et ille quidem Achar ex præda accepit : et ipsi nunc ex præda accipiunt. At ille quidem, ea quæ erant hostium : qui vero nunc sunt, ea quæ sunt Patrum, lucro pernicioso lucrifacientes.

CANON QUARTUS.

Nemo se ipsum seducat, tanquam invenerit; neque enim fas est ei qui invenit, lucrifacere, ait Deuteronomium : « Viso » fratris tui vitulo et ove errante in via, ea ne despexeris ; » sed ea restitutione restitues fratri tuo. Sin autem frater » tuus ad te non approximet, neque ipsum noveris, coges » ipsum, et erit tecum donec ea frater tuus quæsierit; et » reddes ea : et sic facies de ejus asino, et sic facies de ejus » veste, èt sic facies post omnem perditionem fratris, quæ- » cumque ipsi perierint, et tu ea inveneris[2]. » Hæc Deuteronomium. In Exodo autem, non solum si quis res fratris, sed etiam inimici invenerint, « restitutione, *inquit,* resti- » tues ipsa domui domini ipsorum[3]. » Si autem ab eo qui in pace et in otio delicate vitam transigit, vel etiam ab inimico non licet lucrari; quanto magis ab eo qui rebus adver-

[1] Jos. VII, XXII. — [2] Deut. XXII. — [3] Exod. XXIII.

sis premitur, et fugit, et necessitate coactus propria relinquit!

CANON QUINTUS.

Alii autem se ipsos seducunt, pro propriis quæ perierunt, aliena quæ invenerunt detinentes : ut quoniam Boradi et Gothi eis hostilia fecerunt, ipsi sint aliis Boradi et Gothi. Propterea ergo fratrem et consenem nostrum Euphrosynum ad vos misimus, ut secundum formam quæ hic est, etiam ibi det similiter; et quos a precibus abdicare, isthic similiter disponat.

CANON SEXTUS.

Denuntiatum autem est nobis, quidpiam factum esse in vestra regione incredibile, vel utique infidelibus et impiis, et qui ne nomen quidem Domini noverunt : quod nonnulli eo inhumanitatis crudelitatisque processerunt, ut captivos aliquos qui effugerunt vi retineant. Mittite aliquos in regionem, ne vel fulmina in eos cadant qui hæc agunt.

CANON SEPTIMUS.

Eos itaque qui inter Barbaros enumerati sunt, et cum eis in captivitate invaserunt, obliti se esse Ponticos et Christianos; efferati autem barbarique redditi, ut et eos qui hujus sunt generis vel ligno vel suffocatione interficiant, vias autem vel domos nescientibus Barbaris ostendant : etiam ab auditione arcere oportet, donec de iis, congregatis sanctis, aliquid communiter visum fuerit, et ante eos, Spiritui sancto.

CANON OCTAVUS.

Eos autem qui alienas domos invadere ausi fuerint : si accusati quidem convicti fuerint, nec auditione dignos exis-

timare oportet; sin autem se ipsos enuntiarint et reddiderint, in eorum qui convertuntur ordinem substerni.

CANON NONUS.

Eos autem qui in campo aliquid invenerunt, vel in suis ædibus a Barbaris relictum; si accusati quidem convicti fuerint, sint similiter in iis qui substernuntur : sin autem seipsos enuntiaverint et reddiderint, etiam precibus digni habeantur.

CANON DECIMUS.

Eos autem qui servant mandata, absque omni turpi lucro servare oportet; nec indicationis, vel custodiæ, vel inventionis pretium, vel quocumque nomine appellant, exigentes.

CANON UNDECIMUS.

Fletus, seu luctus, est extra portam oratorii : ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare ut pro se precentur. Auditio est intra portam, in loco quem ναθηκα vocant, in ferula : ubi oportet eum qui peccavit stare post catechumenos, usque ad catechumenos, et illinc egredi. Audiens enim, inquit, post Scripturas et doctrinam ejiciatur; et precatione ne dignus censeatur. Subjectio autem, seu substractio, est ut intra templi portam stans cum catechumenis egrediatur. Congregatio seu consistentia, est ut cum fidelibus consistat, et cum catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio sacramentorum.

S. P. N. GREGORII THAUMATURGI

METAPHRASIS,

SEU TRANSLATIO

IN ECCLESIASTEN SALOMONIS.

(JACOBO BILLIO INTERPRETE.)

CAPUT PRIMUM.

1. His verbis Salomon, Davidis regis et prophetæ filius, rex mortalium omnium clarissimus, et propheta sapientissimus, universam Dei Ecclesiam affatur.

2. Quam vana et inutilia sunt omnia ea hominum negotia et studia, quæ in humanis rebus suscipiuntur.

3. Nemo enim est qui utilitatem ullam cum iis conjunctam esse dicere possit, quæ homines humi reptantes, et corporibus et animis perficere contendunt, rebus caducis et temporariis addicti, supra sidera autem generoso animæ oculo ne tantillum quidem aspicere volentes.

4. Ac mortalium vita conteritur, die diei succedente, annique partibus et conversionibus;

5. Solisque cursibus certis ac definitis;

6. Nunc accedentibus, nunc sensim recedentibus.

7. Nec dissimilis est hæc res torrentum transitui, cum magno strepitu ac tumultu in immensum maris profundum illabentium. Et quidem ea quæ hominum causa a Deo creata sunt, eadem manent, velut, quod a terra gignantur, quod in terram abeant, quod terra ipsa firma et stabilis sit, quod sol ea tota decursa ad eumdem rursus terminum

punctumque circumvolvatur, et venti similiter fluviique itidem tanto numero in mare influentes, et venti incurrentes, nec ipsum fines suos excedere cogant, nec ipsi rursus legem sibi constitutam infringant. Atque hæc sane, quæ nobis ad hanc vitam usum et adjumentum afferunt, ita decreta sunt et constituta.

8. At quæ ab hominibus excogitantur, tam res quam verba, modum nullum habent. Ac verborum magna quidem est copia: at fructus nullus ab errante loquacitate et nugacitate. Verum ita natura comparata est hominum ratio, ut inexplebilis sit eorum et loquendi et audiendi sitis, ac præterea vanis oculis ea omnia quæ accidunt intuendi cupiditas.

9. Quid autem in posterum fieri queat, quod non jam confectum fuerit aut geratur ab hominibus? quid novum, quod nondum experimento compertum fuerit, dummodo insigne sit et memorabile?

10. Ut quidem mea opinio fert, quisquis secum reputabit atque considerabit, nihil novum aut recens inveniet priscisque incognitum.

11. Quemadmodum autem præterita oblivione tecta sunt; sic præsentia quoque progressio temporis ad posteros in obscuritatem ibunt.

12. Nec vero temere hæc nunc dico, Ecclesiastem agens: verum mihi Hebræorum regnum Hierosolymis fidei meæ commissum habenti, diligenter et accurate omnia cogitata et perpensa sunt.

13. Porro totam rerum terrenarum naturam perscrutatus, atque ingeniose et sapienter in ea cogitatione versatus, eam maxime variam comperi. Homini etenim in terra laboribus vexari datum est, alias alia ærumnæ occasione frustra involuto.

14. Spiritu autem prodigioso et execrando omnia hæc inferiora plena sunt.

15. Adeo ut ea recolligere nemo queat, imo ne omnino quidem cogitare quanta res humanas absurditas invaserit.

16. Nam cum mecum ipse aliquando reputassem, atque existimassem me omnibus qui ante me fuissent hac in re sapientiorem esse in animum induxi,

17. Tum parabolas intelligere, tum rerum naturas.

18. Cæterum incassum mihi ad eam rem animum conferre visus sum : quod, ut sapientiam scientia sequitur, ita scientiæ comites sunt labores.

CAPUT II.

1. Hæc igitur ad hunc modum se habere arbitratus, alterum vitæ genus capessere proposui, deliciisque memet tradere, variasque voluptates experiri. Verum nunc omnia hæc vana esse intellexi :

2. Atque hinc visum solutum temereque vagantem compescui, hinc voluptatem ad temperantiam coërcui, acerbeque ei succensui.

3. Ad hæc, cum eam vim esse animæ cogitassem, ut temulentam corporis naturam atque instar vini diffluentem sistere possit, rursusque continentia cupiditatem subjici ac servitute premi : perspiciendum mihi esse constitui, quidnam tandem hominibus propositum sit serium, vereque bonum et honestum, quod in hac vita conficiant. Nam reliqua omnia, quæ præclara et admiratione digna censentur, percurri,

4. Velut excelsissimarum ædium erectiones, et vitium consitiones,

5. Atque insuper hortorum structiones, frugiferarumque omnis generis arborum possessiones, studiosasque excultiones :

6. Ubi etiam ingentes lacus ad aquarum exceptiones confecti sunt, ad uberem et copiosam arborum rigationem distributi.

7. Jam vero famulorum quoque agmine septus fui, tum servis cum ancillis : eosque partim externe comparavi, partim apud me natos possedi. Quin etiam plures quadrupedum animantium greges, tum boum, tum pecudum, in meam, quam in cujusquam eorum qui olim extiterunt, potestatem venerunt.

8. Sed et auri et argenti thesauri mihi affluebant, utpote qui reges omnes eo adduxissem ut mihi et munera afferrent et tributa penderent. Præterea chori complures ad meam oblectationem agitabantur, virorum simul et fœminarum, concinnissimum cantum et modulatissimum efficientium. Convivia porro et pincernas (nam ea in hanc voluptatis partem retulerant) ex utroque hominum sexu delectos, et eximios, ne numero quidem complecti possim.

9. Adeo his omnes qui ante me Hierosolymis regnarunt antecellui! Hinc autem contingebat, ut mihi et sapientia imminueretur, et vitiosa cupiditas cresceret.

10. Nam cum omnibus oculorum illecebris, et impotentibus petulantibusque cordis desideriis, undique incursantibus, totas habenas permisissem, ac voluptatum spei meipsum dedissem; miseris omnibus deliciis animi voluntatem astrinxi. Meæ namque cogitationes eo infelicitatis prolapsæ sunt, ut hæc honesta et egregia, dignaque quæ facerem, arbitrarer.

11. Tandem vero expergefactus, atque oculis restitutus, ea quæ in manibus habebam, ærumnosa simul acerbitatisque plena esse perspexi, spiritusque non boni opificia. Neque enim ullum hominum studium vitæque institutum comprobandum mihi nunc videtur, nec recto judicio expetendum.

12. Proinde mente collectis et sapientiæ bonis et stultitiæ malis, merito hunc virum ingenti admiratione dignum censuerim qui, cum præceps ferretur temereque vagaretur, postea mente recepta ad virtutem officiumque rediit.

13. Prudentia enim et dementia magno interstitio disjunctæ sunt, nec minus inter utramque est discriminis, quam inter diem et noctem.

14. Quocirca qui virtutem amplexus est haud mihi ab eo differre videtur qui rem unamquamque perspicue cernit, sursumque prospectat, clarissimæque lucis tempore iter facit. Contra qui se vitio atque omnis generis erroribus implicuit haud absimilis est homini in profunda caligine oberranti, quippe qui cæcitate affectus sit, atque a negotiorum tenebris exoculatus.

15. Denique utriusque hujus vitæ differentiam animo assecutus, nihil postea reperi : quin illud potius fore, ut si ad stultorum societatem et sodalitium contulissem, stultitiæ præmia ferrem. Quid enim ex argutiis illis commodi referri, aut quid fructus ex prolixis sermonibus colligi potest, cum quidem loquacitatis importunæ flumina ab insipientia velut a fonte oriantur?

16. Sapienti porro et stolido nihil commune est, nec quantum ad hominum memoriam, nec quantum ad Dei remunerationem. Res autem humanas, cum adhuc oriri videntur, jam finis arripit. Sapiens porro ejusdem cum stolido finis nunquam est particeps.

17. Quare vitæ omnis meæ odio flagrare cœpi, quam in rebus vanis traduxeram atque consumpseram, terrenis laboribus intabescens.

18. Etenim, ut uno verbo complectar, omnia mihi magna cum molestia elaborata sunt, præcipiti animi impetu ita me pertrahente :

19. Atque ea alius excepturus est, sapiens an excors et

stolidus, nescio, frigidos inquam laborum meorum fructus. His autem excussis atque projectis, mihi vera bona hominibus proposita apparuerunt, hoc est, sapientiæ cognitio et fortitudinis adeptio. Quod si quis, harum cura neglecta, cujuspiam alius rei cupiditate incitatur, hic et mala bonis anteponit, et vitium pro benignitate consectatur;

20. Et ærumnam pro quiete, variis tumultibus distractus, noctu atque interdiu divexatus, tum urgentibus corporis laboribus, tum perpetuis animæ curis, pectore illi ob absurda negotia ingemiscente et palpitante.

21. Neque enim summum et perfectum bonum in esculentis et poculentis consistit : etsi alioqui maxime Dei beneficio alimenta mortalibus contingunt. Nihil enim eorum quæ nobis ad salutem data sunt, citra ipsius providentiam existit.

22. Verum probus quidem vir, sapientiamque Dei dono consecutus, cœlesti voluptate fruitur :

23. Improbus autem malis divinitus immissis stimulatus, avaritiæque morbo correptus, multa congerere studet,

24. Atque eum quem Deus honore affecit, in Domini omnium conspectu probris incessere festinat, dona inutilia porrigens, insidiosa simul et vana animæ suæ miseræ studia faciens.

CAPUT III.

1. Enimvero hoc tempus rebus inter se maxime contrariis plenum est;

2. Partus et mortis, ortus stirpium, et eversionis atque interitus,

3. Curationum et cædium, extructionis ædium et disturbationis,

4. Gemitus et risus, planctus et saltationum.

5. Nunc quispiam terræ fructus colligit, nunc rursus ejicit : nunc mulierem deperit atque insano amore complectitur, nunc eam infense odit et aversatur :

6. Nunc aliquid quærit, nunc amittit : nunc diligenter asservat, nunc projicit :

7. Nunc interficit, nunc obtruncatur : nunc loquitur, nunc silentio acquiescit :

8. Nunc amat, nunc odio insectatur. Res enim humanæ nunc bello afflictantur, nunc tranquillæ et pacatæ sunt; tantaque est earum inconstantia, ut quæ modo secundæ esse videbantur, celeri momento in certissima mala delabantur.

9. Ac proinde vanis laboribus exerceri desinamus.

10. Hæc enim omnia, ut mihi quidem videtur, ad homines virulentis aculeis concitandos posita sunt :

11. Atque perversus quidem explorator occasionisque captator huic sæculo inhiat, Dei figmentum delere ac perdere omni contentione adnitens, ut qui a principio ad extremum usque cum eo confligere instituerit.

12. Persuasum itaque habeo animi hilaritatem,

13. Et beneficentiam, maxima homini bona esse;

14. Atque adeo brevem hanc solam voluptatem divinitus obvenire, si rebus gerendis justitia præeat.

15. At vero æternarum rerum corruptionisque expertium, quas Deus firmissime constituit, nec aliquid detrahere nec addere quisquam potest.

16. Verum formidolosæ simul et admirabiles illæ sunt: atque eæ quidem quæ jam fuerunt stabiles manent ; quæ autem futuræ sunt jam secundum præscientiam extiterunt.

Cæterum is qui injuste læsus est Deum auxiliatorem ac vindicem habet.

17. Porro in inferis partibus supplicii barathrum vidi impios excipiens; piis contra, sedem alteram patefactam.

18. Illud quoque cogitavi, apud Deum æqualia omnia esse, existimari et judicari, idem esse justos et injustos, idem animalia ratione utentia et bruta;

19. Tempus enim omnibus æque admensum esse, et mortem impendere, idemque apud Deum esse hominum et jumentorum genus, sola tantum articulata vocis prolatione inter se differre, reliqua autem omnia ipsis eodem modo contingere;

20. Nec mortem magis in cætera animalia quam in homines grassari;

21. Omnibus enim æqualem spiritum esse, nec quidquam omnino amplius homines habere, sed cuncta, ut uno verbo dicam, vana esse, ab eadem terra coagmentationem habentia, atque in eamdem terram dilapsura : incertum enim esse, tum de humanis animabus, an sursum convolaturæ sunt; tum de reliquis, quas animalia ratione carentia acceperunt, an deorsum diffluxuræ sint.

22. Ac mihi nullum aliud bonum esse videbatur, quam deliciæ et præsentium commodorum usus. Neque enim fieri posse putavi ut quisquam rursus ad fruendas voluptates accedat, posteaquam mortem semel degustarit.

CAPUT IV.

1. Ab his omnibus cogitationibus animum revocans, consideravi, atque aversatus sum omnia sycophantiarum ge-

nera inter homines errantia, quibus nonnulli inique circumventi ac per vim dejecti, lacrymas fundunt atque ingemiscunt, undique ab amicis prorsus inopes, qui eorum causam tueantur, aut certe afflictos consolentur. At vero importuni homines, jusque in manibus habentes, in sublime vehuntur, ob eamque causam corruent.

2. Enimvero ex consceleratis et audacibus, ii qui ex hac vita migrarunt, meliori conditione sunt quam qui etiamnum vivunt.

3. Utrisque autem præferendus qui similis eorum futurus est, nec creatus adhuc est, quoniam hominum improbitatem nondum attigit.

4. Perspicuum mihi quoque factum est, quanta proximorum invidia probum virum sequatur, œstrum existens impuri spiritus ;

5. Quodque is qui hanc susceperit, ac velut pectore complexus fuerit, nihil aliud habet, quam quod animam suam exæstuat et dissecat, simulque cum corpore absumit, mœrorem acerbissimum ac solatii omnis expertem, aliorum prosperitatem existimans.

6. Atqui præoptarit vir sapiens et cordatus alteram manum cum facilitate et lenitate implere, quam utramque cum ærumna et fraudulenti spiritus calliditate et versutia.

7. Est et quiddam aliud, quod præter fas et æquum homini ob improbam voluntatem contingere scio :

8. Qui undique solus relictus, nec aut fratrem aut filium habens, facultatibus autem et copiis affluens, inexplebili cupiditate ardet, nec beneficentiæ atque humanitati seipsum ullo modo tradere cupit. Ex eo igitur lubens quæsiverim, quam ob causam laboribus se conficiat, boni quidem aliquid facere summopere fugiens, multiplicibus autem quæstus aliunde faciendi cupiditatibus distractus.

9. Quanto tandem hoc meliores, qui vitæ societa-

tem inierunt ex qua optimos fructus decerpere queant?

10. Duobus enim viris rebus iisdem recte incumbentibus, etiamsi alteri quidpiam adversi accidat, tamen haud leve subsidium in sodali et contubernali suo positum habet. Gravissima autem est calamitas homini adversa fortuna utenti, carere amico, qui jacentem luctuque afflictum excitet ac recreet. At qui contubernii necessitudine juncti sunt, et prosperi successus voluptatem sibi invicem conduplicant, et rerum præter voluntatem fluentium tempestatem leniunt :

11. Adeo ut et diu mutua libertate splendescant, et noctu honestate et gravitate fulgeant.

12. Contra qui vitam ab omni hominum societate semotam ducit, horrendam quamdam vitam degit, non intelligens eum temere ac periculose sibi consulere qui multos homines mutuo præsidio circumseptos adortus fuerit, ac præterea funem triplici nexu contextum haudquaquam facile perfringi solere.

13. Ego vero juvenem pauperem, modo prudentia ornatum, seni regi stolido antepono, cui in mentem non venit fieri posse

14. Ut quispiam ex carcere ad regni gubernacula constituatur, ipse autem postea iniquo principatu juste exturbetur.

15. Nonnunquam enim evenit ut qui juveni quidem, cæterum cordato, subsunt, mœstitia vacent, saltem majores natu. Nam qui postea in lucem prodierunt, quoniam alterius periculum non fecerunt, ne hunc quidem laudare possunt :

16. Abducti videlicet inconsulto consilio, adversariique spiritus impetu præcipites acti.

17. Quisquis autem ecclesiastæ munere fungeris, illud ob oculos habeto, ut et rectum vitæ iter teneas, et pro

stultis preceris, ut accepta prudentia malorum actiones vitare sciant.

CAPUT V.

1. Linguæ autem parcere præclarum est, atque ad loquendi studium gravitatem constantiamque cordis adhibere. Non enim nos inconsulto loquendi studio teneri oportet, eaque quæ in mentem veniunt, quamvis absurda, proferre atque emittere : verum illud cogitare, quod, licet magno intervallo a cœlo distemus, certum est tamen sermones nostros a Deo exaudiri : atque utile est lapsum in loquendo cavere.

2. Quemadmodum enim varias animæ curas multiplex insomniorum species subsequitur, ad eumdem quoque modum stultis verbis nugacitas conjuncta est.

3. Pollicitatio porro voto facta, finem per opus accipiat. Est hoc stultorum proprium, ut rejecti sint. At tu verax esto,

4. Sciens longe tibi satius esse non vovere, nec facturum aliquid polliceri, quam post conceptum votum id relinquere.

5. Omni autem ratione fugiendum est turpium verborum profluvium : nec enim Deo inaudita erunt. Nam ad eum qui hæc cogitat nulla alia utilitas reddit, quam ut sentiat opera sua a Deo labefactari atque corrumpi.

6. Ut enim magna insomniorum ars vana est, sic etiam pleraque verba. Timor autem Dei, hominibus quidem salutaris ; cæterum rarus.

7. Quocirca nihil est cur mireris, si et pauperes calumniis opprimi, et judices legibus imposturam facere videris.

8. Cavendum porro est, ne iis qui potentia præstant majores esse videamur. Nam etiamsi hoc acciderit, tamen ex horrendis cruciatibus in quos incidemus, nequaquam nos improbitas ipsa per se liberabit.

9. Quemadmodum autem facultates raptu collectæ ac per vim extortæ, perniciosissimæ et sceleratissimæ sunt; sic etiam homini pecuniarum cupiditate flagranti nunquam satietas nec proximorum benevolentia provenit, quamlibet maximam vim argenti quæsiverit : hoc enim vanum est et inane. At probitas familiares suos majorem in modum oblectat, fortesque efficit, rem unamquamque perspiciendi facultatem præbens.

10. Sed et hujusmodi curis minime inhæsisse, animumque defixisse, magnum censendum est.

11. Enimvero pauper, licet servitute prematur, ventremque suum largius non impleverit; tamen suavis somni quiete fruitur : opum autem cupiditas indivulsas comites habet vigilias et animæ labores.

12. Quid porro absurdius esse queat, quam cum magno studio et cura reconditas opes conservare, ac sexcentorum malorum occasiones sibi ipsi custodire?

13. Ac divitias quidem illas labefactari et perire necesse est, sive ei qui has adeptus est liberi sint, sive nulli :

14. Ipsum autem, vel invitum ac repugnantem, talem in terram cadere atque discedere oportet, qualis erat cum in hanc lucem prodiit.

15. Ita vacuis manibus abcessurus peccatum suum augebit, perinde atque hoc non cogitans, nativitati similem vitæ finem sibi imminere, seque inani labore torqueri.

16. Atque in quemdam potius venti impetum, quam suo ipsius studio inserviens, totam vitam suam tum in impurissimis libidinibus, tum in temerariis cupiditatibus, ac præterea in mœroribus morbisque consumit. Atque, ut

compendio dicam, hujusmodi homini dies tenebræ sunt, ac vita luctus.

17. Quanquam illud bonum est ac minime rejiciendum.

18. Dei enim hoc donum est, ut quispiam laboribus suis cum animi oblectatione perfruatur, divinitus acceptas ac non vi exceptas opes possidens.

19. Neque enim ille mœroribus affligitur, nec, ut plurimum, malis cogitationibus servit : quin potius beneficentiis et largitionibus vitam suam metitur, in omnibus rebus animi tranquillitate fruens, atque ob Dei donum lætitia gestiens.

CAPUT VI.

1. Jam vero infelicitatem apud homines maxime grassantem oratione persequar.

2. Cum nimirum Deus cuipiam omnia quæ ipsi cordi erant abunde suppeditaverit, nec ulla omnino re ex omnibus quæ animum cupiditate tentant eum spoliaverit, non opibus et facultatibus, non gloria et splendore, non reliquis aliis omnibus quæ mortales ad stuporem usque admirantur. Ille autem omnibus rebus circumfluens (quasi hac una calamitate divinitus inflicta teneatur, quod earum fructu careat) alii sua asservat, inutilis prolapsus et sibi et proximis.

3. Hoc sane argumentum magnum signumque perspicuum extremæ cujusdam improbitatis esse censeo. Quin illum quoque hominem qui plurimorum liberorum pater sine ulla offensione nominatus, vitaque in longum producta, benignitate tamen animum tanto tempore non expleverit, mortis interim periculo haudquaquam facto : hunc equidem

nec numerosæ prolis, nec diuturnitatis vitæ nomine beatum duxerim; immo vero fœtum e materno ventre præmature dejectum, atque abortu egestum, ipse præferendum puto.

4. Ille enim, ut incassum venit, ita clanculum etiam et cum oblivione discedit,

5. Non degustatis hujus vitæ malis, nec sole prospecto.

6. Quod quidem levius est quam quod improbo illi ac flagitioso homini accidit qui, licet in mille annos vitam suam propagarit, vitæ tamen commoda non agnovit. Utriusque porro finis mors.

7. Cæterum hic maxime stultus convincitur, quod nullius cupiditatis saturitate capiatur;

8. At prudens et moderatus his affectibus minime involutus tenetur. Fere fit autem ut vitæ rectitudo et integritas hominem ad paupertatem ducat.

9. Multos vero de mentis gradu dejiciunt procacium oculorum aspectus, animam incitantes, ac per inanem videndi cupiditatem ad inutile studium pertrahentes.

10. Enimvero ea quæ nunc facta sunt jam cognita sunt: perspicuumque est hominem iis quæ supra se sunt reluctari atque obsistere non posse.

11. Cæterum nugæ et ineptiæ inter homines versantur, eorum qui iis utuntur amentiam augentes.

CAPUT VII.

1. Nam cum nihilo majorem utilitatem is percipiat qui ea quæ ex animi sententia sibi in vita eventura sunt perspecta habet (fingamus id enim) : tamen hoc quoque hominum curiositas comminiscitur, ut ea etiam quæ post mortem alicujus futura sunt anxie inquirant, ac scire videantur.

2. Porro fama bona suavior est animæ quam oleum corpori, et vitæ exitus melior nativitate :

3. Atque optabilius et præstabilius lugere quam comessari, ac mœrentibus adesse quam ebrietati studentibus. Sic enim se res habet, quod si quis hunc vitæ finem nactus fuerit, de his quæ circa se sunt, nec timore nec sollicitudine afficiatur.

4. Consimili modo prudens ira risui præferenda est. Severa enim vultus habitudine anima ad rectum honestumque componitur.

5. Ac sapientum quidem animæ tristitia contrahuntur : stultorum autem animæ lætitia elatæ diffunduntur.

6. Atqui multo magis optandum sapientis unius objurgationem excipere quam totius chori improborum et miserorum hominum cantantium auditorem fieri.

7. Stolidorum etenim hominum risus, spinarum multarum quæ ingenti flamma exuruntur sonitui haud absimilis est

8. Sed profecto gravissimum malum est calumnia; hæc enim sapientum animabus insidias struit, ac generosam bonorum virorum constantiam labefactare molitur.

9. Porro autem hunc laudibus efferre convenit, non qui initium, sed qui dicendi finem facit. Morum etiam moderatio laudibus complectenda, non elatio et arrogantia.

10. Insuper animi furorem summo studio frænare et coërcere necesse est, nec prompte et temere in iram ruere, cui stulti serviunt.

11. Errant autem qui meliorem vitam majoribus nostris datam esse affirmant : nec intelligunt sapientiam opum copia longe præstantiorem esse,

12. Tantoque clariorem, quanto argentum umbra sua splendidius apparet.

13. Vita enim hominis, non ex caducarum et fragilium

opum collectione et possessione, verum ex sapientia provenit.

14. Quis autem, quæso, tantam tamque benignam Dei providentiam verbis consequi poterit?

15. Aut quis ea quæ summa cum ratione a Deo neglecta esse videntur, revocare?

16. Ego vero, minus recte id quidem faciens, omnia consideravi, et justum in justitia constanter perstantem, nec ab ea per omnem vitæ cursum desciscentem, imo etiam propter eam insidiis petitum; et injustum simul cum improbitate sua morientem.

17. Illud autem homini justitia prædito videndum est, ne admodum talis esse videatur, nec supra modum sapiens : ne si qua in re offenderit, multis partibus copiosius peccet.

18. Illud etiam tibi cavendum, ne audax et temerarius sis : ne alioqui te intempestiva et præmatura mors abripiat.

19. Maximum autem bonum, Deum complecti et apprehendere, atque in eo manentem ab omni peccato abstinere. Res etenim maculæ omnis expertes impura manu contrectare, nefarium et execrabile est. Qui autem cum Dei timore cedit, adversa omnia effugit.

20. Sapientia auxilii in civitate plus potest quam potentissimorum hominum acies. Quæ etiam plerumque iis qui ab officio aberrarunt juste ignoscit.

21. Nemo enim est qui non interdum labatur.

22. Est autem tibi providendum, ne ad impiorum sermones ullo modo accedas : ne maledicta in te jacta tuismet auribus hauriens, quemadmodum improbi servi nugas,

23. Atque ex ea re animo commorsus, in multis postea actionibus ad regerenda convicia et execrationes ipse quoque abducaris.

24. Hæc omnia ego noram, sapientiam a Deo consecutus, qua deinde amissa,

25. Jam mei similis esse nequibam.

26. Sapientia enim a me in infinitam longitudinem fugit, et in immensam profunditatem : ut mihi eam arripere ultra non liceat. Quare ab ea quoque inquirenda omnino abstinui : jamque nec in animo habebam impiorum amentias et vana consilia vitamque misere palantem considerare.

27. Sic autem animo constitutus, in hæc devolutus sum; ac mortifera cupiditate correptus, mulierem cognovi, hoc est, terram quamdam, aut si quid aliud est hujusmodi. Cor etenim ejus prætereuntes irretit; ac si vel manum tantum manui connexuerit, non minus arcte retinet quam si vinculis constrictos traheret. Nec vero ab ea aliter liberari queas, quam Deum propitium ac benigno oculo intuentem nactus. Nam qui peccati servitute premitur haudquaquam effugerit.

28. Porro cum per omnes mulieres pudicitiam earum quæsivissem, in nulla reperi.

29. Ac pudicum quidem virum inter mille fortasse perspexeris : mulierem autem minime.

30. Illud vero maxime animadverti, quod homines animis simplices a Deo creati, varias cogitationes rationisque discursus, atque infinitas quæstiones sibi ipsis attrahunt, quique sapientiæ studium et inquisitionem profitentur, circa dictiunculas tempus terunt.

CAPUT VIII.

1. Sapientia autem, cum in homine exploratur, ipsum quoque domini vultum perspicue collustrat : quemadmodum contra impudentia eum in quo domicilium habet, statim ut visus est, odio dignum esse coarguit.

2. Regis sermonibus diligenter advertere convenit, ac jusjurandum omni ratione fugere, idque præsertim quod in Dei nomine concipitur.

3. Interim tamen æquum fuerit sermoni malo imminere, verum cavere ne blasphemiam ullam in Dominum effundamus. Non enim de pœnam aliquam infligente queri licebit, nec unius illius Domini et regis placitis obsistere.

4. Melius autem et conducibilius fuerit sacrosanctis mandatis acquiescentem, ab improbis sermonibus removeri.

5. Sapiens enim vir tempestivum illud judicium justum fore scit atque prænoscit. Omnes enim vitæ humanæ res supernam pœnam manent :

6. Verum improbans haud admodum scire videtur quod, cum multa super se Dei providentia sit, nihil prorsus in posterum ei obscurum erit.

7. Non enim scit quæ postea futura sunt. Neque quisquam est qui aliquid eorum pro dignitate exponere queat :

8. Quoniam nemo tantis viribus futurus est, ut Angelum animam suam eripientem arcere ac prohibere possit; nec ars omnino ulla et astutia invenietur, quæ mortis tempus repellat, ac velut exceptione submoveat : verum quemadmodum in medio bello captis fuga omnis undique præclusa perspicitur, atque omnis hominis impietas simul perit.

9. Enimvero quoties contemplor quæ et quanta mortales in proximorum pernicie studiose excogitarunt, totus obstupesco.

10. Illud quidem compertum habeo, prius quoque ex hac vita abripi impios, ac de medio tolli, eo quod vanitati se ipsos dediderunt.

11. Quoniam enim Dei providentia propter summam animi æquitatem et patientiam haudquaquam omnes con-

festim persequitur, nec malus statim post admissa flagitia pœnis afficitur :

12. Ob eam causam, sibi fas esse putat vir pravus diutius peccare, quasi innoxius discessurus : illud videlicet non intelligens, quod etiam post longum a perpetrato scelere tempus Dei scientiam non fugiet. Illud vero præstantissimum bonum est Dei metu affici,

13. A quo cum impius exciderit, haud diu stultitia sua abutetur.

14. Pessima autem et falsa opinio per homines plerumque grassatur, tum de justis, tum de injustis : de utrisque enim contraria existimant. Nam et qui justitia præditus est, non talis habitus est : et rursus impius prudentis viri opinionem tulit. Quem quidem errcrem in primis gravem esse statuo.

15. Quin etiam aliquando summum bonum in cibo et potu situm esse judicavi ; eumque Deo charissimum qui toto vitæ spatio his quam maxime fieri potest frueretur :

16. Atque hujusmodi hilaritatem unicum vitæ solatium arbitratus sum. Ac proinde in nullam aliam rem quam in hanc opinionem incumbebam, ut nec noctu nec interdiu quidquam eorum quæ ad delicias a mortalibus inventa sunt mihi interdicerem, ab eoque me abducerem.

17. Cæterum hoc cognovi, quod quisquis se his rebus inquinaverit, nullo, quamlibet longo labore, verum bonum unquam reperiet.

CAPUT IX.

1. Tum enim homines omnes iisdem rebus dignos habitos esse putabam. Ac si quis sapiens justitiæ curam gessis-

set, atque ab injustitia recessisset, animique dexteritate et facilitate omnium odium fugisset (quod quidem Deo gratum est), hic mihi inanem laborem suscipere videbatur.

2. Denique unum eumdemque finem esse arbitrabar justi et injusti, boni et mali, puri et impuri, Deo supplicantis minimeque supplicantis.

3. Nam cum injustus et probus, pejerator et jusjurandum omne fugiens, ad eumdem finem spe atque opinione mea contenderent : subibat animum sinistra quædam cogitatio, omnes in eadem desinere. Nunc vero perspectum habeo stultorum esse has cogitationes, ac fraudes et imposturas.

4. Ac multis verbis illud occinunt, eum qui mortem obiit omnino interire; ac viventem mortuo præferendum esse, etiamsi in tenebris jaceat, etiamsi canino more vitæ iter traducat, supra leonem mortuum :

5. Etenim eos qui vita fruuntur hoc saltem scire, quod morituri sint; eos autem qui vita functi sunt nihil prorsus cognoscere : præmia porro pœnasque nullas post expletum vitæ cursum proponi :

6. Odium insuper et benevolentiam erga eos qui vitam cum morte commutarunt finem habere; eorum enim tum invidiam æmulationemque defecisse, tum vitam obscuratam et extinctam esse : postremo nullius rei eum participem esse qui semel ex hac vita migravit. Hæc error accinens, hujusmodi quoque consilium porrigit :

7. Heus tu quid facis, ac non deliciis indulges, nec omnis generis eduliis ingurgitaris, vinoque te immodice exples? An non intelligis tibi hæc divino munere concedi, ut arbitrio tuo ac sine impedimento fruaris?

8. Quin tu vestem recens sordibus detersam induis, capiteque unguentis delibuto :

9. Hanc atque illam mulierem cernis, vanamque vitam

vane transigis? Nihil enim præter hæc tibi reliquum est, nec in hac vita, nec post mortem.

10. Facito igitur quæ temere et ultro occurrunt. Neque enim rationem horum quisquam a te exiget : nec hominum facta nisi apud homines, ullo modo cognoscuntur. Orcus autem, quicumque tandem ille est, ad quem abire dicimur, sapientiæ et sensus est expers. Atque hæc vani homines loquuntur.

11. Ego vero certum habeo, nec eos qui pedum levitate præstare videntur, magnum illum cursum peracturos; nec eos qui potentes et formidabiles apud homines habiti fuerint, bellum illud formidabile confecturos. Nec vero prudentia in ciborum copia exploratur, nec sagacitas quidquam commune habere cum opibus consuevit.

12. Nec iis gratulandum puto qui omnes ad eadem perventuros esse arbitrantur. Gravi enim sopore oppressi mihi videntur qui res hujusmodi cogitant, nec secum reputant fore ut piscium aviumque instar abrepti, in malis versentur, ac subito pro scelerum merito pœnas luant.

13. At enimvero sapientiam tanti facio atque æstimo, ut parvam etiam civitatem a paucis habitatam, atque adeo a magno rege cum exercitu circumsessam, magnam et frequentem existimem, si vel pauperem unum sapientem virum civem habeat.

14. Hic enim, tum ab hostium impetu, tum ab aggeribus et cuniculis civitatem suam incolumem tueri possit.

15. Et quamvis alii pauperem illum sapientem non agnoscant,

16. Ego tamen sapientiæ vires populari huic potentiæ longe antepono. Verum hic quidem jacet et contemnitur sapientia quæ cum paupertate conjuncta est :

17. At postea audietur, altiorem vocem edens quam principes et tyranni malorum cupiditate flagrantes. Sapientia enim ferro etiam ipso fortior est :

18. Stultitia autem unius multis periculum accersit : etiamsi multis levis et contemptibilis sit.

CAPUT X.

1. Nam muscæ in unguentum prolapsæ et suffocatæ, indecorum suavis illius liquoris aspectum et unctionem reddunt : sapientiæ autem et stultitiæ simul meminisse nihil convenit.

2. Sapiens quippe ad res dextras et honestas sibi ipsi dux est : stultus autem ad lævas propendet, nec unquam ad res præclaras duce stultitia utetur.

3. Quin ipsius quoque cogitationes sanæ sunt, stultitia oppletæ.

4. Quod si te, o amice, spiritus hostis aliquando adortus fuerit, forti animo resiste, sciens Deum vel ingentem peccatorum multitudinem benignitate sua condonare posse.

5. Tyranni autem, patrisque omnis improbitatis malitiæ, hæc opera fuerint,

6. Stultum quidem in sublime attolli, prudentiæ autem opibus affluentem deprimi ;

7. Et peccatorum quidem servos equis vectos, sacrosanctos vero homines pedibus iter inhoneste facientes, conspici, improbis exultantibus.

8. Quod si quis alteri insidias moliatur, imprudens sibi ipsi primo et soli insidias struit. Qui autem alterius securitatem evertit, in serpentis morsum incidet.

9. Quin is etiam qui lapides extrahit laborem haud parvum sufferet, et qui ligna conscindit suismet instrumentis periclitabitur.

10. Quod si forte securis e manubio exilierit, perturba-

bitur qui huic operi incumbit, haudquaquam in bonum comportans, suasque injustas et brevi perituras vires ipse adaugens.

11. Est vero furtivus et clandestinus serpentis morsus : incantatores (quo genere nihil vanius) nihil solatii afferent.

12. Enimvero bonus vir tum sibi tum proximis bona operatur.

13. Contra stultus per ineptam suam loquacitatem in perniciem ruet.

14. Cum semel os aperuerit, stulte orditur et statim dicendi finem facit, stoliditatem suam perpetuo ostendens. Fieri autem minime potest ut homo ea quæ a principio fuerunt aut postea futura sunt cognoscat, et ab homine discat. Quis enim erit qui indicet?

15. Homo autem qui in bonam civitatem proficisci nescit, et oculis et toto vultu afflictatur :

16. Huic autem civitati mala prænuntio, cujus et rex adolescens est, et principes ventri dediti.

17. Contra bonam illam terram beatam prædico, cujus ingenuus vir regnum tenet; ubi tempestive bonis fruuntur qui illic præfecturis et dignitatibus ornati sunt.

18. At piger et ignavus domum minuunt, derisores et scurræ facti,

19. Atque ad ingluviem suam rebus omnibus abutentes, argento ductiles, exigui pretii causa turpiter et abjecte quidvis facere sustinentes.

20. Regi autem et præfectis aut proceribus audientem esse convenit, ac non ipsis in offensam venire, nec molestum ullum verbum in eos projicere. Periculum enim est ne id etiam quod occulte ac remotis arbitris dictum fuerit, in lucem forte veniat. Etenim soli et diviti et magno regi nuntii celeres et pennati omnia perferunt, spirituali simul et rationali ministerio fungentes.

CAPUT XI.

1. Justum est autem egenti panem et ea quæ ad vitam tuendam necessaria sunt impertiri. Quamvis enim id statim perdidisse quibusdam videaris, quemadmodum si panem in aquam conjecisses; tamen temporis progressu beneficentiam tibi haudquaquam infrugiferam fuisse comperies.

2. Munifice autem largire, ac pluribus tua divide. Non enim tibi notum est quid tandem postera dies efficiet.

3. Nam nec nubes copiosam suam pluviam retinent, sed imbrem in terram fundunt: nec arbor perpetuo stat; verum, ut homines ei parcant, a vento certe convelletur.

4. Jam multi quæ a cœlo eventura sint præscire gestiunt, nec deest qui in nubes intuens ventumque expectans, a messe aut ventilatione abstinuerit, rei videlicet vanissimæ fidem adjungens,

5. Nec eorum quæ divinitus futura sunt quidquam cognoscens: quemadmodum nec quid mulier prægnans paritura sit.

6. Cum autem sementem tempestive feceris, fructus collige; atque comporta, cum hujus rei tempus advenerit. Incertum est enim quænam ex his quæ consita sunt meliora futura sint. Utinam autem omnia bene succedant!

7. At enimvero cum quispiam animo reputat quod et sol pulcher, et suavis hæc vita, et bonum longa tempora in perpetuis voluptatibus explere,

8. Et res horrenda mors malumque sempiternum, atque in nihilum ducens, faciendum sibi censet ut præsentibus vitæ commodis, speciemque jucunditatis habentibus, perfruatur.

9. Atque etiam juvenes admonet ut ætatis flore abutan-

tur, animas suas ad omne voluptatis genus remittentes, atque ut cupiditatibus suis obsequantur, et quæ ipsis visa fuerint faciant, et quæ oblectationem afferunt spectent, et quæ aliter se habent aversentur. Ad quem hoc tantum dixerim :

10. Parum sanæ mentis es, o homo, qui Dei horum omnium vindicis judicium non expectas. Sed et flagitiosa est comessatio, et libido, et impura corporum nostrorum contumelia pestilens. Juventutis enim assecla est stultitia : stultitia autem ad exitium ducit.

CAPUT XII.

1. Operæ pretium autem est, dum juvenili adhuc ætate flores, Dei timore affici, priusquam malis teipsum tradas, priusquam veniat dies Domini magnus et horrendus,

2. Cum jam nec sol, nec luna, nec reliqua sidera splendebunt,

3. Verum supernæ virtutes in illa rerum omnium tempestate atque tumultu movebuntur, hoc est, angeli orbis custodes,

4. Ut et viri præpotentes conquiescant, et mulieres operandi finem faciant,

5. In obscuras et caliginosas ædium partes fugientes, januis omnibus clausis : ac mulier quædam, molæ operam dare ob metum desinens, perexili voce instar tenuissimæ aviculæ utetur, atque omnes impuræ mulieres in terram corruent, et urbes et earum magistratus immanes et sanguinarii supernum supplicium expectantes, ingruente acerbissimo et cruento tempore, quasi florente amygdala, continuisque pœnis incumbentibus, velut numeroso quodam

volantium locustarum agmine, ac de medio ejectis et sublatis flagitiosis hominibus, haud secus ac nigra quadam et despicabili capparide.

6. Ac vir quidem probus in domum suam sempiternam lætus proficiscitur : improbi autem sua omnia planctibus implebunt, nec jam argentum reconditum, nec aurum probum utilitatis quicquam habiturum est. Magna etiam plaga omnia occupabit, ad hydriam etiam usque ad fontem aliquem stantem, et rotam vehiculi quam in cisternæ concavitate relictam esse contigerit :

7. Hoc nimirum ablutionem ferente sæculo tum conversionis atque jactationis, tum ejus vitæ quæ per aquam comparatur, tempus prætergresso. Hominibus porro in terra jacentibus hæc una salutis ratio est, ut eorum animæ eum agnoscant atque ad eum convolent a quo creatæ sunt.

8. Itaque, ut ea quæ prius dixi repetam, admodum vane mortales affecti sunt, tantaque est rerum quæ ab illis excogitantur vanitas, ut ad illius magnitudinem accedere nihil omnino possit.

9. Ac mihi quoque inanis et supervacaneus labor suscipitur, sapienter et erudite concionanti; quippe qui populum hunc docere aggrediar, ita misere perditeque affectum ut nec doctrinam nec curationem admittat. Opus est autem viro forti et generoso, ad hoc ut sapientiæ sermones intellectu assequi queat.

10. Ego vero jam grandis natu, longumque vitæ spatium emensus, in iis quæ Deo grata et accepta sunt, per veritatis mysteria exquirendis, animum defatigavi.

11. Illud autem exploratum habeo, animos non minus extimulari sapientum præceptis quam solent corpora stimulo aut clavo confixa et perforata. Nonnulli autem sapientissima illa documenta a bono uno pastore et magistro acce-

pta, quasi ex uno ore omnes atque inter se concordes dabunt, creditam suæ doctrinam fidei copiosius exponentes.

12. Cæterum verborum multorum nullus est fructus : nec tibi, vir amice, auctor fuero ut ea quæ minus convenit inutili opera conscribas, ex quibus præter inanem laborem nihil commodi capiatur.

13. Reliquum jam est ut hujusmodi quodam epilogo utar : O homines ! en vobis aperte breviterque denuntio, ut Deum omnium dominum et inspectorem timeatis, ejusque præcepta servetis,

14. Vobisque persuadeatis omnia postea judicium subitura, atque unumquemque operum suorum, tam bonorum quam malorum, mercedem pro dignitate accepturum.

S. GREGORII THAUMATURGI

IN ORIGENEM

PROSPHONETICA AC PANEGYRICA

ORATIO,

QUAM CÆSAREÆ PALÆSTINÆ, POST MULTORUM ANNORUM APUD ILLUM DISCIPLINAM, DIXIT, CUM IN PATRIAM REDITUM PARARET.

(GERARDO VOSSIO INTERPRETE.)

I. Præclara quædam res est silentium, tum aliis plerumque permultis, tum mihi nunc vel maxime, qui volens nolensque clausum os habeo, et tacere cogor. Inexercitatus enim sum ac plane rudis sermonum illorum elegantium atque ornatorum qui, selectis probatisque nominibus ac verbis, perpetuo quodam et inoffenso ductu pronuntiantur ac componuntur : fortasse quidem et a natura ipsa ad venustum hoc et vere Græcanicum opus elaborandum minus comparatus. Sed et octavus jam annus hic est ex quo non brevem longamve orationem ullam habui ipse, aut scripsi; nec alium audivi quemquam vel privatim scribentem dicentemve, vel publice panegyricos sermones controversiasque declamantem, præter hosce admirabiles viros qui pulchram philosophiam amplexi sunt : quibus scilicet elocutionis elegantiæque verborum cura minor est; postpositis autem vocibus, res ipsas, ut se habent, accurate singulas

investigare et enuntiare volunt : non quod alterum illud nolint, opinor; quin volunt quam maxime præclaras et accuratas cogitationes suas præclaro et venusto sermone exprimere : sed quod fortasse non possint, nec adeo sit in promptu, hinc sacram ac divinam facultatem propriis explicare sententiis, hinc orationem verbis comptam atque concinnam afferre, et quæ duorum hominum propria cujusque est prærogativa, una et eadem, eaque parva et humana mente complecti; præsertim cum utriusque dispar ac penitus contraria sit ratio. Cogitationi siquidem inventionique rerum amicum quodam modo et consors operis est silentium : dicendi vero facultatem, et pronuntiationis dignitatem haud alibi reperias, quam in verbis verborumque assidua meditatione ac usu. Quin etiam et alia quædam mentem disciplina vehementer occupat, os linguam plane constringit, si vel exiguum quippiam Græca voce eloqui velim : mirificæ nimirum leges nostræ, quibus omnium nunc qui Romanorum imperio parent res gubernantur; quæ quidem neque conduntur neque percipiuntur sine labore ac molestia : et sapientes quidem illæ, accuratæque sunt et variæ et suspiciendæ, atque, ut uno verbo dicam, Græcissimæ : cæterum Romano expositæ traditæque sermone, admirabili sane atque magnifico, et ad imperii majestatem confirmato; sed mihi gravi nihilominus ac difficili. Non enim aliter posse me, volentem licet, unquam dixerim. Cum autem aliud nihil sint voces nostræ, quam quædam animi nostri affectionum imagines; iis quidem qui dicendi facultate valent, tanquam pictoribus quibusdam et arte peritissimis, et colorum copia instructissimis, non similes modo, sed varias etiam, et ad speciem crebra florum admixtione pulcherrimas picturas effingere licere sine ullo impedimento, confitendum est.

II. Nos vero, quasi pauperes quidam, variis hujusmodi

fucis carentes, et qui vel nunquam eos in potestate nostra habuerimus, vel eos fortasse abjecerimus; tanquam solis carbonibus aut testulis, hoc est, usitatis communibusque nominibus ac verbis, prima animi nostri sensa iis quæ suppetunt vocibus depingentes, typorum animi characteres, si non claros, nec ad speciem ornatos, at quemadmodum in carbonum pictura fieri solet, quoquo modo repræsentare conemur; si quid uspiam venustum ac disertum se offerat, id lubenter amplectentes; sin minus, id contemnentes. Verum et tertium quiddam rursum aliud est quod impedit et avocat, et multo magis quam cætera nos retinet, silentioque uti jubet, argumentum nempe ipsum; de quo dicere avebam quidem, sed cunctari nunc cogor et hæreo. De viro enim dicere institui qui homo quidem esse videtur, et talis apparet; iis vero qui magnitudinem ejus habitus moresque intueri possunt, majoribus quibusdam ornamentis instructus ac prope divinis videatur. Nec vero genus aut corporis educationem laudaturus venio, atque horum causa cunctari ac moras nectere præ metu incipio : nec robur itidem, aut pulchritudinem; hæc enim puerorum sunt encomia, quæ utrum pro dignitate dicantur, an secus, minime laborandum. De rebus quippe non stabilibus nec permanentibus, sed corruptibilibus, variisque modis et cito pereuntibus graviter ac magnifice dicere, cunctando ac pertimescendo ne frigida sit ac futilis oratio; de his, inquam, mihi dicere aliquid non fuit propositum, cum vanæ sint nulliusque usus, et tales ut nunquam de illis facere verba instituerim. Si tamen instituerem, nihil formidinis haberet oratio aut curæ, ne quid dicens infra dignitatem eloqui viderer. Nunc vero quod Deo simillimum et cum Deo cognatum in illo est, inque mortali hoc quod videtur corpore includitur, quodque violento quasi conatu agit ut Deo assimiletur; hujus ego mentionem facere, et res ma-

jores attingere parans, Deoque propterea gratias agere quod hunc mihi virum nancisci concessum sit, præter omnem tum aliorum hominum, tum etiam meam ipsius expectationem, qui id neque proposueram unquam neque speraveram; cum hæc, inquam, parvus et nullo ingenio præditus aggrediar, non immerito cunctor ac timeo, et silere prorsus malo. Et vero quiescere mihi tutum videtur, ne gratiarum actionis prætextu, præcipitantia autem forte de gravibus sacrisque minime gravia, sed humilia atque protrita dicendo, non solum veritatem non assequar, sed aliquid etiam de ea quod in me est detraham apud eos qui rem sic se habere credent : cum infirma oratio contumeliam potius inferens, quam opera facultate adæquans, effingetur. At tua quidem omnia nec minui possunt nec contumeliam pati, o carum caput; sed divina potius, in se ipsis, qualia sunt, immota permanent, nihilque ab humili et indigna oratione nostra labefactantur. Nos vero, nescio quo pacto audaciæ temeritatisque notam declinare possimus, qui præ amentia, tenui et ingenio et apparatu res magnas ac captum nostrum excedentes adoriamur. Quod si alibi, et coram aliis, simile quidpiam juvenili audacia aggressi essemus, audaces utique ac præfidentes videremur; sed tamen impudentiæ tribuenda temeritas non esset, quod non coram te hæc auderemus. Nunc autem omnem amentiæ modum implebimus, aut jam etiam implevimus, qui illotis, quod aiunt, pedibus ad aures introire ausi sumus in quibus divinum ipsum Verbum, non tectis, ut apud vulgi hominum aures, pedibus sub ænigmaticis et obscuris dictionibus, tanquam crassis pellibus, sed nudis, ut dicat quispiam, manifestum et perspicuum incedens obambulat; et nos, velut sordes ac cœnum quoddam, mortalia hæc verba nostra inferre, atque in aures divinis purisque vocibus audiendis assuetas infundere audemus. Satis ergo sit hucusque

peccasse : vel nunc tandem sapere incipiendum est; nec oratione longius producta, hic desinendum. Vellem equidem : verum pudoris fines semel egresso liceat causam prius dicere qua ductus in certamen hoc veni; si qua mihi forsitan temeritatis hujus venia concedatur.

III. Dura mihi gravisque res ingratitudo videtur ; gravis, inquam, et gravis usquequaque. Eum enim qui beneficio affectus sit, si aliter non potest, agendis saltem verbo gratiis rependere non conari, aut mente capti et sensum beneficiorum non habentis est hominis, aut immemoris. Cui vero et sensus et cognitio est beneficiorum, nisi memoriam conservet in posterum, nisi gratiam etiam aliquo modo referat bonorum auctori, iners ille est et ingratus, ac impius, ejus criminis reus quod nec magnus nec parvus ignoscat : quippe qui, si quidem magnus est et magnificus, magna ejus beneficia in ore, cum omni gratiarum actione atque honore non gerat; sin parvus et despicabilis, non omni tamen studio laudet ac celebret, non magnorum tantum, sed parvorum etiam munerum largitorem. Et a magnis quidem, animique facultate præstantibus, tanquam ex majore opum copia, magnisque divitiis, majores atque illustriores benefactoribus laudes pro viribus reddi necesse est : parvos autem, et in angusto constitutos, nec ipsos negligere aut segniores esse convenit, nec animis cadere, quasi nihil dignum perfectumque afferre possint; sed velut pauperes quidem, at tamen gratos, non ejus quem honorant, sed suam facultatem metientes, ex præsenti commoditate honores deferre, gratos illos fortasse et jucundos ei qui honoratur, nec inferiore apud eum loco quam si magna quæque ac multa offerrentur, futuros, si majore cum alacritate sinceroque et integro animo deferantur. Sic enim in sacris Litteris legere est, parvam quamdam et pauperem fœminam, una cum divitibus et potentibus, qui ex facultatibus suis

magna et opima offerebant, solam quidem parva et minima, sed omnia tamen quæ habebat, contulisse, et majoris muneris testimonium laudemque retulisse[1]. Non enim externæ, opinor, rei quæ data est quantitate, sed ipso offerentis animo ac proposito æstimandam muneris dignitatem, magnificentiamque divinæ Litteræ censuerunt. Non igitur omnino refugere nos oportet inani metu ne gratiæ cum beneficiis non adæquentur; sed contra potius audere atque omnia conari, ut si non pares, quos saltem possumus honores rependamus; quod si forte non omnino rem assequatur, partem certe aliquam pertingat oratio, atque omnimodam ingrati animi labem devitet. Improbum enim revera est pertinax silentium, plausibili quodam velo tectum, quasi nequeat quidquam pro dignitate pronuntiari : ingenui autem probique semper est animi referendæ gratiæ conatus, quamvis infra merita sit facultas ejus qui gratiam refert. Neque enim si pro dignitate dicere non possim, propterea silebo : sed ubi omnia quæ possum præstitero, jure gloriabor. Esto itaque mea hæc oratio charisteria, hoc est, gratiarum actionis : erga Deum sane universorum, dicere non ausim. Verumtamen ab illo omnia nobis bonorum initia sunt; ab eo nos agendarum gratiarum, et hymnorum ac laudum primordia ducere oportet. At nec si me totum, non qualis nunc sum, profanus et impurus, et tetro atque immundo malo conspersus et permixtus; sed nudum ac purissimum, clarissimumque et sincerissimum, et ab omni labe alienum : nec si totum, inquam, nudum me velut recens natum offeram, dignum a me tamen ullum in pretium et compensationem, omnium principi et auctori munus attulerim : quem nec privatim singuli, nec simul universi, non si in unum idemque pura omnia coalescant, et a se ipsis discedentia, ad eum tota convertantur, uno spiritu,

[1] Luc. xxi, 2 et seq.

unoque et consono sensu conjuncta, digne unquam venerari ac laudare queant. Quod enim de Deo homo quispiam recte cogitare, ac perfecte (si dici fas est) loqui pro dignitate possit; pro hac ipsa facultate qua ornatus est, et quam non ab alio ullo, sed ab ipsomet accepit, nihil utique aliunde habere potest majus quod ad gratiarum actionem retribuat.

IV. Sed nos laudationes quidem et hymnos in omnium Regem et moderatorem, perennem fontem omnium bonorum, ei qui et in hoc ipso infirmitatem nostram sanat et quod deest explere solus potest, relinquamus, præsidi, inquam, animarum nostrarum ac Salvatori, primogenito ejus Verbo, omnium conditori et gubernatori. Ipsi soli pro se ipso, et pro omnibus privatim ac universe facile est assiduas atque perpetuas gratias agere: quia cum sit ipsa veritas, et ipsa Patris universorum et sapientia et potestas [1]: ad hæc et in ipso et cum ipso vere atque omnino conjunctus, nullum est periculum ne vel per oblivionem vel insipientiam, aut præ imbecillitate aliqua, ac si quis ab eo sejunctus et alienus esset, vel assequi laudationis modum nequeat, vel ut assequatur quidem, volens tamen (quod nefas est dicere) Patrem sua laudatione destituat; cum ei soli sit in promptu perfectissime omnes congruentium illi laudum numeros adimplere; quem ipse omnium Pater unum secum faciens, per ipsum tantum non sese ipse circumambiens, æquali usquequaque cum sua virtute quodammodo honoret, et honoretur: quod quidem primus, solusque ex omnibus sortitus est Unigenitus ejus, qui in ipso est, Deus Verbum. Reliqui autem omnes ita duntaxat grati et pii esse possumus, si in eo solo pro omnibus in nos a Patre profluentibus bonis omnem dignæ gratiarum actionis conatum offeramus: unam pietatis viam hanc esse confitentes, si omnem me-

[1] Joan. xiv, 6. 1 Cor. 1, 24. Joan. xiv, 10.

moriam per ipsum conditori atque auctori omnium dedicemus. Quamobrem perpetua quæ in omnibus elucet, quæque in maximis et minimis nostri curam gerit et hucusque provecta est, providentia dignus ille Sermo ad gratiarum actionem hymnosque sufficere concedatur; ut qui perfectissimus ac vivens, et ipsius primæ mentis animatum Verbum existat : noster vero hic sermo sacro huic viro, uni inter omnes mortales potissimum, in gratiarum actionem esto : ac si quid altius porro de iis qui non cernuntur, divinioribus et hominum curam gerentibus, loqui velim, huic etiam, qui me a puero, magno quodam judicio regendum educandumque sortitus est, sacer Angelus Dei, « qui pascit me ab adolescentia mea [1], » ut ait ille Deo charus vir (Jacob) de suo ipsius videlicet Angelo. Verum hic quidem, qui magnus erat, congruenter maximum quempiam, sive alium, quisquis ille fuit, sive ipsum fortasse magni consilii Angelum [2], communem omnium Salvatorem, solum jam perfectionis gratia custodem adeptus; hoc equidem manifeste nescio : attamen suum ille magnum quemdam, quicumque tandem esset, et cognoscebat et prædicabat. Nos vero, præter communem omnium hominum gubernatorem, hunc etiam agnoscimus et prædicamus, quisquis est privatim pædagogus noster, qui reipsa pueri et infantes sumus. Qui cum in cæteris omnibus bonus semper nutritor et curator meus fuerit (nec enim, aut cuiquam ex affinibus meis, qui cæci sumus, et nihil eorum quæ ante pedes sunt videmus, ut conveniens aliquid discernere possimus; sed ipsi omnia ad animæ nostræ utilitatem prospicienti, quod utile et bonum est statim apparet), ut olim me, ita nunc quoque alit, et erudit, ac manu ducit : tum præter alia omnia, conjungi me cum hoc viro, quod omnium certe summum est, et cum eo versari fecit : qui nec genere nec

[1] Gen. XLVIII, 15, 16. — [2] Isai. IX, 6.

sanguine conjunctus, nec aliter necessarius aut vicinus, neque popularis omnino erat (hæc equidem sunt quæ amoris et conjunctionis vincula inter alios esse solent); sed, ut paucis dicam, ignotos, alienos, peregrinos, ab invicem longe disjunctos, quanta scilicet regionum et montium ac fluminum spatia nos dividunt, divina vere sapientique providentia unum in locum perducens, salutarem mihi congressum hunc conciliavit : hunc ipsum mihi a primo, ut reor, ortu et educatione divinitus procurans. Quonam autem pacto, longum esset commemorare, non solum si accurate omnia persequi, nihilque omittere studeam ; sed quamvis multa passim præteriens, præcipua summatim referre velim.

V. Prima enim educatio ab ortu ipso sub parentum cura fuit; et patrii mores erronei : a quibus liberatum iri me neque alius, opinor, quisquam sperasset; neque mihi spes ulla erat, puero adhuc et rationis experti, sub patre superstitioso. Secuta deinde est patris amissio et orbitas : quæ mihi fortasse cognoscendi veri initium fuit. Tunc enim primum ad salutare verumque Verbum transii, nescio quo pacto, coactusne potius, an volens. Quodnam enim judicium mihi erat, quatuordecim annos nato? Cæterum ex eo tempore, advenire mihi sacrum hoc Verbum cœpit, quasi perfecta jam communi omnium hominum ratione, advenit sane tum primum. Quod equidem non parvum, si minus olim, nunc certe ratiocinans, sacræ et admirandæ erga me Providentiæ signum duco : hunc rerum decursum intuens, annis ita distinctum, ut præcedentia hanc ætatem omnia, quotquot fuerunt, erroris opera, infantiæ et rationis inopiæ tribuerentur, nec sacrum frustra Verbum animæ nondum rationis compoti daretur, sed rationis jam capaci, quamvis non divinæ puræque rationis, ac timoris certe secundum hanc rationem, expers non esset : sed simul cum humana,

divina quoque in me inciperet ratio : dum hæc quidem adjuvabat potestate mihi sane inexplicabili, sed ipsius propria; illa vero adjuvabatur. Quod mecum dum reputo, lætitia simul ac timore perfundor : lætus scilicet provectu; timens autem ne tantis beneficiis affectus, a fine nihilominus aberrem. Sed enim nescio quo pacto in hac parte, dum admirabilem nostræ ad hunc virum profectionis dispensationem narrare libet, longiorem moram mihi traxit oratio : quæ prius tamen vel paucis dictis ad hæc sequentia properabat; non quasi debitas laudes ei qui sic dispensavit reddere parans, aut gratiarum actionem, aut pietatem (ne molesti, quæso, simus sic appellantes, dignumque nihil afferentes), sed tanquam simplicem narrationem, confessionemque, aut aliquid hujusmodi nominum instituens. Visum est ei quæ, sola ex parentibus superstes, curam nostri gerebat, matri, ut cæteris imbuti litteris quibus pueri solent non obscure nati aut educati, ad rhetorem etiam accederemus, tanquam rhetores futuri. Et quidem frequentabamus; rhetoresque nos brevi futuros dicebant, qui tum ita judicabant. Hoc vero ego dicere nec scio, nec velim : ratio quippe horum nulla erat; nec fundamentum adhuc ullum causarum quæ huc ducere nos possent. Sed pervigil ille divinus pædagogus, verusque curator, nec domesticis cogitantibus, nec me ipso desiderante affuit, cuidam suggerens ex meis magistris qui Romanam linguam docere me jussus erat, non ut ad summum ejus culmen pertingerem, sed ne rudis prorsus ignarusque hujus linguæ forem. Erat autem ille legum non imperitus. Quare hoc in ejus animum inducens, auctor mihi fuit ut ipso docente Romanas leges addiscerem. Ac enixe quidem id agebat vir ille : ego vero parui, ultro potius gratificandi studio, quam quod artis ejus amator essem. Qui cum auditorem me suscepisset, studiose docere me cœpit. Quiddam

autem effatus est, quod mihi reipsa verissimum evasit: maximum mihi viaticum (hoc enim nomine appellabat) legum fore disciplinam, seu rhetor quispiam ex iis qui in foro et tribunalibus contendunt, seu alius quis esse vellem. Sic igitur ille effatus est, ad humana suam intendens orationem. Mihi vero diviniore, quam putabat, afflatu quodam hæc vaticinatus videtur. Postquam enim volens nolens his legibus eruditus fui, mox injectum est quasi vinculum quoddam et causa atque occasio ad has oras veniendi, civitas Berytiorum : ea vero non procul hinc sita civitas plus Romani moris habet, et legum harum scholam. Sacrum vero hunc virum ab Ægypto ab Alexandrinorum urbe, in qua domicilium prius habebat, in hunc locum, veluti nobis occursurum, res aliæ trahebant et transferebant. Neque ego sane horum causas reddere novi, libentiusque præteribo : verumtamen nondum mihi huc veniendi et cum viro congrediendi causa adeo necessaria erat, quam ob legum nostrarum studium facultas ad Romanorum urbem veniendi. Quo ergo tandem modo id concessum est? Affinem meum, sororis meæ virum, Palæstinæ tum præses assumens repente, solumque et invitum a conjuge avellens, huc abduxit, auxilio ipsi futurum administrationisque ejus curas participaturum : jurisperitus enim erat, et fortasse adhuc est. Qui una cum ipso profectus, uxorem, a qua separari se ægre ferebat, haud multo post evocatam recepturus, et nos cum illa simul attracturus, discessit. Statim ergo, nescio quomodo nobis peregrinari quidem, sed alio potius quam ad hæc loca pergere cogitantibus, miles affuit cum mandatis, ut sororem quidem ad virum venturam, nos vero cum illa viæ socios deduceret, gratificaturos utique affini, sed multo magis sorori, ne aut minus decenter aut minus libenter viam iniret : domesticis ipsis et cognatis hortantibus, et non exiguum illud aliud quoddam operæ pretium fore con-

tendentibus, si ad Berytiorum urbem, legum illic studia peracturi, veniremus. Omnia ergo nos incitabant, tum erga sororem officium, tum nostra ipsorum disciplina : ad hæc, miles ipse, quando hujus quoque facienda est mentio, facultatem ferens plurium quam opus erat publicorum vehiculorum, et majoris numeri symbola quam pro sola uxore. Atque hæc quidem in aperto : arcana autem, sed veriora, communicatio cum hoc viro, vera Verbi per ipsum cognitio et doctrina, animarum nostrarum utilitas; ad salutem nos cæcutientes quidem et ignaros, sed tamen salutari consilio ducebat. Quare non miles, sed divinus quidam viæ comes et deductor bonus atque custos, qui per totam hanc vitam, tanquam per longam peregrinationem, nos custodit ; tum alia præteriens, tum Berytum, quam optare maxime putabamur, huc nos recta perductos hic collocavit : omnia faciens movensque, quoad omni nos ope cum hoc multorum nobis bonorum auctore colligaret. Et ille quidem qui horum modo causa venerat, curam huic tradens divinus Angelus, hic fortasse conquievit; non labore ullo vel molestia fractus (infatigabile est enim divinorum ministrorum genus), sed quia tradidit nos homini qui omnem quæ adhiberi poterat providentiam curamque esset expleturus.

VI. Ille vero susceptos a prima die, quæ vere mihi prima illuxit, omnium, si dici debet, dierum mihi honestissima, quando mihi primum verus exoriri sol cœpit; principio ceu feras quasdam agrestes, aut pisces, aut aves, in retia vel sagenam illapsos, elabi et effugere conantes, et secedere ab ipso Berytum versus aut in patriam cogitantes, constringere mn ino ac retinere studuit; omnia verborum genera volvens, omnem funem (quod est in Proverbio) movens, vires suas omnes eo convertens : hinc philosophiam ejusque amatores multis aptisque laudibus prosequens, eos

solos bene vivere vitamque rationis usu præditis congruentem agere dicens, qui eam recte instituere conentur; et se ipsos primum nosse quinam sint, deinde vera bona quæ prosequi hominem decet, et vera mala a quibus refugere oportet: illinc ignorantiam, ignorantesque omnes, quorum maxima est turba, vituperans; quotquot, pecudum ritu, mente cæci, ne hoc quidem quod sunt intelligunt, et quasi ratione carerent aberrant, bonum malumve quid sit nec scientes ipsi prorsus, nec discere satagentes; qui tanquam ad bonum, ad pecunias et gloriam, ac vulgi honores, corporisque valetudinem prosiliunt, stolidique rapiuntur, hæc videlicet magni aut omnium potius instar habentes, artesque eas quibus parari hæc possunt, et ex vitæ conditionibus illas quæ talia suppeditant, militarem, forensem, legum studium ac disciplinam: Hæc sunt, aiebat, idque aptissime, quæ nos inertes atque ignavos maxime reddunt, rationem, quæ dominari in nobis debet, aspernantes. Dicere non possim quam multas ejusmodi voces ederet, ad philosophandum nos exhortans: neque id uno die duntaxat, sed multis, quoties ad illum principio veniebamus, ejus quidem sermone tanquam jaculo quodam a prima ipsa ætate confixi. Erat enim suavi gratia et suadela simul ac necessitate quadam conditus. Cæterum fluctuantes adhuc et ancipiti animo, philosophari quidem ambientes, nondum tamen omnino permoti atque persuasi, discedere porro nescio quomodo non valentes; ut qui semper, tanquam majoris cujuspiam necessitatis impulsu, ad ipsum ejus sermonibus rapiebamur. Omnino enim nec pium erga communem omnium Dominum esse absque philosophia quemquam censebat: quo munere solus ex omnibus terræ animantibus homo decoratus est; idque merito sapiens æque atque imperitus quisque amplectitur, qui modo sensum omnem intelligentiæ præ quadam amentia non amiserit. Nec pium

igitur omnino esse posse affirmabat, qui philosophatus non esset. Quoad tandem multos id genus ex aliis alios sermones instillans, nos velut fascino quodam artibus suis perdomitos, sermonibus suis, nescio quo pacto, divina vi quadam constabilivit, et juxta se immobiles tenuit. Enimvero amoris quoque aculeus nobis infixus est non levis et expugnabilis, sed acer prorsus et efficacissimus, solertiæ et benignitatis, benevolentiæque, quæ in ipsis nobis alloquentis et conversantis vocibus effulgebat; non circumvenire nos aliter sermonibus conantis, sed prudenti, humana, benignaque mente servare nos, et participes tum horum philosophiæ bonorum reddere, tum aliorum, tum eorum maxime quæ Deus illi supra multos, ac supra omnes fortasse qui nunc sunt homines, uni largitus est : pietatis dico magistrum, sermonem salutarem, ad multos quidem commeantem, omnes autem in quos inciderit sibi subjugantem (neque enim est quidquam quod resistere illi possit qui Rex omnium et est et futurus est); sed occultum, et qui nec facile nec difficile a multis vulgo cognoscatur, ita ut de illo interrogati manifeste eloqui possint. Velut ergo scintilla quædam mediam animam nostram invadens, accendebatur et inflammabatur, tum erga ipsum ineffabili pulchritudine omnes allicientem sacrum sermonem amabilissimum, tum erga virum hunc, ejus amicum et interpretem, amor : quo vehementissime ictus, res omnes ac disciplinas quæ congruere nobis videbantur, tum cæteras, tum ipsas egregias leges meas, ut spernerem mihi persuasi; quin et patriam et propinquos, tum præsentes qui aderant, tum eos a quibus discesseram : unumque mihi optabile et amandum videbatur philosophia, ejusque magister vir hic divinus. « Et conglutinata est anima Jonathæ animæ » David[1]. » Hoc equidem in sacris Litteris postea legi; prius

[5] 1 Reg. XVIII, 1.

autem sensi ipse non minus liquido quam clarissimo oraculo prænuntiatum est : non enim simpliciter conglutinatus est Jonathas David, sed illæ ipsæ quæ principem locum tenent animæ; quæ nec sejunctis iis quæ apparent et conspiciuntur in homine, separari tamen ipsæ vi ulla cogantur, invitæ certe nullo modo. Libera siquidem res est anima et quæ coërceri nulla ratione possit, ne si in penetrale quidem abditam custodias. Etenim, quod ad rationem primam attinet, ibi esse natura sua consuevit ubi mens fuerit. Quod si in ergastulo tibi esse videatur, secunda quadam ratione illic a te fingitur; nulloque modo propterea ibi esse prohibetur ubi esse voluerit. Quin illic solum prorsus esse potest, et jure creditur, ubi, quibusque in rebus propria ejus unius opera fuerint. Quare clarissime hoc ipsum quod mihi contigit paucissimis verbis declaravit, animam Jonathæ conglutinatam fuisse animæ David[1] : hæc, inquam, quæ invita quidem nullo modo sejungi queant, sponte vero non facile assentiantur. Non enim in deteriore, opinor, qui moribus varius erat et ad mutandum proclivior, sacra amoris hujus vincula solvendi potestas; in quo solo nec colligandi vis initio fuerat : sed in meliore, qui constans erat ac minime mutabilis; per quem et vincula sacerque hic nexus confici copularique rectius poterat. Conglutinata est igitur a divino Sermone, non anima David animæ Jonathæ; sed contra, deterioris anima sic affecta conglutinata dicitur animæ David. Nec enim pars potior, cum sibi per se ipsa sufficiat, deteriori se agglutinari cuperet; sed deteriorem, quæ ope indiget melioris, a potiore conglutinatam dependere oportuit : ut hæc quidem in se ipsa manens, damnum nullum ex deterioris communione caperet; quæ autem ex se incomposita erat, colligata et conjuncta cum potiore, nihil ipsa officiens, vinculorum cum ea nexu et necessitate

[1] 1 Reg. XVIII, 1.

vinceretur. Unde et vincula inferre præstantioris erat, non inferioris; agglutinari autem, deterioris, ita quidem ut vinculis expedire se quodam modo non posset. Tali quodam necessitatis nexu David hic nos astringens, ex eo tempore captos tenet, nec si velimus ejus vinculis eximere nos valentes. Nec igitur, si abeamus, relaxabit animes nostras, quas juxta divinam Scripturam conglutinatas sic tenet.

VII. Cæterum cum ita nos ab initio cepisset, omnique ex parte circumvallasset, quandcquidem quod potius erat jam perfectum erat, et nobis manere collibebat, deinceps, tanquam si bonus quispiam agricola terram vacuam atque otiosam, eamque nec fertilem prorsus, sed salsuginosam et adustam, saxisque et arena obsitam; aut non plane quidem sterilem, nec inertem, sed natura præstanti, verum incultam atque neglectam, spinis hærentem silvestribusque dumetis, ac minime tractabilem : aut quemadmodum si sator aliquis plantam, sive arborem agrestem ac fructus scilicet suaves non proferentem, nec tamen prorsus inutilem nactus, sativæ ramum arte sua inserat, mediam illam diffindens, ac deinde committens et colligans, quoad humore coalescente ambæ simul adolescant : (sic enim mixtam arborem sæpe videas, aut spuriam quidem, at fertilem ex infructuosa factam, pulchræ oleæ fructus in agrestibus radicibus alentem; aut agrestem quoque non inutilem redditam industrio colono; aut sativam denique et fertilem alias, sed quæ artis defectu non putata, exsucca ac squallida præ multis in ea superfluis adnatis surculis præfocetur, de acuminatione ac germinatione mox perfici, et fructus dare, qui a redundanti copia impediebantur :) tales ille nos assumens, et quasi rustica quadam arte sua lustrans ac penitus introspiciens, non ea solum quæ omnium oculis patent atque in superficie cernuntur, sed altius effodiens, et intima pertentans, interrogans et proponens, respondentes

que audiens; ut cognovit aliquid non infrugiferum nec inutile aut irritum in nobis esse, tum subigere, invertere, irrigare, omnia movere, omnem admovere artem suam ac curam, seduloque exercere nos cœpit : spinas quidem ac tribulos, et genus omne agrestium herbarum atque stirpium, quotquot luxurians et silvescens, utpote incomposita et præceps, anima nostra turbida profundebat, penitus resecans ac detrahens, reprehendendo prohibendoque; nunc Socratico more, sciteque admodum nos perstringens; nunc etiam oratione sua prosternens, sicubi nos fræno reluctantes, tanquam feros quosdam equos extra viam exilientes ac temere circumcursantes videbat : quoad persuasione quadam atque necessitate velut fræno, suo nos sermone quietos sibique obsequentes reddidit. Ac molestum id quidem nobis, nec sine dolore principio accidit, cum insuetis nimirum, rationique parere nondum edoctis, sermones suos admoveret et expurgaret. Ut vero idoneos nos reddidit, riteque ad excipiendos veritatis sermones præparavit, tum vero tanquam bene subactæ mollique terræ injecta semina reddere paratæ, opportunam seminum injectionem affatim inferebat; tempestivam simul reliquam culturam omnem, aptis singula modis, exercens; quidquid obtusum ac spurium in anima erat, sive sic nata, sive superfluis corporis alimentis condensata, exacuens, attenuansque subtilibus rationi congruentium affectionum sermonibus ac modis, qui ex primis simplicissimis evoluti alii ex aliis, varieque conversi, in admirabilem quemdam inexplicabilemque progrediebantur contextum, nos velut e somno excitantes, atque in proposito semper insistere, et nullatenus nec ob longitudinem nec ob subtilitatem labi docentes. Quidquid porro judicii expers ac præceps in nobis erat, vel assentiendo iis quæ obvia fiunt, qualiacumque sint, etiamsi falsa se offerant; vel repugnando persæpe, quamvis vera quæ-

dam dicantur; hoc rursum castigabat, corrigebatque, tum iis quos diximus, tum aliis diversis sermonibus (multiplex enim est ac varium hoc philosophiæ genus); assuefaciens non temere nec ut casus tulerit assensum projicere, nec item abnuere, sed diligenter examinando non aperta solum, sed et abdita. Multa siquidem, ceu et illustria per se et honesta, sub speciosis vocibus in aures nostras tanquam vera se insinuarunt, quæ prava et falsa cum essent, suffragium tamen a nobis expresserunt tuleruntque veritatis; quæ postmodum vitiosa et nulla fide digna deprehensa sunt, veritatem incassum assimulantia; nosque facile ac ridicule deceptos prodiderunt, et frustra ea confirmantes quæ minime oportebat : alia contra, honesta prorsus ac minime fallentia, sed probabilibus verbis non expressa, paradoxa et omnino incredibilia per se visa, et rejecta pro falsis, immeritoque per contumeliam explosa; postea considerantibus atque investigantibus accuratius, omnium verissima, omnique acceptione majora cognita sunt, quæ paulo ante rejicienda et improbanda putabantur. Non aperta solum, inquam, et eminentia, quæ fallacia interdum et fucata sunt; sed interiora singula explorando ac pertentando, ne quid marcidum sonet : ac de his primum fidem nobis ipsis faciendo, ita demum exterioribus assentiri, et de his singulis pronuntiare docebat. Hunc igitur in modum pars animæ nostræ, quæ circa voces sermonemque judicium exercet, secundum rationem erudiebatur : non juxta egregiorum rhetorum judicia, si quid Græcanicum aut barbarum voci insit, exilem illam et non necessariam disciplinam; sed hanc omnibus et Græcis, et barbaris, et sapientibus, et idiotis, et (ne artes singulas ac studia enumerando sim longior) omnibus hominibus, quodcumque vitæ genus delegerint, apprime necessariam : siquidem omnibus, de quacumque re sermo instituatur, curæ est ac studio non decipi.

VIII. Neque hanc solum partem quam dialectica corrigendam sola sortita est, sed humilem sane vicissim animæ partem, qua ad magnificentiam et mirabilem structuram, ad varium sapientissimumque mundi opificium obstupescimus, admiramurque sine ratione, ac præ timore consternamur, ut qui belluarum more, quæ ratione carent, ratiocinari nihil novimus, excitabat, erigebatque naturalibus aliis disciplinis; singula quæ in rerum sunt natura declarans ac distinguens, et perspicua oratione in prima sua elementa revolvens, naturamque tum communem universorum, tum propriam cujusque; conversiones quoque rerum multiformes atque mutationes edisserens : quoad doctrinæ suæ, rationumque quas partim didicit, partim ipse excogitavit, perspicuitate, pro irrationali rationalem animis nostrís sacræ totius universi dispensationis, absolutissimæque naturæ admirationem injecit. Hæc nimirum illa est sublimis ac divina disciplina quam omnibus amantissima docet physiologia. Quid nunc opus est sacras mathematicas commemorare, geometriam omnibus charam atque indubitatam, et astronomiam superna pervagantem? quas singulas animis nostris, docens, insculpebat; aut in memoriam revocans, aut, nescio quid dici potius debeat, illam quidem, velut omnium plane fundamentum statuens et quasi basim tutissimam, inconcussam geometriam; per astronomiam autem ad summa perducens, tanquam per scalam quamdam ad cœlos pertingentem, pervium nobis cœlum utriusque disciplinæ opera efficiens.

IX. Quod vero omnium est multo maximum, cujusque gratia laborat gens tota philosophorum, quasi ex varia reliquarum omnium disciplinarum consitione, diuturnæque philosophiæ studio, bonos fructus colligens, divinas morum virtutes, ex quibus tranquillus et constans animi motionum status existit; et mœroris quidem expertes, atque ut nullis

malis vehementius commoveremur, sed moderati ac sedati, Deique similes vere ac beati, ejus opera redderemur, adnitebatur. Atque hæc curabat et agebat ille, tum sermonibus propriis, mansuefacientibus ac doctis, nec minus necessariis, quos de moribus vitæque nostræ modis habebat; tum vero non verbis solum, sed jam etiam factis quodammodo regebat impetus nostros, ipsa scilicet motionum animi perturbationumque contemplatione atque cognitione, ex qua potissimum componi mens nostra solet, et ad rectum moderatumque statum ex confuso transferri : ut tanquam in speculo seipsam intuens, initia ipsa fibrasque malorum; et quod a ratione alienum in ea est, unde absurdæ in nobis affectiones ac perturbationes exurgunt; et rursum, quæ rationis compos pars ejus est optima, qua dominante illæsa et perturbationis expers ipsa permanet; deinde hæc in se accurate considerans, omnia quidem illa quæ ex deteriore nascuntur, et nos vel offendunt per intemperantiam, vel contrahunt et coarctant per animi dejectionem, ut voluptates et cupiditates, aut mœrores ac timores, et quæ ab his generibus malorum turba suboritur; hæc, inquam, rejiciat ac profliget, incipientibus adhuc nascentibusque occurrens, ac ne minimum quidem crescere sinens, sed perimens ac delens e vestigio : quæ vero ex meliore bona nobis exoriuntur, hæc alat ac foveat, incipientia lactans conservansque quoad perficiantur. Sic enim animæ tandem innasci divinas virtutes : prudentiam, quæ hos ipsos animi motus discernere prima potest, ex ipsis, et ex bonorum externorum, malorumque, si qua in nobis sunt, scientia; et temperantiam, quæ in eorumdem initiis recte eligendi vim habet; et justitiam, quæ apta et congrua cuique tribuit; et horum omnium conservatricem fortitudinem. Non verbis igitur assuefaciebat, quæ denuntiarent atque profiterentur scientiam bonorum et malorum, vel faciendorum et non faciendorum,

esse prudentiam : inanis utique atque inutilis hæc disciplina, si verba factis careant; vanaque ea prudentia, quæ non ea faciat quæ facienda sint, nec ab iis quæ non sunt agenda deterreat; sed solum cognitionem horum suppeditet his qui eam possident, quales cernimus permultos. Nec temperantiam rursum, eligendorum fugiendorumque scientiam quamdam esse; quam videlicet non admodum doceant cæteri philosophi, ac præcipue neoterici : qui verbis quidem strenui fortesque sunt; quales ergo persæpe miratus sum, cum eamdem virtutem Dei et hominum, et Deo imprimis similem in terra esse sapientem demonstrarent : cæterum nec prudentiam, ut faciat quisquam quæ sunt prudentiæ; nec temperantiam, ut ea eligat quæ didicit, tribuere valent : de justitia itidem ac fortitudine inaniter disputant. Non sic iste nobis de virtutibus, verbis solum disserebat; sed ad opera potius incitabat : et incitabat operibus magis factisque, quam verbis.

X. Rogo autem philosophos qui nunc sunt, quotquot novi ipse, et quos aliis narrantibus audivi; homines item cæteros, ut quæ a nobis nunc dicuntur æquo animo accipiant. Nec vero me quisquam hæc dicere arbitretur aut amore erga virum, aut reliquorum philosophorum odio : quos, si quis alius, et amare propter sermones, et laudare ipse volo, et alios pulcherrima de ipsis dicentes audire. Verum hæc illorum talia sunt, ut summa inde contumelia ab omnibus propemodum afficiatur nomen ipsum philosophiæ, et ego malim, pene dicam, imperitus plane esse, quam aliquid eorum discere quæ ipsi profitentur : ad quos ipse reliqua in vita accedere indignum ducebam; perperam fortasse id sentiens. Nec vero me quispiam vel studio aliquo laudandi viri, vel ullo in extraneos philosophos odio, hæc dicere suspicetur : sed minora etiam illius factis, ne adulari videar, dicere credat; non verba et nomina, artifi-

ciosasque laudum occasiones exquirentem : qui ne adolescentulus quidem, cum popularem eloquentiam a rhetore docerer, laudes cujuspiam sponte persequi poteram, quæ veræ non essent. Quare neque nunc laudare instituens, aliorum vituperationibus extolli hunc oportere arbitror. Et viro sane injurius essem si aliorum vitiis, ut majus aliquid de ipso dicere habeam, beatam ejus vitam conferre velim : non adeo sum amens : sed quod mihi accidit, sine ulla contentione nulloque orationis fuco confitebor.

XI. Hic me primus ac solus, ut Græcorum philosophiæ operam darem, hortatus est; suis ipsius moribus ut morum doctrinam et discerem et amplecterer persuadens, haudquaquam adhuc ab aliis philosophis persuaso : rursus confiteor; non recte id quidem, sed pene infeliciter : non inquam. Nec in multos principio incidi, sed in paucos quosdam docere permittentes, sed omnes verborum tenus philosophiam constituentes. Hic vero me primus etiam verbis philosophari hortatus est, cum factis verborum cohortationem prævertisset; non verba tantummodo præmeditata pronuntians, quin ne eloqui quidem dignum putans, nisi puro atque sincero et dicta ipsa exequi studente animo id faceret, talemque seipsum præbere conaretur qualem verbis eum qui recte victurus sit describebat; exemplum sane, dicere volui, proponens sapientis : sed quia veritatem nobis, non pompam et ornatum promisit oratio, exemplum quidem illum sapientis nondum dico; quamvis, si dicere velim, a vero non absit : verum hæc nunc omitto. Non exemplum ergo absolutum, sed qui illud ipsum imitari atque exprimere valde cuperet, omnique studio et alacritate, ac, si dici fas sit, supra hominum vires contenderet : ac nos porro et tales alios effingere studens, non sermonum compotes et gnaros eorum qui de animi motibus fiunt, sed a motibus ipsis ad opera etiam sermones traducens, et cujusque virtu-

tis partem non exiguam, quin potius universam, si capere possemus, in ipsa nobis speculatione inserens; justa quidem agere, suæ ipsius privatæ actionis exemplo (si dicere fas sit) quodammodo cogens : cui ut adhæreremus nobis persuasit, a multis nos vitæ curis forensique strepitu penitus abducens, et nos ipsos circumspiciendos ac vere ad res nostras agendas attollens. Hoc nimirum esse juste agere, et hanc veram esse justitiam, priscorum etiam philosophorum nonnulli affirmarunt; vitam privatam, ut mihi videtur, ad beatitudinem et sibiipsis et aliis commodiorem atque utiliorem esse significantes : siquidem hujus est virtutis, pro meritis, et suum cuique tribuere. Quid enim animæ proprium sit, aut quid tam congruum dignumque, quam seipsam curare; non extra circumspectantem, nec aliena tractantem, neque (ut paucis dicam) maximam sibiipsi injuriam facientem; sed intro ad sese conversam, sua sibi reddentem, ac justa omni ex parte præstantem? Sic igitur ille justa facere vel coactos, si dici fas est, nos docebat. Prudentiam vero nihilo secius : secum esse, et seipsos nosse velle et conari, hoc videlicet præclarissimum philosophiæ munus et officium, quod præstantissimo dæmonum vati ut sapientissimum præceptum tribuitur : *Nosce teipsum.* Hoc revera munus esse prudentiæ, et hanc esse divinam prudentiam, recte ab antiquis dictum est; cum eadem Dei atque hominum revera sit virtus; anima ipsa, tanquam in speculo seipsam videre satagente, et divinam mentem, si tali societate atque conjunctione digna sit, in se repræsentante, et viam quamdam verbis inexplicabilem, ut ad hoc divinæ naturæ consortium pervenire possit, investigante. Pari autem modo et temperanter vivere, et fortiter : temperanter quidem, hanc ipsam animæ seipsam cognoscentis, siquando id ei contingat, prudentiam conservando; eam enim rursum esse temperantiam, quæ quasi conservatrix quædam est pruden-

tia : fortiter vero, in prædictis omnibus muneribus persistendo, nec ab illis vel sponte vel vi ulla decidendo aut deflectendo, sed omnia ut dicta sunt mordicus observando; hanc quippe conservatricem et custodem virtutem esse docens.

XII. Et sane justos quidem et prudentes, aut temperantes, fortesque nos præ ignavia ac tarditate nostra, quamvis omnem adhiberet operam, reddere nondum potuit; qui nec habemus, nec prope adhuc attigimus ullam virtutem hominum, aut divinam, longissimeque absumus : nam maximæ sunt illæ et excelsæ, et neutra comparari potest, nullique fas est consequi, nisi certe cui Deus aspiraverit. Et nos neque natura adeo præstanti sumus, nec dignos esse qui consequamur, nos adhuc confitemur; ut qui per socordiam et imbecillitatem necdum omnia fecimus quæ ab iis qui optima cupiunt et ad perfecta contendunt fieri oportet. Justi ergo et temperantes, aut alia quapiam virtute præditi nondum sumus : amatores autem nos quam vehementissimo amantes amore, quod unum fortasse præstari ab eo poterat, jam dudum fecit admirandus hic virtutum amicus et præses; amorem nobis sua ipsius virtute ingenerans, tum pulchritudinis justitiæ, cujus auream reversa nobis faciem ostendit, tum prudentiæ omnibus expetendæ et amabilissimæ veræ sapientiæ, tum temperantiæ præstantissimæ, quæ est animæ constantia et pax omnibus possidentibus eam, tum fortitudinis, admirabilissimæ patientiæ, et in rebus omnibus pietatis, quam parentem virtutum merito appellant. Hæc siquidem est initium finisque omnium virtutum : ab hac si incipiamus, facillime nobis reliquæ etiam virtutes accrescent; si quod hominem unumquemque, qui modo impius et voluptarius non sit, parare sibi oportet, ut amicus familiarisque sit cum Deo, nobis ipsis expetentes et assequi studentes, reliquarum simul virtutum curam amplec-

tamur : ut non indigni nec squallidi, sed omni virtute ac sapientia, tanquam bono quodam ductore sapientissimoque sacerdote septi, ad Deum accedamus. Finem sane omnium non alium existimo, quam pura mente ad similitudinem conformatum, accedere ad Deum et in ipso manere.

XIII. Præter cæteram vero industriam ac studium, illud quo in theologiæ doctrina et reverentia nobis instituendis est usus, quibus verbis eloqui possim, aut ipsos viri sensus penetrare, quo consilio et apparatu omnes de Deo sermones atque sententias ediscere nos vellet; sedulo cavens ne uspiam in re omnium maxime necessaria, hoc est, in primæ omnium causæ cognitione, periclitaremur? Philosophari ergo nos ita jubebat, ut omnia, quotquot extant, veterum tum philosophorum, tum poëtarum scripta colligentes, nihil omnino rejiceremus nihilque repudiaremus (necdum enim vim habere judicandi poteramus), præter ea quæ atheorum essent, qui, a communi hominum sensu discedentes, Deum aut Providentiam esse negant : hæc enim ne digna quidem esse quæ legantur, ne qua forte re inquinaretur nobis animus, qui, cum pietatem colere debeat, sermones audiat divino cultui repugnantes. Neque enim ii qui templa adeunt religiosum putant quidquam omnino profanum contrectare. Horum itaque libros iis qui pietatem profiteantur nullo in numero esse debere : cæteros omnes evolvi legique sic oportere, ut nec genus ullum nec librum sermonemve eruditum præferant, neque contra rejiciant, sive Græcum, sive barbarum; sed omnes audiant. Sapienter id prorsus et apposite : ne scilicet una quæpiam horum illorumve sententia audita et in pretio habita, quamvis vera non sit, tanquam vera sola esset, si semel in animum nostrum irrepserit, decipiat; sibique nos vindicans sic afficiat, ut nec ab ea discedere, nec illam, quasi lanam colore quopiam infectam, eluere possimus. Vehemens enim et volubi-

lis quædam res est hominum oratio, varia sophismatibus atque fallaciis : ut cum aures subierit, menti cito quæ velit ingerat atque insculpat; et quos semel occuparit, his ut ipsam pro vera colant omnino persuadeat. Itaque hæret intus, quamvis falsa fallaxque sit; et instar præstigiatoris alicujus, regnum obtinet, ipsius quem deceperit defensa protectaque præsidio. Prona rursus ad orationis fraudem recipiendam, præcepsque ad assensum humana mens, et prompta, priusquam dijudicet, omnesque in partes exploret, vel propter hebetudinem imbecillitatemque suam, vel ob rationis ipsius subtilitatem, ad exactum examen deficiens, temere seipsam falsis plerumque rationibus atque sententiis dedere, quæ et errent ipsæ, et in errorem quos invaserint impellant : neque hoc tantum; sed si corrigere ipsam alia quæpiam oratio velit, haud eam jam admittat, neque aliud sibi persuaderi sinat, opinione hac obsessam tenente, et tyranni implacabilis instar in ea dominante. Quid enim, an aliud est, quod pugnantes inter se adversasque sententias et philosophorum contentiones invexit; dum alii aliorum placitis repugnant, alii alia mordicus retinent, alii alia potius consectantur? Ac philosophari quidem omnes volunt, et hoc præ se ferunt ex quo semel aggressi sunt, dicentes non minus id velle se, dum in ipsis disputationibus versantur, quam cum eas inierunt; imo vero acriore nunc philosophiæ studio teneri, postquam gustum ejus aliquem ceperunt, in eaque operam posuerunt, quam cum rudes adhuc et inexperti ad philosophandum impetu quodam delati sunt. Hæc illi dicunt : nec jam quemquam audiunt eorum qui aliter sentiunt. Neque igitur quisquam ex veteribus ullum ex recentioribus aut ex Peripateticis ad se sequendum suamque philosophiam amplectendam allicere conatus est; nec e contrario, nec denique ullus ullum. Nemo enim facile adducitur ut, sententia mutata, alienis assentiatur, atque

adeo iis ipsis quibus si ei persuasum fuisset studere, antequam inciperet philosophari, tum primum certe libenter assensus esset (quippe nondum animo aliis occupato), neque alia jam admitteret; imo vero neque in iis acquiesceret, ac propter illa his ipsis adversaretur quæ jam sentit ac tenet. Talem nobis egregii et disertissimi, solertissimique Græci philosophiam exhibuerunt : quæ primum quisque nactus est, impetu quodam ductus, hæc sola vera esse dicens, reliqua omnia aliorum philosophorum nugas censet atque fallaciam; cum ipse nihilo melius sua confirmet, quam cæteri omnes sua quisque defendunt, ne de gradu exire, sententiamque aut vi aut persuasione mutare cogatur, nullam aliam (si verum fateri libet) habens præter ineptum a philosophia ad hæc dogmata ac placita, quæ vera credit, impetum atque delectum; et ne incredibile quod dico videatur, nullam aliam præter cæcam judicii expertem fortunam : hæc unusquisque amans in quæ primum inciderit. A quibus quodammodo irretitus, aliis rebus dare operam nequit, si quid forte habeat quod de singulis rebus cum veritatis demonstratione disserat, et quo falsas adversariorum rationes esse doceat; quippe qui etiam sine probatione seipsum temere, tanquam inopinatum atque inexpectatum quoddam lucrum sperans, anticipatis rationibus addixit. Porro hæ cum in cæteris rebus sectatores fallunt, tum vero in re omnium maxima ac necessaria, in Dei cognitione atque pietate. Et manent nihilominus sic illis irretiti, ut eos jam nemo facile eripere possit; tanquam ex palustri et invadoso patentissimi campi lacu, qui semel ingressos nec gradum revocare nec trajicere et evadere sinit, sed ad mortem usque sic constrictos tenet : aut tanquam ex alta densaque ac profunda silva, in quam viator quis, quasi inde rursus exiturus et puro se campo redditurus, ingressus est, præ longitudine autem ac densitate

non potest; omnes enim in partes seipsum versans, viasque intus continuas offendens, has illasque, tanquam exitum per aliquam earum reperturus, perambulat; illæ vero ad intima tantummodo ducunt, nusquam extra ferunt, ut quæ ipsius silvæ solum viæ sint; quare fessus tandem ac desperans viator, quasi silva essent omnia, et nullum in terris domicilium superesset, ibi manere ac domicilium collocare statuit, spatiumque agri, quantum potest, in silva occupare: aut tanquam denique ex labyrintho, ad quem cum unicus appareat aditus, nihil subdolum, ex iis quæ sunt extra, intus latere suspicans, quispiam, qua patet janua, ingreditur; deinde ad intima usque progressus, postquam artificiosum solersque opificium, quaquaversus pervium, ac perpetuis ingressibus et egressibus intextum atque elaboratum contemplatus est, egredi cupiens, minime potest, structura illa quam artificiosam judicabat interceptus. Nullus porro est neque labyrinthus adeo ad explicandum difficilis et varius; neque silva, quamvis densa et varia; neque campus, aut palus, quæ illapsos atque ingressos sic retineat, ut oratio, si qua eos occupet aliquorum istiusmodi philosophorum. Nobis ergo ne idipsum quod imperitæ multitudini eveniret, ad unicum nos philosophicarum opinionum genus non admovebat, nec in eo consistere sinebat; sed per omnia ducebat, nullius nos Græcanici dogmatis rudes aut ignaros esse permittens. Ipse autem simul incedens præibat, manuque ducens, tanquam in via, si quid usquam flexuosum occurreret, aut infidum et ad fraudem compositum; velut peritus artifex cui ex longo usu atque exercitatione philosophandi nihil insolens sit nec inexpertum, et sublimis ipse in tuto manet, ac manum aliis porrigens, veluti qui demergantur extrahens, servat: ita quidquid apud singulos philosophos utile ac verum erat deligens nobisque apponens, quæ vero falsa secernens; tum alia,

tum maxime quæ hominum propria sunt ad pietatem.

XIV. Et horum quidem ut nihil attenderemus suadens, ne si ut sapientissimus quidem quispiam ab omnibus celebretur, sed ut uni Deo operam daremus, ejusque Prophetis; ipse Prophetarum interpretem agens, et explanans quidquid usquam obscurum et ænigmaticum erat, qualia sunt in sacris Litteris permulta : sive ita Deo libeat cum hominibus agere, ne indignam animam, cujusmodi multæ sunt, nudus et intectus divinus sermo subeat; sive quod apertissimum quidem natura ac simplicissimum sit omne oraculum divinum, sed nobis, qui a Deo recessimus et audire propter tempus et antiquitatem desuevimus, obscurum ac tenebricosum videatur, dicere non habeo : utut sit declarans et in lucem proferens, sive ænigmata sint, tanquam idoneus et intelligentissimus Dei auditor; sive obscurum ac flexuosum natura nihil habeant, nec intellectu arduum ipsi : qui unus omnium qui nunc vivunt hominum, quos vel noverim ipse vel aliis narrantibus audiverim, pura atque perspicua oracula meditando, et mente ipse percipere potest, et reliquos docere ; quoniam ille omnium princeps qui Deo charis Prophetis suggerit atque inspirat omnem prophetiam, sermonemque mysticum ac divinum, eo illum honore afficiens, velut dilectum interpretem constituit : quæ aliis indicavit duntaxat, eorum per hunc instituens disciplinam, omnium quæ, dignissimus fide cum sit, vel regio more jussit vel censuit, rationes investigare et invenire huic concedens; ut si quis animo durus et incredulus, aut discendi etiam cupidus existat, ab hoc discens, et intelligere et credere quodammodo cogatur, et Deum sequi. Hæc vero ille non aliter, opinor, enuntiat quam ex divini Spiritus communicatione. Eadem enim vis Prophetis et Prophetarum auditoribus est opus : nec Prophetam capere quis possit, cui Spiritus idem, qui prophetavit, sermonum ejus intelligentiam

non dederit. Talisque in sacris etiam Litteris sententia extat, eum solum qui clausit aperire affirmans; alium vero neminem[1]. Clausa autem aperit, dum ænigmata declarat, sermo divinus. Donum hoc ille maximum divinitus concessum, sortemque de cœlo optimam habet, ut Dei sermonum interpres sit apud homines, Deique verba, quasi Deo loquente, intelligat; et hominibus, ut homines percipiant, enarret. Quare nihil nobis arcanum, nihil abditum et inaccessum erat : quin omnia perdiscere dogmata licebat, et barbarum, et Græcum, et mysticum, et civile, et divinum, et humanum, cum omni libertate cuncta indagantibus atque scrutantibus, ut omnibus expleremur, et animi bonis affatim perfrueremur : sive priscum quodpiam veritatis documentum, sive alio quis nomine appellare malit, mirabilem in illo plenumque pulcherrimarum rerum apparatum ac copiam habebamus. Atque, ut paucis dicam, hortus quidam revera nobis erat, magni illius Paradisi Dei similitudinem referens[2] : in quo non terram quidem colere hanc inferiorem, nec corporis alimentis pinguescere; sed solas animi opes, quasi speciosas quasdam arbores, vel a nobis ipsis plantatas, vel ab omnium auctore nobis insitas, augere cum lætitia et voluptate concessum est.

XV. Hic vere paradisus voluptatis, hæc vera lætitia, atque deliciæ, quibus elapso hoc tempore oblectati sumus, et quidem non exiguo; at exiguo prorsus, si nobis hinc migrantibus et abeuntibus finis hic erit. Nescio enim quo meo infortunio aut peccato iterum discedo vel expellor. Quid dicam, nescio; nisi quod sicut alter Adam extra paradisum loqui cœpi. Quam recte vivebam, loquentem audiens magistrum, ac silens! Quam debui etiam nunc silere! Discebam tacens; sed non novum hoc spectaculum, in quo magistrum ipsum facerem auditorem. Quid enim mihi hac

[1] Isai. XXII, 22, et Apoc. III, 7. — [2] Genes. II et III.

opus erat oratione, quid his affari verbis, cum non abire, sed persistere oportuerit? At enim antiquæ fraudis similia videntur hæc delicta, et veterum pœnæ istæ me adhuc manent. Annon rursus refragari atque obsistere videor, Dei vocem transgredi audens, cum ei insistere et in ea manere deberem? Quod autem discedo, fugiens ab hac beata vita, non minus quam a facie Dei vetus ille homo, et in terram revertens ex qua sumptus sum [1] : terram proinde comedam omnibus diebus vitæ meæ, et terram colam, eamque spinas mihi ac tribulos producentem, molestias scilicet meas, et curas hasce probrosas; honestis bonisque curis destitutus : et ad ea rediens quæ reliqueram, ad terram unde exiveram, et ad cognationem meam inferiorem, et ad domum patris mei : terram deserens bonam, ubi veram mihi esse patriam ignorabam; et cognatos, quos animæ meæ proprios ac familiares postea nosse cœpi; et veri patris mei domum, in qua manens, ab iis qui manere in ea volunt, veris filiis pie honoratur et colitur pater. At ego pietatis ac gravitatis expers, indignusque inde recedo, oculos retro gradumque convertens. Filium quemdam ferunt, accepta a patre sorte legitima quæ ipsi cum altero fratre competebat, sponte sua a patris consortio abscessisse in regionem longinquam, vitaque illic intemperanter acta abligurisse paternas facultates, penitusque dissipasse; tandem vero inopia pressum, pacta mercede pascendis porcis operam locasse, fameque urgente, communes cum porcis escas expetiisse, nec consequi potuisse [2] : pœnas ergo intemperantis vitæ luit, qui pro paterna mensa, regia illa ac splendida, porcinas quas non prospexerat serviles escas commutarat. Tale quiddam nobis eventurum discedentibus videtur, nec tamen cum integra competente sorte : neque enim iis acceptis quæ congruebant discedimus; tamen, bona quidem ac chara tecum et

[1] Genes. III, 8, 17, 18, 19. — [2] Luc. XV, 11 et seq.

apud te relinquentes, pejora autem omnia permutantes. Excipient nos siquidem tristia universa, turbæ tumultusque pro pace, et inquieta ac turbulenta vita pro tranquilla et composita; pro libertate hac, servitus gravis, fora et lites et contentiones. Ac deliciæ, otiumque deinceps nobis ad meliora nullum erit : nec divina eloquia loquemur; sed loquemur opera hominum (quod sane etiam dirum quidpiam omnino visum est Prophetæ [1]), nos vero, malorum etiam hominum. Nox vere pro die, pro clara luce tenebræ, pro festa celebritate luctus; pro patria; hostile nos solum excipiet, in quo sacrum mihi canticum canere non liceat (quomodo enim in terra animæ meæ aliena, ubi qui degunt appropinquare Deo non possunt [2]?), sed flere tantum et suspirare, horum quæ hic suppetunt recordatione; si tamen hoc etiam mihi quisquam concedat. Hostes quondam ferunt magnam et sacram civitatem in qua Deus colebatur aggressos, ejusque incolas, tum cantores, tum theologos in Babyloniam patriam suam captivos pertraxisse [3]; hos vero, dum ibi detinerentur, ne rogatos quidem a dominantibus Dei laudes cantare voluisse, nec psallere in terra profana; sed organa musica in salicibus suspendisse, et ad flumina Babylonis collacrymasse [4]. Unus ergo ex eorum numero esse mihi videor, ab hac sacra urbe ac patria mea vi pulsus, ubi noctes diesque divinæ leges denuntiantur, hymnique, et cantica, et mystici sermones; ubi lux solis dieique luce clarior, nobis divina mysteria tractantibus, et noctu quæ mens interdiu vidit egitque per visum repetentibus; ubi denique, ut paucis complectar, divinus perpetuo viget afflatus : ab hac pellor, et captivus in terram alienam rapior [5]; in qua mihi nec tibiis canere, organo, ut illis ex salicibus suspenso, licebit, sed in fluminibus ver-

[1] Psal. XVI, 4. — [2] Psalm. CXXXVI. — [3] 4 Reg. XXIV, 25. — [4] Psal. CXXXVI. — [5] Ibid.

sabor, luteaque opera tractabo, et hymnos dicere, etiam si meminero, renuam. Sed fortasse præ diuturna aliarum rerum occupatione, etiam obliviscar, memoria ipsa spoliatus. Quod si abiens invitus abirem, ut captivi solent : at volens abeo, non ab alio quam a meipso expugnatus, cum manere fortasse liceret. Abiens vero, non sine periculo hinc proficiscar, tanquam a tuta et pacata quadam civitate digressus : sed verisimile est futurum ut iter faciens in latrones incidam ac comprehendar, et nudatus plagis multis vulnerer, et semivivus in via projectusque relinquar [1].

XVI. Sed quorsum hæc lamentor? Est utique Salvator omnium, et semivivorum, et a prædonibus vexatorum curator ac medicus, vigilans Verbum, omnium hominum custos. Sunt et nobis semina quæ habere nos docuisti, et quæcumque a te accepimus præclara monita atque præcepta, quibuscum discedimus; lugentes quidem, ut qui iter faciunt [2], sed nobiscum tamen hæc semina deferentes. Fortasse ergo conservabit nos præses custos; fortasse iterum ad te revertemur, afferentes ex seminibus hisce fructus et manipulos, perfectos quidem haudquaquam (qui enim?), sed quales nobis ex civilis vitæ actionibus liceat; corruptos quidem facultate vel infrugifera, vel malæ alicujus frugis, sed non amplius apud nos corrumpenda, si Deus annuerit.

XVII. Mihi ergo hoc in loco desinat oratio, audacius quidem fortasse, de quo minime decuit, elocuta; sed gratias (ni fallor) pro viribus nostris et ex animo reddere conata, qui dignum sane nihil diximus, nec tamen omnino conticuimus : quæ præterea etiam deploravit, sicut qui ab amicis digrediuntur facere solent. An puerile nihil vel adulatorium, nihilve obsoletum, vel superfluum habeat, nescio : confictum certe nihil ei inest, hoc plane scio; veritas enim ubique recto sensu, et sincera ac integra mente atque consilio.

[1] Luc. x, 30. — [2] Psal. cxxv, 6.

XVIII. Tu vero exurge, o charum caput, et bene precatus jam nos dimitte : qui præsentes sacris tuis disciplinis servasti, serva etiam precibus abeuntes. Continuo redde ac trade; sed redde potius ei qui ad te nos perduxit, Deo : gratias in primis agens pro iis quæ nobis obtigerunt; orans deinde ut etiam in posterum ubique præsens nos dirigat, menti nostræ sua mandata suggerens, divinumque nobis timorem suum, optimum pædagogum, immittens. Non enim eadem qua apud te libertate, etiam digressi, obediemus illi. Ora ut et consolationem aliquam ab eo capiamus, quando a te destituimur; ductoremque bonum mittat, comitem Angelum. Pete autem ut et redire nos faciens, iterum ad te ducat : quod unum omnium maxime nos consolabitur.

SANCTUS ARCHELAÜS,

CASCHARORUM EPISCOPUS.

ACTA

DISPUTATIONIS CUM MANETE.

SANCTUS ARCHELAÜS,

CASCHARORUM EPISCOPUS.

SYRIACUS.

(CIRCA ANNUM 277.)

S. Archelaüs, Cascharorum in Mesopotamia episcopus, non aliter notus factus est nisi vulgata disputatione quam « habuit adversus Manichæum exeuntem de Perside. » (S. Hieron. in Catal. c. LXXII.) Per Manichæum autem hic apud Hieronymum Manes ipse accipiendus, qui ex servo doctor et apostolus, imo, ut ipse jactabat, *Paracletus* evadens, abjecto servili nomine quo *Cubricus* vocabatur, Manetis, quod idem ac *sermocinatio* sonat, cognomen sibi vindicavit.

Hunc contra S. Archelaüs « librum Disputationis » suæ Syro sermone composuit, qui translatus in » Græcum habetur a multis. » (S. Hieron. ibid.) Male autem ab Heracliano apud Photium (cod. LXXXV) Hegemonio cuidam hæc disputatio tribuitur, cui tantum forsan Græca translatio tribuenda. Versio quæ nunc superest Latina non a Syriaco, sed a Græco fuit translata, ut patet tum ex numero VIII Actorum hujus disputationis, ubi interpres ἀὴρ ponens pro ἀνήρ, *aëra perfectum* dicit, quod *vir perfectus* dicendus est; tum ex eodem numero, ubi λιμος, famem, pro λοιμὸς, pestem, evidenter adhibet.

« Claruit sub imperatore Probo » (Hieron. in Catal. ibid.), disputationemque habuisse videtur circa annum 277.

Acta hujus *disputationis* prodierunt 1° curante D. Valesio ex Bobiensi manuscripto ad calcem actorum Historiæ Socratis, Parisiis, 1678 ; 2° ex ampliori Vaticano manuscripto, opera Laurentii Zaccagni, Romæ, 1698, cum aliis Veterum monumentis, in-4° ; 3° ex eadem editione recusa Fabricio auctore cum S. Hippolyti operibus, Hamburgæ, 1716, in-fol.

Vide pro Gallica tractatione D. Guillon, Bibl. Sanctorum Patrum, tom. IV, p. 308, in-8°, Parisiis, 1824.

ACTA DISPUTATIONIS

ARCHELAI,

EPISCOPI MESOPOTAMIÆ,

ET MANETIS HÆRESIARCHÆ.

I. Thesaurus[1] verus, sive disputatio habita in Carchar civitate Mesopotamiæ, judicantibus Manippo, et Ægialeo, et Claudio, et Cleobolo. In qua urbe Mesopotamiæ erat quidam vir, Marcellus nomine, qui vita, et studiis, et genere, prudentia quoque et honestate valde clarus habebatur; facultatibus etiam copiosus, et quod omnium maximum est, religiosissime Deum timens, et his quæ de Christo dicebantur semper cum timore auscultans : nec quidquam omnino boni erat quod illi viro deesset; unde et honore plurimo ab universa civitate colebatur, plurimisque ipse civitatem suam frequenter largitionibus remunerabatur, pauperibus tribuens, afflictos revelans, tribulatis auxilium ferens. Sed ne infirmitate verborum virtutibus viri derogemus potius quam digna proferamus, hæc dixisse sufficiat; ad opus quod propositum est veniam. Quodam in tempore cum Archelao episcopo captivorum multitudo fuisset oblata a militibus qui ibi castra servabant, septem millia numero et septingenti, non mediocris eum sollicitudo constrinxerat, eo quod pro salute ipsorum aurum a militibus posceretur; qui cum dissimulare non posset, pro religione et timore Dei vehementer æstuabat, et tandem ad Marcellum properans,

[1] Vide D. Guillon, tom. IV, p. 308.

rei gestæ negotium exponit. Verum, ut hæc audivit vir piissimus Marcellus, nihil omnino moratus, ingreditur domum, præparans pretia captivorum, quantacumque poposcissent qui deduxerant vinctos; et continuo, reseratis bonorum suorum thesauris, pietatis pretia militibus, nec numero aliquo nec discretione ulla distinguit, ut magis dona quam pretia viderentur. At illi admirati et amplexi tam immensam viri pietatem munificentiamque, et facti stupore permoti, exemplo misericordiæ commonentur, ut plurimi ex ipsis adderentur ad fidem Domini nostri Jesu Christi, derelicto militiæ cingulo; alii vero, vix quarta pretiorum portione suscepta, ad propria castra discederent; cæteri autem parum omnino aliquid, quantum viatico sufficeret, accipientes abirent.

II. His itaque gestis lætus Marcellus erat valde, et accito uno ex captivis, Cortynio nomine, perquirebat ab eo causam belli, vel quo casu ipsi inferiores extiterint, ac vinculis captivitatis innexi sint. At ille, loquendi sibi potestate permissa, ita exorsus est : Nos, domine mi Marcelle, viventi Deo credimus soli. Est autem nobis mos hujusmodi patrum nostrorum in nos traditione descendens, quique a nobis observatus est usque ad hunc diem : per annos singulos extra urbem egressi, una cum conjugibus ac liberis, supplicamus soli et invisibili Deo, imbres ab eo satis nostris ac frugibus obsecrantes : quod cum tempore ac more solito celebraremus, immorantes jejunos vesper obtexit, et gravabant nos duo omnium difficillima, jejunium et vigiliæ. Circa medium vero noctis invidus nobis et importunus somnus obrepsit, et cervicibus degravatis ac laxis, demerso capite, frontem genibus elidit. Hoc autem factum est, quoniam tempus aderat ut Dei judicio pœnas pro meritis penderemus; forsitan enim peccantes ignorabamus, aut etiam

agnoscentes non desinebamus. In illa igitur hora subito militum nos multitudo circumdat, ut æstimo, putantes nos pro insidiis consedisse, aut omnino usum vel studium habere præliorum; et nulla conventus nostri causa penitus explorata, bellum nobis denuntiant, non sermone, sed gladio, et homines qui injuriam facere cuiquam non didicimus, sine ulla misericordia missilibus vulnerant, hastis confodiunt, mucronibus jugulant. Et interfecerunt quidem ex nobis ad mille trecentos viros, vulneraverunt autem quingentos. Cum vero dies inclaruit, qui superfuerant ex nobis huc perduxerunt captivos, nec sic quidem aliquid nobis misericordiæ concedentes : agebant enim nos ante equos, hastilium verberibus stimulatos, et equorum frontibus impulsos. Et perduravit quidem, si cui vires fuerunt tolerandi; plurimi vero ante ora dominorum crudelium concidentes, animas exhalabant; pendentes uberibus parvulos suos matres, defatigatis ac dimissis onere brachiis, humi decidere sinebant, agitatæ insequentium minis; omnis vero senilis ætas victa laboribus, ac resoluta per inediam, corruebat in terram. Superbi vero milites hoc tam cruento collabentium spectaculo, tanquam voluptate aliqua, fruebantur, cum alios deficientes sterni solo cernerent, in aliis sitis ardoribus fatigatis intuerentur etiam vocis meatum, arescente linguæ glutino, præpediri; alios vero viderent, conversis post terga oculis, expirantium parvulorum suorum ingemiscentes exitiis, cum illi infelicissimas matres vagitibus inclamarent, illæ vero prædonum acerbitatibus agitatæ, quibus solis libere uti licebat, gemitibus responderent : quarum si quæ tenerius propriis indulgerent visceribus, interitus sortem sponte sibi parem cum filiis præsumpserunt; si quæ vero habere aliquid tolerantiæ potuerunt, captivæ huc usque perductæ sunt. Triduo itaque exacto, cum ne noctibus quidem aliquam requiem cepissemus, ad locum hunc

perducimur, in quo post hæc jam quid gestum sit, melius ipse nosti.

III. His auditis vir piissimus Marcellus plurimum in lacrymas profusus est, misertus tantos et tam varios casus; sed nihil moratus, cibos præparat, fatigatis per semetipsum ministeria exhibens : imitatus patrem nostrum Abraham patriarcham[1] qui quondam Angelis a se hospitio susceptis, non vernaculis imperavit vitulum deferre de gregibus ; sed ipse senior impositum humeris pertulit, ac per semet præparatos cibos propriis manibus Angelis apposuit. Simili et Marcellus functus officio, denos præcipit per convivia reclinari, septingentisque omnibus extructis mensis, cum ingenti lætitia reficiebat universos, ita ut qui superesse potuerant, oblivionem caperent laborum, ac totius mali efficerentur immemores. Cum autem quintus decimus transigeretur dies, Marcello cuncta affatim ministrante captivis, placuit eis omnibus remeandi ad propria tribui facultatem, præter eos quos vulnerum cura retinebat, quibus competens adhibita medela, ad sua cæteros abire præcepit. Sed his omnibus majora addidit Marcellus pietatis officia; cum plurima namque suorum manu progressus est ad sepelienda corpora in itinere peremptorum, et omnia quæcumque invenire potuit, ut dignum erat, tradidit sepulturæ : quo munere impleto, ad Charram rediit, atque exinde recuperata sanitate, vulneratos ad patriam remeare permittit, largissimo ad iter viatico præparato. At vero facti hujus opinio ad reliqua Marcelli bene gesta immensum cumulum contulit : per universam enim regionem illam ingens fama discurrit de pietate Marcelli, ita ut plurimi ex diversis urbibus videndi atque cognoscendi viri cupiditate flagrarent, et maxime hi quibus ferre penuriam usus ante non fuerat, quibus omnibus vir egregius indulgentissime ministrabat,

[1] Genes. XVIII.

Marcelli veteris imitatus exempla, ita ut omnes dicerent hoc viro nullum pietate præstantiorem. Sed et viduæ universæ in Domino credentes ad eum concurrebant; cum imbecilli quoque ex eo sibi auxilium certissimum præsumebant, nec non et orphani omnes ab ipso nutriebantur, domusque ejus peregrinorum et pauperum hospitium dicebatur : super omnia vero hæc, fidei curam egregie ac singulariter retinebat, ædificans cor suum super immobilem petram.

IV. Igitur cum diversis in locis fama de eo sæpissime spargeretur, etiam Stranga fluvio superato, Persarum in regionem eum pertulit admirandum, in qua demorabatur Manes quidam, qui ad se hujuscemodi viri opinione perlata, plurima secum ipse volvebat, quemadmodum eum doctrinæ suæ posset laqueis irretire, sperans assertorem dogmatis sui fieri posse Marcellum. Præsumebat enim universam se occupare posse provinciam, si prius talem virum sibimet subdere potuisset : in quo duplici cogitatione animus æstuabat, utrumnam ipse ad eum pergeret, an litteris eum primo tentaret adoriri; verebatur enim ne forte improviso et subito ingressu malum sibi aliquod nasceretur : ad ultimum versutioribus consiliis parens, scribere decrevit; accitumque unum ex discipulis, Turbonem nomine, qui per Addam fuerat instructus, tradita epistola, abire jubet ac perferre Marcello : quique acceptam eam huic cui a Mane fuerat præceptum pertulit, omni itinere diebus quinque transacto. Veloci etenim usus est cursu, in quo plurimum supradictus Turbo laboris et molestiæ pertulit : si quando enim veluti peregrinans ad hospitium pervenisset, quæ quidem diversoria hospitalissimus Marcellus instruxerat, cum a servatoribus hospitiorum interrogaretur unde, et quis, vel a quo missus esset, aiebat : Sum quidem Mesopotamensis, de Persida autem venio, a Manichæo magistro Christianorum missus.

At illi ignotum sibi nomen non libenter amplexi, Turbonem etiam ipsis hospitiis detrudebant, ne aquæ quidem ipsius ad bibendum facultate concessa; quæ cum singula quotidie, atque horum nequiora perferret ab his qui per singula loca mansionibus atque hospitiis præerant, nisi ad ultimum Marcello se portare litteras indicasset, peregrinus Turbo mortis pertulisset exitia.

V. Acceptas igitur Marcellus litteras resolvit ac legit, præsente Archelao, civitatis episcopo; quarum exemplum hoc est :

MANICHÆUS,

Apostolus Jesu Christi, et qui mecum sunt omnes sancti et virgines, Marcello filio charissimo gratia, misericordia, pax a Deo patre, et Domino nostro Jesu Christo : et dextera lucis conservet te a præsenti sæculo malo, et a ruina ejus, et a laqueis maligni.

Dilectionem quidem tuam immensam sentiens, vehementer gavisus sum; fides vero, quia non sit juxta te recta ratione, moleste tuli; propter quod ad emendationem generis humani missus sum, et subveniens his qui se seductionibus atque erroribus tradiderunt, hæc scripta ad te necessarium duxi transmittere; primo quidem ad salutem animæ tuæ, deinde et eorum qui tecum sunt : uti ne indiscretos animos geras, sicut simpliciorum magistri docent, dicentes malum et bonum ab eodem subsistere, et unum initium introducentes, neque quidquam perscrutantes, vel discernentes a luce tenebras, et bonum a malo, et exteriorem hominem ab interiori, sicut prædiximus; sed confundere ac permiscere alterum alteri non cessant. Tu vero, o fili, ne similiter ut multi hominum, irrationabiliter et simpliciter utraque indiscreta permisceas, neque bonitatis Deo inferas contumeliam. Initium enim et finem, et horum patrem malorum ad Deum referunt, « quorum finis est maledicto pro-

» ximus[1]. » Non enim his quæ dicta sunt in Evangeliis Salvatoris nostri et Domini Jesu Christi credunt, quia « non » potest arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona » malos fructus facere[2]. » Quomodo Dominum Satanæ, et malorum ejus actuum factorem dicere audeant et conditorem, plurimum miror. Et atque utinam eo usque eorum vanitas pervenisset, et non unigenitum, « qui de Patris sini» bus descendit[3], » Christum, Mariæ cujusdam mulieris esse dicerent filium, ex sanguine et carne, ac reliquis mulierum spurcitiis generatum. Et, ut ne plurima per hanc epistolam scribam, atque in longitudinem temporis protraham patientiam tuam, cum mihi non adsit eloquentia naturalis, sufficit ista dixisse. Omnia autem cognosces, cum præsens fuero apud te; si tamen saluti tuæ parcere ac providere festinas; non enim « laqueum alicui injicio[4], » sicuti plurimi insipientium faciunt. Intellige quæ dico, fili honorabilis.

VI. Hac epistola lecta, bajulum litterarum Marcellus obsequentissime fovebat hospitio; Archelaüs vero ea quæ lecta sunt non libenter amplexus, velut leo conclusus dentibus infrendebat, auctorem epistolæ sibi desiderans dari; quem Marcellus suadebat quiescere, semet polliciens procuraturum præsentiam viri. Rescribere ergo Marcellus ad ea quæ scripta sunt statuit epistolam continentem hæc :

MARCELLUS,

Vir notus, Manichæo, qui sibi per epistolam indicatus est, salutem.

Scriptam quidem a te epistolam sumpsi, et Turbonem solita mihi humanitate suscepi, sensum vero litterarum nequaquam adverti; nisi forte tu præsens exponas nobis per verba singula, sicut promisisti. Vale.

Hanc epistolam signatam tradebat Turboni referendam ad

[1] Hebr. vi, 8. — [2] Matth. vii, 18. — [3] Joan. i, 18. — [4] 1 Cor. vii, 35.

eum a quo prius ipse pertulerat : ille vero ad eum redire penitus reluctabatur, memor itineris laborum; et rogabat alium pro se dirigi, abnegans ultra sibi ad eum rediturum, aut communionem cum eo aliquam facturum. Marcellus vero, accito uno ex pueris suis, Callisto nomine, præcipit proficisci : qui nihil moratus, illico proficiscitur; et post triduum pervenit ad Manem, quem in castello quodam Arabionis reperit, atque epistolam tradidit; qua ille perlecta, gavisus est a Marcello invitatum se esse, ac sine mora iter invadit : Turbonis tamen remorationem non prosperam præsagitus, et quasi consulto itinere ad Marcellum perrexit. Turbo vero de Marcelli domo prorsus non discedebat, nec ab Archelaï episcopi confabulatione cessabat : valde enim studiose uterque de Manichæi studiis perquirebant, scire cupientes qui sit, unde, vel quid verbi ferat. At ille universa dilucide enarravit, repetens et exponens de fide ejus hoc modo :

VII. Si fidem Manichæi discere a me vultis, breviter audite. Hic duos colit deos innatos, ex semetipsis extantes, æternos, unum uni adversantem; et alterum quidem bonum, alterum autem malum introducit. Lux uni nomen imponit, et alteri tenebras : et lucis quidem esse partem animam, quæ in hominibus est; tenebrarum autem corpus, et quæ ex materia est conditio. Permixtionem autem vel conjunctionem hoc modo dicit effectam, conferens ambos deos in hujuscemodi exemplum : quemadmodum si duo reges sint adversum se pugnantes, qui ab initio fuerint inimici, habentes singuli suas portiones; acciderit autem ut tenebræ progredientes fines suos, bellum cum luce commiserint. Quod cum cognovisset bonus Pater, tenebras ad terram suam supervenisse, produxit ex se virtutem, quæ dicitur Mater vitæ, qua virtute circumdedit primum hominem, quæ sunt quinque elementa, id est, ventus, lux, aqua, ignis et materia, quibus indutus tanquam ad paratum belli, descen-

dit deorsum pugnare adversum tenebras. At vero tenebrarum principes, repugnantes ei, comederunt de armatura ejus, quod est anima. Tunc ibi vehementer afflictus est deorsum primus parens homo a tenebris, et nisi orantem eum exaudisset Pater, et misisset alteram virtutem, quæ processerat ex se, quæ dicitur Spiritus vivens, et descendens porrexisset ei dexteram, et eduxisset eum de tenebris, olim primus homo detentus periclitaretur. Ex eo ergo animam deorsum reliquit : et propterea Manichæi cum sibi invicem occurrunt, dant sibi dexteras hujus signi gratia, tanquam ex tenebris liberati; in tenebris enim omnes hæreses esse dicunt. Tunc vivens Spiritus creavit mundum, et indutus alias tres virtutes, descendens eduxit principes, et crucifixit eos in firmamento, quod est ejus corpus sphæra; et rursum ipse vivens Spiritus creavit luminaria, quæ sunt reliquiæ animæ, et fecit ea firmamentum circumire; et iterum creavit terram, et sunt octo. Est autem Omophorus deorsum, id est, qui eam portat in humeris; et cum laboraverit portans, intremiscit : et hæc est causa terræ motus præter constitutum tempus. Hac de causa Filium suum misit benignus Pater de sinibus suis in cor terræ et in interiores ejus partes, quo illum, ut par erat, coërceret; quotiens enim efficitur terræ motus, tremente eo ex labore, vel de humero in humerum transferente pondus, efficitur. Tunc ergo et ipsa materia creavit ex se plantas, vel germina, quæ cum furatæ essent a quibusdam principibus, convocavit omnes principes primarios, et sumpsit ab eis singulas virtutes, et fecit hominem hunc secundum speciem primi hominis illius, et junxit animam in eo.

VIII. Cum autem vidisset Pater vivens affligi animam in corpore, quia est miserator et misericors, misit Filium suum dilectum ad salutem animæ; hac enim causa et propter Omophorum misit eum. Et veniens Filius transformavit se

in speciem hominis; et apparebat quidem hominibus ut homo, cum non esset homo; et homines putaverunt eum natum esse. Cum ergo venisset, machinam quamdam concinnavit ad salutem animarum; id est, rotam statuit, habentem duodecim urceos, quæ rota per hanc sphæram vertitur, hauriens animas morientium, quasque luminare majus, id est sol, radiis suis adimens purgat, et lunæ tradit; et ita adimpletur lunæ discus, qui a nobis ita appellatur. Naves enim vel translatorias cymbas esse dicit duo ista luminaria, et cum repleta fuerit luna, transfretare animas ad subsolanam partem; et ita apocrusin (detrimentum) patitur cum onere fuerit relevata : et iterum repleri cymbam, et rursus exonerari, dum hauriuntur per urceos animæ, usquequo partem suam propriam liberet animarum. De substantia autem boni Patris omnem animam, atque omne animal, quod movetur, partem trahere confirmat. Cum igitur luna onus, quod gerit, animarum sæculis tradiderit Patris, permanent illæ in columna gloriæ, quod vocatur Vir perfectus. Hic autem Vir est columna lucis : repleta est enim mundarum animarum, et hæc est causa salutis animarum; mortis vero causa hominibus est ista. Virgo quædam decora et exornata, elegans valde, furto appetit principes qui sunt in firmamento a vivente Spiritu educti et crucifixi : quæ cum apparuerit, maribus fœmina decora apparet fœminis, vero adolescentem speciosum et concupiscibilem demonstrat. Sed principes quidem, cum eam viderint exornatam, amore ejus in libidinem moventur; et quia eam apprehendere non possunt, vehementer instigantur amoris incendiis excitati; rapti sunt enim libidinis calore : cum enim currentibus post eam anxii effecti fuissent, virgo subito nusquam comparuit. Tunc princeps ille magnus producit nebulas ex semetipso, uti obscuret in ira sua omnem mundum; qui cum tribulatus fuerit plurimum, sicut homo sudat post laborem,

ita et hic princeps sudat ex tribulatione sua, cujus sudor pluviæ sunt. Sed et messis princeps, si deceptus fuerit a virgine, effundit pestem super terram, ita ut morte afficiat homines : corpus enim hoc mundus vocatur, ad similitudinem magni hujus mundi, et omnes homines qui sunt deorsum radices habent sursum colligatas : cum ergo deceptus fuerit a virgine, tunc incipit excidere radices hominum, et cum excisæ fuerint radices eorum, efficitur pestilentia, et ita moriuntur. Quod si superiores partes radicum validius concusserit, fit terræ motus, et insequitur Omophori concussio, et hæc est mortis occasio.

IX. Dicam autem vobis quomodo et animæ in alia quoque corpora transfunduntur. In hoc primo purgatur aliquid ex ea parum ; deinde transfunditur in canem, aut in camelum, aut in alterius animalis corpus. Quod si homicidium commisit, anima in elephantiacorum corpora transfunditur ; quod si messem secuit, in mutos. Nomina autem animæ sunt ista : mens, sensus, prudentia, intellectus, cogitatio. Messores autem, qui messem metunt, conferuntur principibus qui, ex materia orti, in tenebris sunt, ex quo manducaverunt de primi hominis armatura, propter quod necesse est eos transfundi in fœnum, aut in faseolum, aut in hordeum, aut in olera, ut et ipsi desecentur et demetantur : et qui manducant panem, necesse est ut et ipsi manducentur, panem effecti. Qui occiderit pullum, et ipse pullus erit ; qui murem, mus etiam ipse erit. Si quis vero est dives in hoc mundo, cum exierit de corpore suo, necesse est eum in corpus pauperis injici, ita ut ambulet, et mendicet, et post hæc eat in pœnas æternas. Cum ergo corpus hoc principum sit, et materiæ, necesse est eum qui plantaverit perseam transire per multa corpora, usquequo persea illa quam plantaverat concidat. Qui autem ædificaverit sibi domum, dispergetur per omnia corpora. Si quis laverit se in aqua, animam

suam vulnerat; et qui non præstiterit electis ejus alimenta, pœnis subdetur gehennæ, et transformatur in catechumenorum corpora, usquequo faciat misericordias multas. Et propterea si quid optimum est in escis, offerunt illud electis; et cum voluerint manducare panem, orant primo, ista dicentes ad panem : Neque ego te messui, neque molui, neque tribulavi, nec in clibanum te misi; alius te fecit et detulit te mihi, ego innocenter te manduco. Et cum intra semetipsum hæc dixerit, respondet ad eum qui ei detulit : Oravi pro te; et ille discedit ita. Sicut ergo dixi vobis paulo ante, si quis messuerit, demetetur; ita et si quis frumentum in molam miserit, etiam ipse mittetur in molam; aut si quis consperserit, conspergetur; aut si panem coxerit, excoquetur : et propter hoc illicitum est apud eos opus facere. Et iterum dicunt esse alios quosdam, præter hunc quem videmus, mundos, quibus hujus mundi luminaria, cum hic occiderint, oboriuntur. Et illi dicunt : Si quis ambulat in terra, lædit terram; et qui movet manum, lædit aërem, quia aër anima est hominum, et animalium, et volatilium, et piscium, et repentium, et si quid est in hoc mundo : dixi enim vobis, quia corpus hoc non est Dei, sed materiæ et tenebrarum, et ideo necesse est illud obscurari.

X. Paradisus autem, qui vocatur mundus, et arbores quæ in ipso sunt, concupiscentiæ sunt, et cæteræ seductiones corrumpentes cogitationes hominum. Illa autem arbor quæ est in Paradiso, ex qua agnoscitur bonum, ipse est Jesus, et scientia illius, quæ est in mundo; quam qui acceperit, discernit bonum a malo. Mundus autem nec ipse est Dei, sed ex parte materiæ plasmatus, et ideo omnia exterminantur. Quod autem furati sunt principes a primo homine, ipsum est quod adimplet lunam, quod quotidie purgatur a mundo : et si exierit anima quæ non cognoverit veritatem, traditur dæmonibus, ut eam doment in gehenna

ignis; et postea quam correcta fuerit, transfunditur in alia corpora, ut dometur, et ita injicitur in illum magnum ignem usque ad consummationem. De Prophetis autem qui apud vos sunt hæc dicit : spiritus esse impietatis sive iniquitatis tenebrarum illarum quæ ab initio ascenderunt, a quibus decepti non sunt locuti in veritate; excæcavit enim princeps ille mentes ipsorum; et si quis sequitur verba ipsorum, morietur in sæcula, devinctus intra massam, quoniam non didicit scientiam Paracliti. Præcipit autem electis suis solis, qui non sunt amplius quam septem numero, ut cum desinerent manducantes, orarent, et mitterent oleum super caput, exorcidiatum, invocatis nominibus plurimis, ad confirmationem fidei hujus; nomina tamen mihi non manifestavit, soli enim illi septem utuntur his nominibus. Et iterum hoc, quod apud vos magnum et honorabile est nomen Sabaoth, ille dicit naturam esse hominis et patrem concupiscentiæ; et propterea, inquit, simpliciores adorant concupiscentiam, Deum eam putantes. De Adam vero quomodo creatus sit ita dicit, quia qui dicit : « Venite, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » secundum eam quam videmus formam, princeps est, qui hæc dicit ad collegas suos principes; id est : Venite, date mihi de lumine quod accepimus, et faciamus secundum nostram, qui principes sumus, formam, et secundum eam quam videmus, quod est primus homo : et ita hominem creaverunt. Evam quoque similiter fecerunt, dantes ei de concupiscentia sua ad decipiendum Adam, et per hæc factum est figmentum mundi per conditionem principis.

XI. Deum vero non habere partem cum mundo, nec gaudere super eo quod ab initio furtum passus sit a principibus, et oborta fuerit ei tribulatio; hac de causa mittit, et furatur ab eis animam suam quotidie per luminaria hæc, id est, per solem et lunam, per quos universus mundus

et omnis creatura raptatur. Illum vero qui locutus est cum Moyse, et Judæis, et sacerdotibus, principem dicit esse tenebrarum : et ideo unum atque idem sunt Christiani, et Judæi, et Gentes, eumdem Deum colentes; in concupiscentiis enim suis seducit eos, quia non est Deus veritatis. Propter hoc ergo quicumque in illum Deum sperant qui cum Moyse locutus est et Prophetis, cum ipso habent vinculis tradi, quia non speraverunt in Deum veritatis; ille enim secundum concupiscentias suas locutus est cum eis. Post hæc vero omnia ad ultimum dicit, sicut ipse scripsit, Senior cum manifestam fecerit ejus imaginem, tunc ipse Omophorus extra se terram derelinquit, et ita dimittitur magnus ille ignis, qui mundum consumat universum; deinde iterum dimittunt animam, quæ objicitur inter medium novi sæculi, ut omnes animæ peccatorum vinciantur in æternum. Tunc autem hæc fient, cum statuta venerit dies. Prolationes autem omnes Jesus est in modica navi, et Mater vitæ, et duodecim Gubernatores, et Virgo lucis, et Senior tertius. Unde et majori in navi vivens spiritus adhibetur, et murus illius ignis magni, et murus venti, et aëris, et aquæ, et interioris ignis vivi; quæ omnia in luna habitabunt, usquequo totum mundum ignis absumat : in quot autem annis, numerum non didici. Et post hæc restitutio erit duorum luminarium, et principes habitabunt in inferioribus partibus suis : Pater autem in superioribus, quæ sua sunt recipiens. Hæc est omnis doctrina quam tradidit tribus discipulis suis, et jussit eos in tres mundi plagas proficisci. Adda partes sortitus est Orientis; Thomas vero Syrorum terras suscepit; Hermas vero ad Ægyptum profectus est, et usque in hodiernum ibi degunt, dogmatis hujus gratia prædicandi.

XII. Hæc cum Turbo dixisset, vehementer accendebatur Archelaüs; Marcellus vero non movebatur, Deum expectans auxilium veritati suæ futurum : Archelao autem erat

cura pro populo, tanquam pastori pro ovibus cum luporum parantur insidiæ. Igitur Marcellus Turbonem muneribus plurimis replevit, et in Archelaï episcopi domum residere præcepit. Eadem autem ipsa die adventavit Manes, adducens secum juvenes et virgines electos ad viginti duo simul; et primo omnium Turbonem requirebat pro foribus Marcelli, quem cum non invenisset, ad Marcellum ingreditur salutandum. Quo ille viso, admiratus est primo habitus indumenta; habebat enim calceamenti genus quod quadrisole vulgo appellari solet; pallium autem varium, tanquam aërina specie : in manu vero validissimum baculum tenebat ex ligno ebelino; Babylonium vero librum portabat sub sinistra ala; crura etiam braccis obtexerat colore diverso, quarum una rufa, alia velut prasini coloris erat : vultus vero ut senis Persæ artificis et bellorum ducis videbatur. Igitur Marcellus statim ad Archelaüm mittit, qui cum verbo citius affuisset, invehi in eum animo urgebatur ex ipso habitu ac specie ejus, et maxime quidem quod et quæ Turbone referente cognoverat; secretius factum apud semetipsum retractaverat, et diligenter præparatus advenerat. At vero prudentissimus Marcellus, omni contentionum studio sublato, utrumque audire decernit, invitatis viris primariis civitatis; ex quibus judices elegit, religione gentiles, quatuor numero, quorum hæc sunt nomina : Manippus, grammaticæ artis et disciplinæ rhetoricæ peritissimus; Ægialeus, archiater nobilissimus, et litteris apprime eruditus; Claudius et Cleobolus, duo fratres egregii rhetores. Fit ergo magnificus conventus; ita ut domus Marcelli, quæ erat immensa, repleretur ex his qui ad audiendum fuerant vocati : et cum in conspectu omnium constitissent ii qui adversum se dicere proponebant, tunc illi electi judices excelsiores omnibus consederunt, atque Manæ dicendi initium datum est. Silentio igitur facto, primum aggressus est hoc modo :

MANES.

XIII. Ego, viri fratres, Christi quidem sum discipulus, apostolus vero Jesu; pro nimia autem humanitate Marcelli adesse festinavi, ut qualiter oporteat observare modum divinæ religionis eum edoceam : ne sicut muta animalia, quæ intellectu carent, nec quid agunt advertunt, ita etiam Marcellus, qui nunc se velut dedititium doctrinæ Archelaï subjugavit, ad ultimum damno animæ feriatur, cum præparandæ divini cultus observantiæ ultra non habuerit facultatem. Scio autem et certus sum quod, emendato Marcello, etiam vos omnes salvi esse poteritis; ipsius enim judicio suspensa pendet urbs vestra : quod si ab unoquoque vestrum abjiciatur vana præsumptio, et ea quæ dicentur a me veri amore audiantur, futuri sæculi hæreditatem, cœlorum regna capietis. Sum quidem ego Paraclitus, qui ab Jesu mitti prædictus sum, « ad arguendum mundum de peccato » et de injustitia[1]. » Sicut et qui ante me missus est Paulus, « ex parte scire, et ex parte prophetare[2] » se dixit, mihi reservans quod perfectum est, ut hoc quod ex parte est destruam. Tertium ergo testimonium accipite, apostolum me esse Christi electum : et si vultis mea verba suscipere, invenietis salutem; nolentes autem, vos æternus ignis absumere habet. Sicut enim Hymenæus et Alexander « traditi » sunt Satanæ, ut discerent non blasphemare[3]; » ita et vos omnes pœnarum principi trademini, pro eo quod manus injecistis in patrem Christi, cum eum dicitis causam esse omnium malorum, et conditorem injustitiæ, et totius iniquitatis creatorem; ex eodem fonte dulcem et amaram producentes aquam : quod fieri aut intelligi nulla ratione possibile est. Cui enim oportet credi? magistris vestris istis, qui carnibus vescuntur et affluentissimis deliciis perfruuntur, aut Salvatori Christo Jesu dicenti, sicut scriptum est

[1] Joan. xvi, 8. — [2] 1 Cor. xiii, 9. — [3] 1 Timoth. vii, 30.

in Evangeliorum libro : « Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere[1] ? » Et alio in loco[2], patrem diaboli, mendacem et homicidam ab initio esse confirmat. Rursum desiderium fuisse tenebris ut insequerentur illud quod de luce initio fuerat prolatum Verbum, et inimicum hominem zizaniorum seminatorem, et principem sæculi mundi hujus Deum, qui hominum mentes excæcat[3], ut in Evangelio Christi deserviant? Bonus est iste Deus, qui suos homines salvari non vult? Et, ut ne multa alia revolvam, et spatium temporis obteram, veræ doctrinæ differens tempus, hæc dixisse sufficiat, et ad propositum redeam, ut competenter ostendam istorum absurdam esse doctrinam, nec quidquam Deo et Patri Domini nostri Salvatoris ascribendum, sed malorum nostrorum causam accipere Satanam : in ipsum etenim rejiciendum quod omnia hujuscemodi mala ab ipso generentur. Sed et ea quæ in Prophetis et Lege scripta sunt, ipsi nihilominus ascribenda sunt; ipse est enim qui in Prophetis tunc locutus est, plurimas eis de Deo ignorantias suggerens, et tentationes, et concupiscentias. Sed et devoratorem eum sanguinis et carnis ostendunt; quæ omnia ad eum pertinent Satanam et ad prophetas ejus, quæ transformare voluit in patrem Christi, et scribere pauca quædam vera, ut per hæc etiam cætera, quæ sunt falsa, crederentur. Unde bonum nobis est ex omnibus quæ usque ad Joannem scripta sunt nihil omnino suscipere, a diebus vero ejus evangelizatum regnum cœlorum solum amplecti : semetipsos enim irriserunt, ridicula et ludicra introducentes, exiguis quibusdam verbis in Lege adumbratis, ignorantes quia malis si admiscerentur bona, malorum corruptione etiam quæ bona sunt exterminantur. Et si quidem est quisquam qui possit ostendere Legem recti tenentem esse, debet custodiri; sin au-

[1] Matth. VII, 18. — [2] Joan. VIII, 44. — [3] Matth. XIII, 25. Ephes. VI, 12.

tem malam ostendero, interimenda est et abjicienda, quippe quæ mortis ministerium continet[1] informatum, quæ vultus Moysi gloriam, contegens, destruxit. Non est igitur sine periculo cuiquam vestrum pariter cum Lege et Prophetis novum Testamentum, tanquam unius sint utraque, docere; quippe cum renovet de die in diem Salvatoris nostri eruditio, illa vero veterascens et senescens prope exterminium fiat. Quod manifestum est his qui discretionem habere possunt, quia sicut arboris cum senuerint rami, vel truncus fructum ultra non affert, sed abscinduntur, et membra corporum, cum corrupta fuerint, amputantur; corruptionis enim virus ex membris per omne corpus infunditur, et nisi artificis diligentia remedium morbus acceperit, corpus omne vitiatur : ita ergo et recipientes Legem, nisi cognoveritis cujus sit, animas cum salute perdetis. « Lex enim et Prophetæ » usque ad Joannem Baptistam[2]; » a Joanne vero lex veritatis, lex promissionum, lex cœlorum, lex annuntiatur humano generi nova. Equidem donec non erat qui verissimam scientiam Domini nostri Jesu vobis ostenderet, peccatum non habebatis : nunc autem et videtis, et auditis, et in inscitias ire vultis, ut Legem, quæ destructa est et relicta, sicut Paulus, qui apud vos probatissimus habetur, ait in quadam epistola sua hoc modo : « Si enim quæ destruxi hæc iterum » reædifico, prævaricatorem me constituo[3]. » Hoc autem dicit, gentiles eos judicans, propter quod sub elementis mundi essent priusquam venerit plenitudo fidei[4], credentes in Lege et Prophetis.

JUDICES.

XIV. Si quid adhuc manifestius habes, dic de doctrinæ tuæ modo, et fidei titulo.

MANES.

Ego duas naturas esse dico, unam bonam, et alteram ma-

[1] 2 Cor. VI, 7. — [2] Luc. XVI, 16. — [3] Gal. XII, 18. — [4] Id. IV, 3.

lam : et eam quidem quæ bona est, in quibusdam partibus habitare; malam vero esse tam mundum hunc, quam omnia quæ in eo sunt, quæ quasi ergastula in parte maligni posita sunt, sicut ait Joannes : « Totus mundus in maligno » est positus[1], » et non in Deo. Propterea duo loca esse diximus, unum bonum, et alium qui extra eum est, ut in his spatium habens, posset in se suscipere creaturam mundi. Si enim dicimus monarchiam unius naturæ et omnia Deum replere, et nullum esse extra eum locum, quis erit creaturæ susceptor? ubi gehenna ignis? ubi tenebræ exteriores? ubi fletus? In ipso dicam? Absit; alioquin etiam ipse in his pariter cruciabitur. Non ista sentiatis, quicumque salutis vestræ curam geritis; exemplum enim vobis dicam, ut plenius intelligatis. Unum vas est mundus : quod Dei substantia totum hoc vas replevit, quomodo jam potest in ipso vase aliquid amplius reponi? Si repletum est, quomodo suscipiet quod ponitur, nisi evacuetur de vase pars aliqua? Aut quo proficiet quod evacuabitur, cum locus non sit? Ubi terra? ubi cœlum? ubi abyssus? ubi stellæ? ubi sedes? ubi Potestates? ubi Principes? ubi tenebræ exteriores? Quis est qui horum posuit fundamenta, et ubi? Non potest aliquis dicere, nisi forte blasphemet. Quomodo autem et condere potuit creaturas non subsistente materia? si enim de non extantibus, consequentur has visibiles creaturas meliores esse, et omnibus virtutibus plenas. Quod si malitia est et mors in eis, et corruptio, et si quid bono contrarium est; quomodo ex alia natura factas esse eas dicimus? Si vero consideretis quomodo generentur filii hominum, invenietis non esse Dominum hominis creatorem; sed alium, qui et ipse ingenitæ est naturæ, cujus conditor nullus nec creator nec factor est, sed sola malitia sua talem eum protulit. Est igitur vobis hominibus commixtio cum uxoribus vestris

[1] 1 Joan. v, 19.

de hujuscemodi occasione descendens. Cum quis vestrum carnalibus aliisque cibis fuerit satiatus, tunc ei concupiscentiæ oboritur incitatio, et ita generandi filii fructus augetur, ut non ex virtute aliqua, nec ex philosophia, nec ex alio ullo intellectu; sed ex sola ciborum satietate, et libidine, et fornicatione. Et quomodo mihi quisquam dicet quia ad imaginem Dei factus est pater noster Adam, et ad similitudinem, et similis est ei qui fecit eum? Quomodo omnes qui ex eo generati sumus, similes ei sumus? imo vero e contrario plurimæ nobis sunt formæ, diversi vultus ferentes effigiem? Quod quam verum sit demonstrabo vobis in parabolis. Intuemini mihi aliquem volentem thesaurum aut aliquid aliud signare, et accepta cera vel luto velle vultus sui signaculum, quod gerit, exprimere; quod si alius quoque vultus sui figuram similiter expresserit: numquid simile signaculum apparebit? Nequaquam; etiam si vos nolitis quod verum est confiteri. Quod si non sumus similes in signaculo, sed est in nobis differentia; quomodo non probatur principum nos et materiæ esse facturam: secundum enim ipsorum formam, et similitudinem, et imaginem etiam nos existimus formæ diversæ. Quod si eam quæ ex initio facta commixtio est, et qualiter facta sit, vultis ediscere, edicam.

JUDICES.

XV. Non prius quæritur quomodo facta sit prima commixtio, nisi prius detur ratio duo esse principia naturalia. Cum enim claruerit duo esse ingenita, tunc etiam reliqua fidem capient, etiam si pars aliqua non accommodaverit assensum: judicandi enim nobis potestate permissa, dicemus quod nostræ opinioni claruerit. Demus tamen et Archelao dicendi facultatem ad hæc, ut quæ ab utroque dicta fuerint comparantes, pro veritate possimus ferre sententiam.

ARCHELAUS.

Tametsi ingentis audaciæ et blasphemiæ plena est intentio adversarii...

MANES.

Audite, judices, quid dixerit, *adversarii?* Ergo duæ res sunt.

ARCHELAUS.

Insaniæ magis quam prudentiæ videtur mihi plenus iste, qui mihi hodie controversiam movet quia dixero *adversarii:* sed ablata tibi est in modico sermone objectio; tametsi quidem ex hoc arbitratus es me affirmaturum duas esse naturas. Ingentem doctrinam ferens ades; neutrum enim eorum quæ asseris stat. Potest enim is qui non natura sed proposito adversarius est, amicus effectus, non esse adversarius; et ita cum alter e nobis alteri acquieverit, unum atque idem uterque apparebit: quæ causa indicat creaturas rationabiles libero arbitrio esse permissas, unde et conversiones recipiunt, et ideo ingenitæ naturæ esse non possunt. Quid ergo ais? duæ istæ naturæ inconvertibiles sunt, an convertibiles, aut una eorum convertitur?

At vero Manes remoratus est, non inveniendo responsum; intuebatur enim quod ex utroque concluderetur retractans: Quia si dicam converti eas, respondebit mihi illud quod in Evangelio scriptum est de arboribus; quod si negem esse convertibiles, permixtionis statum et causam necessario expetet. Interea aliquando respondit

MANES.

Inconvertibiles quidem sunt utræque, quantum spectat ad contraria; convertibiles vero, quod spectat ad propria.

ARCHELAUS.

Videris mihi delirus esse et obliviscens propositionum tuarum, sed ne eorum quidem quæ didicisti verborum virtutes vel qualitates agnoscere. Neque enim conversio quid sit agnoscis, neque quid sit ingenitum, aut quid dualitas; non quid præteritum, vel quid præsens, quidve futurum sit: sicut ex his quæ a te nunc dicta sunt adverti. Inconvertibilem enim esse affirmasti utramque naturam, quantum ad contraria spectat; convertibilem vero, quantum ad propria.

Ego vero dico quia qui in propriis vertitur non excedit a se, sed est in eisdem, quibus semper est inconvertibilis; qui vero recipit convertibilitatem, hic extra propria effectus, devenit in aliena.

JUDICES.

XVI. Convertibilitas illum cui accidit transfert in alium; ut si dicamus, Judæus si velit fieri Christianus, aut si Christianus velit esse Gentilis, hæc species est convertibilitatis et causa. Neque vero si Gentilis, cum in omnibus propriis suis maneat, ac diis suis hostias offerat, templisque ex more deserviat, donec perseverat in propriis ac proficit, numquid dici potest esse conversus? Quid igitur dicis? recipiunt convertibilitatem, an non?

Et immorante Mane,

ARCHELAUS.

Si quidem convertibiles esse dicit utrasque naturas, quid est quod impediat uti ne unum atque idem eas esse opinemur? Si enim inconvertibiles sunt, non est in his naturis quæ similiter inconvertibiles sunt, et similiter ingenitæ, ulla discretio; neque altera ex his bona agnoscitur, aut mala. Quod si convertibiles sunt, scilicet provenire potest, et bonum effici malum, et malum bonum. Si enim hoc provenire possibile est, quare non unum dicamus ingenitum, quod intelligere magis dignum est juxta rationem veritatis? Intueri enim oportet quomodo malus ille fuerit ab initio, aut in quos malitiam exercuerit ante mundi constitutionem. Cum cœlum nondum extitisset, et nondum terra subsisteret, non homo, non animal, in quos exercebat malitiam? quem opprimebat injuste? quem spolians occidit? Quod si suis eum dicas extitisse malum, sine dubio ergo ostenditur illum bonæ esse naturæ. Si vero et illi omnes mali sunt, quomodo potest Satanam et Satanas ejicere? Sed conclusus sermone convertis, ut dicas: Bonus vim passus est a malo. Sed nec hoc quidem est tibi sine periculo dicere, ut lucem victam

esse confirmes; quod enim vincitur, vicinum habet interitum. Quid enim ait sermo divinus? « Quis enim potest introire in domum fortis, et diripere vasa ejus, nisi illo sit » fortior[1]? » Quod si hominibus eum malum extitisse dixeris, et ex eo malitiæ suæ indicia demonstrasse: ergo ante hoc bonus fuit, et convertibilitatem recipit ex eo, quod creati hominis causa invenitur extitisse malitiæ. Sed postremo dicat quod est malum, ne forte nomen solum defendat aut astruat. Quod si non nomen mali, sed substantia; fructus nobis malitiæ et nequitiæ hujus exponat, quoniam non agnoscitur unquam arboris natura sine fructu[2].

MANES.

XVII. Constet apud te prius quia est radix alia malitiæ, quam non plantavit Deus, et tunc tibi dicam fructus ejus.

ARCHELAUS.

Non hoc veri expetit ratio; neque enim assentiar tibi radicem esse malæ arboris illius, de cujus fructibus nunquam ullus gustaverit. Tanquam si velit aliquid quis emere; nisi prius gustando discat utrum arida sit species, aut liquida, pecuniam non profert: ita neque ego tibi assentiar esse arborem malam et pessimam, nisi prius qualitas fructuum ejus fuerit manifestata; scriptum est enim, quia de fructibus arbor cognoscitur[3]. Dic ergo nobis, o Manes, arbor quæ dicitur mala, quem afferat fructum, aut cujus naturæ sit, quam virtutem habeat, ut tibi credamus etiam radicem arboris ipsius esse talem.

MANES.

Radix quidem mala, arbor autem pessima, incrementum vero non ex Deo; fructus autem fornicationes, adulteria, homicidia, avaritia, et omnes mali actus malæ illius radicis.

ARCHELAUS.

Ut tibi credamus quia isti sunt fructus malæ illius radicis,

[1] Marc. III, 27. — [2] Matth. VII, 18. — [3] Ibid. 16.

gustum nobis eorum profer; substantiam enim ingenitam esse pronuntiasti hujus arboris, cujus fructus secundum sui similitudinem proferuntur.

MANES.

Hæc ipsa injustitia quæ in hominibus est, testimonium reddit, et avaritia de gustu illius malæ radicis.

ARCHELAUS.

Ergo, ut dixisti, fructus sunt arboris hujus iniquitates istæ quæ geruntur ab hominibus?

MANES.

Ita plane.

ARCHELAUS.

Si fructus isti sunt, id est, actus hominum mali, ipsi ergo homines radicis locum atque arboris obtinebunt; ipsos enim pronuntiasti fructus ferre hujuscemodi.

MANES.

Ita dico.

ARCHELAUS.

Male dicis, Ita dico; non enim ita dicis, alioquin cum homines cessaverint peccare, arbor malitiæ infructuosa apparebit.

MANES.

Impossibile est quod dicis; si enim unus cessaverit, aut alius, aut plures; alii autem hoc agerent.

ARCHELAUS.

Si omnino possibile est unum, et alium, et plures, sicut ais, non peccare, possibile est etiam hoc omnes agere; unius enim conditoris sunt, et unius massæ homines omnes: et ne otiose per ineptias sequar, ea quæ incondite protulisti certis præscriptionibus excludam. Ais fructus malæ radicis atque malæ arboris esse actus hominum, id est, fornicationes, adulteria, perjuria, homicidia, et reliqua his similia?

MANES.

Ita.

ARCHELAUS.

Ergo si humanum genus interire pervenerit a facie terræ, ita ut ultra jam peccare non possint, periret arboris hujus substantia, fructum ultra non afferens.

MANES.

Et quando quod dicis fiet?

ARCHELAUS.

Quoniam quod futurum est nescio, homo enim sum; non tamen sermonem istum indiscussum relinquam. Quid dicis de humano genere? ingenitum est, aut factura?

MANES.

Factura est.

ARCHELAUS.

Si factura est homo, quis est adulterii, et fornicationis, et reliquorum talium pater? cujus hic est fructus? Priusquam fieret homo, quis erat qui fornicaretur, aut adulteraret, aut homicidia perpetraret?

MANES.

Sed homo a mala natura plasmatus, manifestum est quia ipse sit fructus, etiam si peccet, etiam si non peccet: unde semel absolute nomen hominum et genus tale est, etiam si justa gesserit aut injusta.

ARCHELAUS.

Sed et illius rei faciamus mentionem. Si ipse, ut ais, hominem fecit malignus, quare malitiam exercet adversus eum?

JUDICES.

XVIII. Hoc volumus scire a te, Manichæe, quomodo illum affirmasti malum esse? Ex eo quo homines facti sunt, aut antea? Quia enim necesse est te malitiæ ejus opus ostendere ex eo tempore ex quo malum eum fuisse asseris: certus esto quia neque cognoscitur vini qualitas, nisi prius

gustaverit quis; sicut et ex fructu omnis arbor dignoscitur. Quid ergo dicis? ex quo tempore malus est hic? necessaria enim nobis videtur hæc ratio.

MANES.

Semper.

ARCHELAUS.

Ostendam etiam hoc, optimi viri, et prudentissimi auditores, quoniam sermo ejus omnino non constat; nam et ferrum non est semper malum, nisi ex quo homo est et artificium ejus in malo conversum, utendo ex eo perverse; et omne peccatum extitit ex quo homo est. Sed nec ille quidem ipse magnus serpens malus ante hominem fuit; sed post hominem, in quo malitiæ suæ ostendit fructum, quia ipse voluit. Si ergo nobis post hominem apparet secundum Scripturas malitiæ pater, quomodo ingenitus erit qui post hominem, qui factura est, malus effectus est? Sed ex hominis tempore a se creati, cur malus ostendatur? Quid in eo concupivit, si omne corpus suæ facturæ erat; quid zelatus est? Qui enim zelatur aut concupiscit, meliora et aliena concupiscit. Si ergo ex eo homo est, mala natura, demonstratur quomodo suus fuit, sicut frequenter ostendi, homo. Si enim suus erat homo, malus erat etiam ipse, tanquam talis arboris fructus; mala enim arbor, sicut ais, malos fructus facit. Cum omnes enim mali essent, quid desideravit; aut unde initium malitiæ ostendit, si ex tempore plasmati hominis malitiæ ejus homo causa est? Lege autem ac præcepto sibi dato, homo poterat nequaquam obtemperare serpenti et his quæ ab eo dicebantur; cui si non obtemperasset homo, qua ex causa malus fuisset? Quod si ingenitum est malum, et quomodo interdum homo fortior illo invenitur? obtemperans enim mandato Dei frequenter vincet omnem malitiæ radicem; et ridiculum est, si iste qui factura est fortior inveniatur ingenito. Cujus autem est lex

et mandatum, illud dico quod homini datum est? Sine dubio confitebitur Dei esse. Et quomodo potest dari lex alieno, aut inimico quis potest dare præceptum? Aut ille qui accipit præceptum, quomodo potest adversus diabolum, id est, adversus creatorem suum pugnare; tanquam si filius patri, cum beneficiorum debitor sit, irrogare velit injurias? Ita in hac parte inutilitatem hominis designas, si per legem et mandatum adversus eum qui plasmaverit dicat, atque eum vincere conetur. In tantum enim stoliditatis progressum esse ipsum diabolum putabimus, quod adversum se hominem fecisse non senserit, nec animadverterit quid futurum esset, nec providerit quid sequebatur; cum etiam in nobis, qui factura sumus, sit aliqua vel parva scientia, inest et aliquid prudentiæ, et existimationis nonnunquam certæ. Et quomodo ingenito ne exiguum quidem providentiæ fuisse credimus, neque existimationis, aut intellectus; sed brutissimus sensu, et obtusissimi cordis, et naturæ pecoris invenitur, secundum assertionem, videlicet, tuam? Quod si ita est, quomodo homo, qui ingenio atque scientia non parum pollet, ab eo qui ignarus omnium atque hebes sensu est, potuit accepisse substantiam? Quomodo hujuscemodi auctoris opus esse hominem audebit aliquis confiteri? Quod si homo anima est, et corpus et non solum corpus sine anima, quæ sine se subsistere non possunt; quare ea inimica sibimet dices et contraria? Videtur enim mihi Dominus noster Jesus Christus de his dixisse per parabolas: « Nemo potest » vinum novum in utres veteres mittere, alioquin rumpen» tur utres, et vinum effundetur[1]. » Sed vinum novum in utres novos mittendum est, quoniam quidem idem Dominus est utris et vini; nam etsi diversa substantia sit, sed dominatione et observantiæ usu ex his duabus una persona subsistit. Non enim animam dicimus substantiæ unius esse

[1] Matth. IX, 17.

cum corpore, sed habere unumquodque qualitatem suam; et tanquam ad unum genus atque unam speciem hominum uter ac vinum comparatur, ita ab uno Deo hominem editum ratio expetit veritatis : gaudet enim anima corpore, et diligit et colit illud; nihilominus etiam corpus gaudet ab anima se vivificatum. Quod si maligni opus dicat esse quis corpus, cum sit et corruptibile, ac vetustum, atque deterrimum, non potest ferre spiritus virtutem, nec animæ commotionem, et ejus splendidissimam creaturam. Sicut enim si assumentum panni rudis assuat quis vestimento veteri, major scissura fit[1]; ita etiam corpus, si præclarissimo operi, animæ associatum fuerit, interiret. Similiter et si quis inferat lucernæ lumen in locum tenebrosum, fugantur continuo tenebræ, nec apparent; ita intelligendum est, anima corpori inserta, continuo tenebras effugatas, et unam jam effectam esse naturam, atque unum hominem in unam speciem constitutum : et ita conveniet consonanter vinum novum esse missum in utres novos, et assumentum panni rudis assutum non esse veteri vestimento. Sed ex hoc ostendere possumus consonantiam esse virtutum in utraque, id est, corporis atque animæ substantia, in qua ait Scripturarum doctor maximus Paulus[2], Deum in corpore, sicut voluit, unumquodque membrum posuisse.

XIX. Quod si tibi id difficile videtur intellectu, nec acquiescis his dictis, saltem exemplis tibi affirmabo. Intuere hominem templum esse quoddam, sicut scriptum est[3]; spiritus autem, qui in ipso est, referat ejus formam qui inhabitat templum : neque ergo templum constitui potest non agnito prius habitatore templi, neque inhabitator collocatur si templum non sit extructum. Cum ergo utrumque una ac pariter dedicetur, quomodo in his inimicum aliquid

[1] Matth. IX, 17. — [2] 1 Cor. XII, 18. — [3] 1 Cor. III, 17; et 2 Cor. VI, 16.

aut contrarium inveniri potest, et non potius ab amicis atque idem volentibus utrumque videtur effectum? Et ut scias quoniam et amicitia et genere conjuncti sunt, qui scit et audit, « Faciamus hominem, » et reliqua, respondit. Hic enim qui templum extruit, interrogat illum qui informat simulacrum, mensurasque etiam magnitudinis ac latitudinis, vastitatisque perquirit, ut ita fundamentorum spatia describat; neque enim in vanum quis templum extruit, nisi mensuras collocandi didicerit simulacri. Similiter igitur perquiritur modus corporis, atque mensura, ut possit apte in eo anima collocari ab artifice omnium Deo. Quod si dicat quis inimicum esse eum qui plasmaverit corpus; Deus, qui creator est animæ meæ, quomodo non, dum alteri invidet, alterius operi irrogavit infamiam, ut aut ille qui templum extruit angustum faciat, ita ut capere non possit quod collocatur? aut ille qui simulacrum fecit, quomodo non grave aliquid pertulit et ponderosum, quo intromisso templum continuo concideret? Secundum hoc, quod novimus esse inimicorum studia, contemplemur hæc, si non ita se habent; sin autem oportet omnia iisdem mensuris eadem æquitate disponi, similique gloria efferri, quid adhuc de hoc dubitamus? Addimus tantum, si placet, etiam illud exemplum : similis videtur esse homo navi quæ instructa ab artifice atque in mare deducta est, quamque navigare impossibile est sine gubernaculis, quibus regi et flecti possit in quæcumque loca voluerit gubernator ejus ; et quia eodem artifice indigeat corpus gubernaculorum quo et totius navis, nulli dubium est; sine gubernaculis enim otiosum erit omne navis opus, corpus illud immensum. Ita ergo animam corporis gubernacula dicimus : reguntur autem utraque arbitrii atque animæ libertate, quo velut gubernatore utimur; quæ cum per conjunctionem unum effecta, consonantiam officii sui continent ad omne

opus quodcumque ex semetipsis efficiunt, uni auctori et conditori testimonium ferunt.

XX. His auditis, turbæ quæ aderant vehementer gavisæ sunt, ita ut pene manus injicerent in Manem; quos vix Archelaüs cohibens et reprimens, conquiescere fecit.

JUDICES.

Sufficienter ostendit Archelaüs hominis et corpus et animam unius esse factoris, eo quod consonare in conjunctione non possit opus unius, si propositum artificis a se dissentiret alterius. Quod si dicatur unum explicare utrumque minime valuisse, infirmitatem ostendit artificis; quia et si dicat quis animam boni Dei esse, otiosum opus invenitur hominis, nisi etiam corpus acceperit. Quod si rursum corpus mali Dei dicatur esse figmentum, otiosum nihilominus erit, si animam non acceperit : quæ utique nisi commixtione atque sibi invicem fuerit inserta cum corpore, homo nec erit nec dicetur. Unde multis exemplis approbavit Archelaüs, totius hominis unum atque eumdem esse factorem.

ARCHELAUS.

Scire te non dubito, Manes, hoc, quod generantis aut creantis filius dicitur ille qui natus est et creatus. Quod si malignus hominem finxit, pater ejus esse debet secundum naturam. Et cui ergo dicebat Dominus Jesus, docens orare homines : « Sic dicite cum oratis : Pater noster, qui » es in cœlis[1]; » et iterum : « Orate Patrem vestrum, qui est » in occulto[2]? » De Satana autem dixit vidisse se eum « si- » cut fulgur cadentem de cœlo[3]. » Uti ne quisquam audeat dicere quod ipsum nos docebat orare; neque enim descenderat Jesus ut homines conjungeret et reconciliaret Satanæ, quin potius conterendum eum sub pedibus fidelium suorum tradidit. Sed ego beatiores istos dicam esse

[1] Matth. vi, 9. Luc. xi, 2. — [2] Matth. vi, 9. — [3] Luc. x, 18.

Gentiles, qui multos quidem introducunt deos, unanimes tamen atque amicos eos confitentur : hic vero duos introducens, inimicitias inter eos discordemque sententiam non erubescit astruere. Quod si simulatos sub hujuscemodi conditione introducerent deos, ludum jam gladiatorium inter eos erat videre, innumeras habentes naturas, diversasque sententias.

XXI. Jam vero de interiore atque exteriore homine quid me necesse est dicere, cum Salvatoris voce dicatur ad eos qui camelum glutiunt et de foris hypocritæ sunt, blandimentis atque adulatione circumdati, ad quos Jesus ait : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ ! quare quod » de foris est catini et calicis lavatis, quod autem intus est » immunditia plenum est ? Aut nescitis quia qui fecit quod » foris est, et quod de intus est fecit[1]. » Numquid de catino et de calice loquebatur ? Numquid vitriarius erat qui hæc dicebat, aut figulus ex luto fingens vasa ? Nonne de corpore atque anima evidentissime loquebatur ? Quoniam quidem Pharisæi aneti et cimini decimas[2] expectantes, quæ erant graviora Legis relinquebant, et his quæ extrinsecus erant adhibentes diligentiam, contemnebant ea quæ ad salutem animæ pertinebant; expectabant etiam salutationes in foro et primos discubitus in cœnis[3] : quos sciens Dominus Jesus perditos esse, dicebat eis quia his solis rebus quæ de foris erant adhiberent diligentiam, et ea quæ intrinsecus erant contemnerent velut aliena, ignorantes quoniam qui corpus fecerat ipse fecit et animam. Et quis ita lapideus est et stolidus, ut non ad omnia ei iste sermo sufficiat ? Cui sermoni consonans Paulus ait, interpretans ea quæ in Lege scripta sunt, hoc modo : « Non infrænabis os bovi » trituranti. Numquid de bobus cura est Deo ? Aut propter

[1] Matth. XXIII, 26. Luc. XI, 39. — [2] Luc. XI, 48. — [3] Idem, — XX, 46. Matth. XXIII, 6. Marc. XII, 38.

» nos utique dicit[1] ? » Sed quid immoramur ulterius? adjiciam tamen pauca de pluribus. Si duo sunt ingenita, et his loca certa decernimus, dividitur Deus, si intra certum locum est et non ubique diffunditur; et erit multo inferior loco in quo est (majus enim quod continet semper eo quem continet); et efficitur Deus ejus magnitudinis cujus est locus in quo continetur, sicut homo si sit in domo. Deinde ratio requirit quis est qui inter eos diviserit, aut quis eis certos terminos statuerit; et invenitur jam uterque multo inferior virtutis humanæ. Lysimachus enim et Alexander totius mundi imperium tenuerunt, omnesque nationes barbaras atque omne genus hominum subjicere potuerunt, ita ut non esset alius imperator per illud tempus præter ipsos sub cœlo. Et quomodo audebit quisquam dicere, non ubique esse Deum, qui est lumen verum indeficiens, cujus est regnum sanctum, et sempiternum, ceu nequissimi istius impietas, qui nec æqualem quidem cum hominibus potestatem omnipotenti Deo tribuit?

JUDICES.

XXII. Lumen in tota domo lucere scimus, et non in una aliqua parte, sicut et Jesus dicit, quia « Nemo lucernam accendens ponit sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt[2]. » Si ergo lumen est, necesse est illud (si tamen Jesus creditur) mundo universo lucere, et non per partes; a quo si universum obtinet mundum, ubi jam ingenitæ tenebræ, nisi forte accidentes, intelligantur?

ARCHELAUS.

Quoniam quidem multo melius a vobis intelligitur sermo Evangelicus, quam ab isto qui se Paraclitum esse profitetur, quem ego magis Parasitum quam Paraclitum dixerim, dicam ego quomodo acciderint tenebræ. Cum lux esset ubi-

[1] 1 Cor. IX, 9. — [2] Matth. V, 16.

que diffusa, mundum cœpit Deus condere, initium a cœlo et terra sumens, in quo ita ratio evenit, ut medietas, quæ est terræ locus umbra obtectus, objectu videlicet earum quæ factæ sunt creaturarum, inveniretur obscurus, ita ut res expeteret introduci lucem huic ipsi in medietate posito loco. Unde et in Genesi Moyses enarrans facturam mundi, nequaquam facit tenebrarum mentionem, aut quasi factæ sint aut non factæ; sed ipse tacuit, his qui possint advertere derelinquens rationem hujus intellectus, quæ quidem nec satis est ardua atque difficilis : cui enim non fiat manifestum, solem istum visibilem, cum ab oriente fuerit exortus, et tetenderit iter suum ad occidentem, cum sub terram ierit, et interior effectus fuerit ea quæ apud Græcos sphæra vocatur, quod tunc objectu corporum obumbratus non appareat ? Sed obtecto eo, obstante terræ corpore, superducitur umbra, quæ ex se efficit tenebras, usquequo rursum, inferioris spatii cursu per noctem transacto, ad orientem revolvat, atque in locis solitis obortus appareat. Est ergo umbræ atque noctis causa corporis terræ soliditas, quod etiam ex suimet ipsius umbra homo intelligere potest. Ante cœlum enim et terram, atque omnes istas corporeas creaturas indeficiens lux manebat, cum nullum corpus existeret quod umbram sui objectione generaret; et ideo nusquam tenebras, nusquam noctem fuisse profitendum est. Nam si, verbi gratia, placeat ei cui potestas est omnium, plagam quæ ad occasum est auferre de medio, non agente sole ad illam partem cursum, nusquam fiet vespera aut tenebræ; sed erit sol semper in cursu, nec unquam occidet, et medium cœli axem pene semper tenebit, nec aliquando desinet apparere; et per hoc erit universus orbis terrarum clarissimo lumine radiatus, ex quo nec ulla ejus pars obumbrabitur, sed manebit ubique unius luminis æqualitas. Occidentali autem plaga statum suum servante,

et sole cursum suum tribus mundi partibus ministrante, hi quidem qui sub sole sunt clarius videntur illuminari, ita ut pene dixerim, dormientibus adhuc iis qui e diversa plaga consistunt, isti priores diei exordium sumant. Sicut autem ante eos qui in parte occidua jacent illis lumen exoritur, ita velocius obscuratur, et soli omnium qui in orbis medietate consistunt æqualitatem semper sentiunt lucis. Cum enim medium sol tenuerit cœlum, nullus est locus qui aut lucidior aut obscurior esse videatur; sed omnes mundi partes, ex æquo et justo, solis fulgore luminantur. Si ergo, ut superius diximus, occiduæ plagæ pars auferatur e medio, ultra jam non obscurabitur pars quæ ei adjacet. Et hæc quidem mihi simplicius dicta sint, cum possim et Zodiacum circulum describere; sed non intui nunc fieri ratus sum, propter quod de his silebo, et ad illud caput recurram quod objecit adversarius, affirmans omni nisu tenebras esse ingenitas, quod et ipsum, quantum valuimus, jam confutatum est.

JUDICES.

XXIII. Si consideremus lucem fuisse ante conditionem creaturarum, et nihil fuisse objectum quod ex se umbram generaret, necesse est lucem ubique fuisse diffusam, et omnia loca fulgore lucis illuminata, sicut ostensum est ex his quæ a te nuper dicta sunt, in quibus veram esse rationem videntes, damus palmam allegationibus Archelaï. Si enim divisionem accipiat universus mundus, veluti muro quodam per medium instructo, et ex una parte habitent tenebræ, ex alia vero lux; intelligitur nihilominus quia, ex eo quod instructum est ædificium, umbra generata acciderint tenebræ : et rursum nobis quærendum est quis ædificaverit murum in medio duorum, si tamen ædificatum fateris, o Manichæe. Si vero illa ratio consideretur, quasi murus non sit instructus, rursus sine aliqua exceptione unus esse uni-

sus intelligitur locus, ac sub una potestate positus; unde ex omni parte tenebræ ingenitam naturam habere non possunt.

ARCHELAUS.

Dicat mihi etiam hoc ad ea : quæ proposita sunt Deo in regno suo posito, et maligno similiter in suo regno, quis inter medium ipsorum construxerit murum? Non enim potest dividere quid duas substantias, nisi quod sit utriusque majus, sicut in Genesis libro, quia « divisit Deus inter lu» cem et tenebras[1]. » Talem esse aliquem necesse est et muri istius instructorem, murus enim terminos uniuscujusque demonstrat, sicut inter eos qui rura incolunt lapis solet portionem uniuscujusque dividere; quæ tamen res magis intellectum dat, quando hujuscemodi divisio fraternæ potius hæreditatis sit ratio. Verum nunc non est mihi de his dicendum, quanquam necessarium videatur; nam illud est quod petimus : Quis est qui extruxerit murum ad designandum uniuscujusque terminum regni? Non dixerat : Nolo moretur hic perfidus, sed jam confiteatur dualitatis suæ in unum refusam esse substantiam. Dicat quemquam qui medium extruxerit murum? Quid agebat alter, altero instruente? Dormiebat, aut ignorabat, aut resistere non valuit, aut pretio concessit? Dic quid faciebat, vel quis est omnino qui extruxit? Vos deprecor, judices, quos Deus plenissime repletos intellectu misit nobis, judicate quis ex duobus extruxerit, et quid agebat unus cum alter extruxerat.

JUDICES.

XXIV. Dic nobis, o Manes, quis designaverit fines utriusque regni, quis murum fecerit medium? Pro magno enim Archelaüs interrogationem haberi hujus sermonis exposcit.

[1] Genes. I.

MANES.

Bonus Deus, et nihil habens commune cum malo, firmamentum posuit in medio, quo alienum a se esse patefaceret malignum.

ARCHELAUS.

Usquequo dignitate nominis mentiris? Deum etenim solummodo nomine appellas, et deitatem ipsius humanis infirmitatibus comparas. Aliquando ex non extantibus, aliquando ex subjecta materia, quæ quidem ante se fuerit, asseris extruxisse, ut homines solent extructores. Interdum etiam eum timidum, interdum et convertibilem dicis : Dei est enim agere quæ Dei sunt; hominis vero, quæ humana sunt. Si ergo Deus, ut ais, murum construxit, timidum se hic et nihil fortitudinis se habere designat. Scimus enim semper eos qui suspicantur ab extraneis sibi dolos intendi, atque hostium verentur insidias, ipsi solent urbes suas muris circumdare; in quo et ignorantiam habent pariter, atque imbecillitatem sui ostendunt. Sed ne illud quidem a nobis reticendum est, quin potius in medium proferendum, ut et multa assertionum copia machinationum adversarii diversitas destruatur, auxilium nobis ferente veritate. Concedimus structuram factam esse muri, quæ ad discretionem esset uniuscujusque regni : impossibile enim est sine hoc uno habere unumquemque proprium regnum; eodem vero modo impossibile est, et malignum egressum propriis finibus boni partes invadere, muri interdictione constante, nisi forte prius dejiciatur, sicut audivimus ab hostibus fieri, atque etiam oculis nostris nuper conspeximus. Cum rex aliquis oppugnat turrim valido muro circumdatam, adhibet primo ballistas et jacula, securibus deinde portas excidere atque arietibus muros conatur evertere; et cum obtinuerit, tum demum ingressus, quæ libuerit agit, sive captivos placet cives adducere, sive cuncta subvertere, aut etiam,

si placuerit, rogatus indulget. Quid ergo dicit iste? Non substantia, id est, proposito adversarius quis dejecit quod interjectum fuerat munimentum : in præcedentibus enim professus est quia supervenerint tenebræ ex propriis finibus in regnum Dei boni. Quis prius dejecit munitionem? impossibile enim erat ingredi malum munitione constante. Quid taces? quid moraris tu, Manichæe? Etiamsi tu differas, aggrediar mea sponte. Si enim dixeris quia Deus destruxerit, requiram quid eum moverit ad destruendum hoc quod prius propter importunitatem maligni et separationem ipse extruxerat? Quid iratus, aut quid damni perpessus, adversum se ipse pugnare contendit? Aut numquid de maligni facultatibus aliquid concupivit? Quod si horum nihil in causa est Deo destruendi ea quæ jamdudum ad alienandum a se et separandum malum ipse construxerat, illud nec mirum putandum est, quod ejus consortio fuerit delectatus; munitio enim, quæ missa fuerat propter hoc ne ejus molestiam pateretur, idcirco destructa videbitur quoniam non jam molestus, sed amicus fore putabitur. Quod si a maligno murum dicas esse destructum, quomodo possunt boni Dei opera a maligno superari? alioquin fortior Deo invenietur maligna natura. Quomodo et ipse, cum fit omnino totus tenebræ, luci supervenit, et comprehendit, Evangelista testimonium ferente quia « Lux lucet in tene» bris, et tenebræ eam non comprehenderunt[1]? » Quomodo cæcus armatur? Quomodo tenebræ adversus lucis regnum dimicant? Sicut enim hæc illæsis oculis solis radios in se recipere non possunt, ita et hic ferre non valet regni lucis intuitum, sed manet semper extraneus et alienus.

MANES.

XXV. Non omnes capiunt verbum Dei, sed quibus datum est scire mysteria regni cœlorum[2]. Et jam quidem scio qui

[1] Joan. I, 5. — [2] Matth. XIX, 11.

sint nostri; « Meæ *enim, inquit,* oves vocem meam audiunt [1]. » Propter nostros ergo, quibus datus est veritatis intellectus, per similitudines dicam. Similis est malignus leoni qui irripere vult gregi boni pastoris; quod cum pastor viderit, fodit foveam ingentem, et de grege tulit unum hædum, et jactavit in foveam, quem leo invadere desiderans, cum ingeniti indignatione voluit eum absorbere, et accurrens ad foveam, decidit in eam, ascendendi inde sursum non habens vires : quem pastor apprehensum pro prudentia sua in cavea concludit, atque hædum qui cum ipso fuerit in fovea incolumem conservavit. Ex hoc ergo infirmatus est malignus, ultra jam leone non habente potestatem faciendi aliquid; et salvabitur omne animarum genus, ac restituetur quod perierat, proprio suo gregi.

ARCHELAUS.

Si leonem maligno comparas, Deum vero pastori, oves atque hædum, dic, cuinam comparabimus?

MANES.

Oves et hædus unius mihi videntur esse naturæ; in similitudinem autem ponuntur animarum.

ARCHELAUS.

Animam ergo perditum dedit Deus, objiciens eam leoni in fovea.

MANES.

Nequaquam, absit hoc; sed apprehensus est hoc ingenio, in futurum vero salvabit eam.

ARCHELAUS.

Ridiculum jam istud est, viri auditores, si agnum quem retinebat in sinibus pastor extimescens leonis ingressum, projecit eum devorandum, et dicitur quia in futurum salvabit eum. Quomodo non totum hoc ridiculo plenum est? Nam et in hoc etiam judicium adimitur. Deus enim Satanæ animam

[1] Joan. x, 27.

tradidit, in perditionem ab eo àssumendam. Quando enim pastor, nonne David de ore leonis vel ursi eruit ovem? Hoc dicimus propter *ore leonis,* quod aït : De ore leonis aut de ventre ejus potest educere quod jam ille devoravit. Sed dices mihi, Deus est, et omnia potest. Audi ergo ad hæc : cur igitur quod possit non illud potius asseris, quod poterit propria virtute vincere leonem, sive pura Dei potentia, et nunquam machinis quibusdam, et foveæ hædo sive agno tradito? Dic mihi etiam illud : si pastori superveniat leo non habenti oves, quid fiet? Ingenitus enim est qui dicitur pastor, ingenitus quoque etiam leo. Cum ergo nondum esset homo, priusquam pastor haberet gregem si supervenisset leo, quid fiebat, quia non erat leonis esca priusquam hædus esset?

MANES.

Leo quidem nihil manducabat, exercebat tamen malitiam suam per quæcumque poterat invenire, discurrens per vertices montium; quod si aliquando ei etiam esca erat necessaria, capiebat ex bestiis quæ erant sub regno suo.

ARCHELAUS.

Ergo unius sunt substantiæ bestiæ quæ sunt in regno maligni, et hædi qui sunt in regno boni Dei.

MANES.

Absit; nequaquam; nihil commune est, neque ipsis ad invicem, neque his quæ sua sunt.

ARCHELAUS.

Unus atque idem est usus in esca leonis. Si enim ex propriis aliquando bestiis capiebat cibum, aliquando et de his boni Dei, nulla est in his differentia, quantum ad escas pertinet, et ex hoc apparet unius eas esse substantiæ. Sed aliud alio longe differre ignorantiam pastori ascribimus, quia non aptam escam, quin potius alienàm obtulit vel projecit leoni. Aut forte rursus dissimulare volens, dices mihi quia nihil

leo ille comedebat. Illumne igitur qui comedere nesciebat, ipse ad comedendum animam provocavit, nec sola fovea ad decipiendum eum uti voluit; si tamen hoc dignum est facere Deum, et dolos exquirere? Et sicut rex aliquis, bello sibi illato, nequaquam propria virtute confisus, sed imbecillitatis suæ timore perterritus, muris ipse urbis inclusus, vallum aliaque munimenta circumdat ac præparat, manui ac viribus nihil fidens; si vero vir fortis sit, etiam porro a suis finibus in occursum hosti procedit, et agit omnia usquequo vincat et obtineat adversarium.

JUDICES.

XXVI. Si ais pastorem hædum sive agnum leoni projecisse, cum ille irrueret adversum ingenitum, actum est. Quem enim potest judicare pastor hædorum atque agnorum, cum ipse inveniatur eis in delicto, si causa traditus etiam agnus per infirmitatem pastoris resistere non valuit leoni, et consequens est ut quodcumque fuerit leoni libitum, gerat; tanquam si dominus unum e servis suis ejectum vel per metum tradat adversario suo, quem rursus recipere suis viribus non valeat? Si vero casu aliquo provenerit eum recipi, qua tandem ratione tormenta ei poterit irrogare, si ad omnia quæ ei imperabat inimicus parebat, cum eum ipsum tradiderit inimico, sicut leoni hædum? prænoscentem enim asseris esse pastorem. Verberatus enim agnus, et interroganti se pastori cur in his leoni paruerit, respondet: Tu me leoni tradidisti, nec restitisti adversus eum, sciens et prævidens quæ mihi gerenda forent, cum ejus me necesse esset obtemperare præceptis. Et ne multa dicamus, neque Deus perfectus pastor ostenditur, neque leo alienos cibos percepisse demonstratur; et ideo ipsa veritate edocente claruit, his quæ ab Archelao dicta sunt palmam nos debere conferre.

ARCHELAUS.

Quoniam quidem de omnibus de quibus disceptavimus prudentia judicum plenissimum terminum posuit, tacendum est de reliquis, et in tempus aliud reservandum. Sicut enim si quis serpentis conterat caput, in nullum jam reliqua corporis ejus membra deputanda sunt; ita dualitatis quæstione rejecta, sicut pro viribus ostendimus, reliqua quæ per hanc asserebantur cum ipsa pariter explosa sunt. Sed in ipsum qui adest assertorem horum paucis dicam, ut omnibus innotesca quis, et unde, et qualis est : dixerat enim se esse Paraclitum illum quem Jesus proficiscens humano generi missurum se esse promiserat ad salutem fidelium animarum; et non longe possit ei Paulus vas electionis et vocatus Apostolus, unde et prædicans veram doctrinam aiebat : « Aut documentum quæritis ejus qui in me loquitur » Christus[1]. » Et quidem quod dico tali exemplo, sed clarius. Homo quidam conclusit in thesauro frumenti plurimum, ita ut refertus esset locus : quem locum clausum atque signatum sufficientibus signaculis, custodiri præcepit; ipse Dominus vero cessit. Alius autem quidam post multum temporis advenit ad thesaurum, dicens se ab eo qui signaculis locum concluserat missum ad hoc, ut etiam ipse in eumdem thesaurum triticum congregaret. Quem cum vidissent custodes, poscebant ab eo signaculi fidem, quo possint ei videlicet aperire thesaurum, et parare ei, tanquam ab illo qui signaverat misso : qui cum nec claves ostenderet, neque signaculorum fidem deferret (neque enim habebat jus), a custodibus ejectus est et fugatus; fur enim potius et latro ab eis esse deprehenditur, convictus et confugatus etiam ex hoc quod post multum tempus quam promissum fuerat adesse desideret, neque claves, neque signacula, neque ullum omnino custodibus indicium deferens, non quan-

[1] 2 Cor. XIII, 3.

titatem frumenti reconditi sciens; quæ omnia manifesta indicia sunt nequaquam eum ab illo esse transmissum : et ideo, ut consequenter erat, a custodibus reservatus est.

XXVII. Aliud etiam, si videtur, dicimus exemplum. Homo quidam paterfamilias dives plurimum, ad tempus peregre abfuturus, filiis suis pollicitus est missurum se esse aliquem qui pro se distribueret eis ex æquo substantiam : et quidem non multo post misit tutum virum quemdam, justum et verum, qui cum venisset, suscepta universa substantia, primo omnium instruere eam ac regere studuit, laborans plurimum in itineribus, sedens ipse per se suis manibus opus faciens et ministrans; deinde moriturus testamentum scribit, propinquis suis et proximis omnibus hæreditatem derelinquens, et signacula dedit eis, et nominatim singulos convocans præcepit eis servare hæreditatem, et custodire ac regere substantiam sicut susceperant, et perfrui bonis et fructibus, ipsi domini hæredesque derelicti : si qui vero ex agri hujus fructibus percipere rogaret, indulgenter præberent; sin autem cohæredem se dicens exposceret, devitarent, atque alienum esse pronuntiarent; opus autem magis facere debere eum qui recipi velit. Quomodo ergo, his omnibus bene recteque dispositis et statutis, ac plurimo tempore in eo statu perseverantibus, eum qui post trecentos fere annos venerit, et hæredem esse se confirmet, non abjiciemus, non juste alienum pronuntiamus; qui nec de propinquis se esse ostendit, qui defuncto nostro non affuerit ægrotanti, qui in exequias non ierit Crucifixo, qui sepulcro non astiterit, qui omnino nesciat quomodo aut qualiter defunctus est, qui denique thesaurum frumenti ingredi cupiat nullo indicio delato ab eo qui obsignaverit? Nonne eum tanquam latronem et furem abjiciemus, ac modis omnibus expellemus? Hæc igitur signa, quæ in prædictis comprehendimus exemplis, iste non deferens adest, dicens se esse Paraclitum

qui ab Jesu præsignatus est milli: in quo mendacem, ignorans fortasse, asseret Jesum; qui enim dixerat se non multo post missurum esse Paraclitum, invenitur (2) post trecentos et eo amplius annos misisse hunc, sicut ipse sibi testimonium perhibet. Quid dicent Jesu in die judicii illi qui jam vita excesserunt ex illo tempore usque nunc? Nonne hæc apud eum allegabunt: Noli nos cruciare si opera tua non fecimus; cur enim, cum promiseris sub Tiberio Cæsare missurum te esse Paraclitum, qui argueret nos de peccato et de justitia [1], sub Probo demum Romano imperatore misisti; orphanos dereliquisti, cum ipse dixeris: « Non derelinquam vos orphanos [2]; » cum ipse dixeris te, mox ires, missurum esse Paraclitum? quid poteramus orphani facere, non habentes tutorem? nihil nos deliquimus, tu nos fefellisti? Sed absit hoc a Domino nostro Jesu Christo Salvatore omnis animæ; non enim moratus est in promissionibus suis, sed cum dixisset: « Vado ad Patrem meum, et mitto vobis Paraclitum [3], » statim misit, dividens, donans discipulis suis, abundantius vero conferens Paulo.

MANES.

XXVIII. Tuimetipsius indicio comprehensus es. Hæc enim adversum te locutus, ignoras quia dum in me vis probra conjicere, majori culpæ succumbis. Dic age mihi si, ut ais, qui a Tiberio usque ad Probum defuncti sunt dicent ad Jesum: Noli nos judicare quia opera tua non fecimus, non enim misisti nobis Paraclitum, cum dixeris te missurum; non multo magis illi hæc dicent qui a Moyse usque ad adventum ipsius Jesu Christi vita excesserunt, et eo rectius dicent: Noli nos tradere tormentis quoniam agnitionem tui non accepimus? et non solum hi qui ante ipsius adventum decesserunt, jure hæc allegare videbuntur; verum etiam illi qui ab Adam usque ad adventum Jesu obierunt?

[1] Joan. xvi, 8. — [2] Idem, xiv, 18. — [3] Ibid. 16, 28.

neque Paracliti enim scientiam consecuti sunt, neque Jesu doctrina eruditi sunt. Sed hoc solum ultimum genus hominum, ut ais, quod a Tiberio est, salventur; ipse enim « Eos » Christus de maledicto Legis redemit[1], » sicut Paulus testimonium dedit, « quia littera occidit, nec quemquam vivifi» cat[2], » et « quod Lex ministerium mortis est, virtusque » peccati[3]. »

ARCHELAUS.

Erras nesciens Scripturas, neque virtutem Dei; multi enim etiam post adventum Christi usque nunc perierunt et pereunt, hi scilicet qui operibus justitiæ deservire noluerunt; illi vero soli qui susceperunt eum et suscipiunt, « potesta» tem acceperunt filii Dei fieri[4]. » Non enim omnes dixit; sed neque tempus terminavit : « Quicumque enim, *inquit,* » acceperunt eum. » Adest autem semper justis viris, a creatura mundi, nec cessat inquirere sanguinem ipsorum ex sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ[5]. Unde ergo Abel justus, et illi omnes reliqui per ordinem qui inter justos enumerantur cum lex non esset Moysi, cum Prophetæ oborti non essent nec prophetiæ munus implessent? Nonne justi effecti sunt ex eo quod legem implebant, « os» tendens unusquisque eorum opus legis scriptum in cordi» bus suis, testimonium reddente eis conscientia sua[6]? » Cum enim quis legem non habens naturaliter quæ legis sunt facit, hic legem non habens ipse sibi est lex. Et intuere multitudinem legum per singulos justos qui bene agebant vitam suam, nunc ex semetipsis proferentes in cordibus suis insitam Dei legem, nunc a propriis parentibus inquirentes, aliquando etiam ab antiquioribus et senioribus addiscentes. Verum quia pauci per hunc modum poterant ad justitiæ culmen ascendere, id est, per parentum traditiones,

[1] Galat. III, 13. — [2] 2 Cor. III, 6. — [3] 1 Cor. XV, 56. — [4] Joan. I. — [5] Matth. XXIII, 35. — [6] Rom. II, 15.

nulla in litteris lege conscripta, miseratus est Deus humanum genus, et scriptam Legem per Moysen voluit hominibus dare, quoniam quidem non apprime in cordibus eorum naturalis legis æquitas retinebatur. Consona igitur primæ creationi humanæ fit in litteris legislatio, quæ per Moysen datur salutis causa plurimorum. Si enim æstimamus hominem sine operibus Legis justificari, et Abraham reputatus est justus, quanto magis ii qui adimpleverint legem continentem ea quæ hominibus expediunt, justitiam consequentur ! Et quoniam trium solummodo sermonum mentionem fecisti de quibus Apostolus dixit, « ministerium mortis esse Legem[1], » et « Christum redemisse nos de maledicto Legis[2], » et quoniam « Virtus peccati est Lex[3] ; » adde adhuc, et dic quantacumque tibi videntur adversus Legem esse conscripta.

MANES.

XXIX. An non idem est quod Jesus ad discipulos aiebat, incredulos eos esse demonstrans : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria Patris vestri facere vultis[4] ? » Hoc utique dicit quia, quanta voluerit malignus princeps hujus mundi, et quanta desideraverit, per Moysen scripserit et dederit hominibus facienda. « Ille enim homicida est ab initio, et in veritate non stetit, quoniam veritas in eo non est ; cum loquitur mendacium, de suis propriis loquitur, quoniam mendax est, sicut et pater ejus[5]. »

ARCHELAUS.

Sufficit tibi hæc, sunt ; an habes et alia quæ dicas?

MANES.

Habeo quidem multa, et horum majora ; sed his contentus ero.

ARCHELAUS.

Exemplum, scilicet, accipiamus ex his, eorum quæ habere

[1] 2 Cor. III, 7. — [2] Galat. III, 13. — [3] 1 Cor. XV, 56. — [4] Joan. VIII, 44. — [5] Ibid.

te dicis, ut si hæc recte posita fuerint inventa, etiam reliqua cum his annumerentur; sin minus, ero ego obnoxius sententiæ judicum, id est, victi ignominiam feram. Ais ergo ministerium mortis esse Legem, et principem hujus mundi mortem regnare ab Adam usque ad Moysen; scriptum est enim, « in eos qui non peccaverunt [1]. »

MANES.

Ergo mors regnavit sine dubio, quia dualitas est, nec aliter, nisi essent ingenita.

ARCHELAUS.

Et quomodo ingenita mors certo ex tempore regni sumit exordium? ab Adam enim inquit, et non dixit ante Adam.

MANES.

Quomodo vero et justorum et peccatorum obtinuerit regnum? dicito.

ARCHELAUS.

Cum prius confessus fueris quia a tempore et non æternitate regnavit, tum dicam.

MANES.

Scriptum est hoc, quia « Ab Adam usque ad Moysen regnavit [2]. »

ARCHELAUS.

Ergo et finem habet quod cœpit ex tempore, et verum est illud quod dictum est, quia « Absorpta est mors in victoria [3]. » Etiam ingenita non erit, quæ et initium habere monstratur et finem.

MANES.

Deus ergo eam fecit.

ARCHELAUS.

Nequaquam; absit; Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.

[1] Rom. v, 14. — [2] Ibid. — [3] 1 Cor. xv, 54.

MANES.

Deus eam non fecit; facta tamen est, ut ais: a quo acceperit imperium, vel a quo creata sit, dicito?

ARCHELAUS.

Si hoc plenissime ostendero, quod substantiam ingenitæ naturæ mors habere non possit, nonne confiteberis unum Deum esse, et hunc ingenitum?

MANES.

Loquere, subtiliter enim vis dicere.

ARCHELAUS.

Quia tu verba illa ita protulisti, tanquam tibi proficerent ad ostensionem ingenitæ radicis; sufficiunt tamen nobis et ea quæ supra tractata sunt, in quibus plenissime ostendimus impossibile esse duarum naturarum ingenitarum existere posse substantias.

JUDICES.

XXX. Dic ad ea quæ nuper proposuit, Archelaë?

ARCHELAUS.

Principem mundi, et malignum, et tenebras, et mortem unum eumdemque esse dicit, Legemque ab eo datam, propter hoc quod scriptum est, « Ministerium mortis [1], » et reliqua quæ objecit. Quoniam, inquam, sicut superius diximus, malorum memoriæ lex non diligenter hærebat, scripta naturaliter in cordibus eorum [2]; neque apud seniores erat satis firma traditio, cum eis inimica semper memoriæ inhæsisset oblivio, et aliter quis eruditur a magistro, aliter a semetipso: perveniebat facile legis naturaliter scriptæ transgressio, et ex prævaricatione mandatorum regnum mors in hominibus obtinebat; hujuscemodi est enim genus hominum, quod virga ferrea regi indigeat a Deo. Exultabat ergo mors, et cum omni potestate regnabat usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverant, hoc modo quo dixi-

[1] Galat. III, 13. — [2] Rom. II, 15.

mus : super peccatores quidem, veluti proprios sibique subjectos, sicut fuit Caïn et Juda; super justos vero propter hoc quod non consentirent ei, quin potius resisterent, abscindentes a se libidinum vitia et concupiscentias, veluti hi qui fuerant ab Abel et usque ad Zachariam[1], transferens semper usque ad tempus in similes illius. Cum vero affuisset Moyses, et Legem dedisset filiis Israël, et revocasset eis in memoriam omnes justificationes Legis, quæcumque observare oportebat et facere, eos vero solos qui prævaricarentur Legem morti traderet; intercisa est mors, ne super omnes regnaret; regnabat enim super peccatores solos, dicente sibi Lege : Ne contigeris hos qui mea præcepta custodiunt. Hujus ergo verbi ministerium Moyses detulit morti, reliquos omnes prævaricatores Legis interitui tradens; non enim pro eo ut omnino mors nulla ex parte regnaret, Moyses advenit, cum utique plurimi etiam post Moysen sub mortis ditione tenerentur. Ex hoc *ministerium mortis* appellatum est, quoniam soli transgressores Legis puniebantur, non etiam conservatores, sicut Abel faciens ea quæ Legis sunt et custodiens, quem Caïn, vas maligni effectus, interemit. Verum etiam post hæc voluit mors pactum quod fuerat per Moysen positum rescindere, et regnare denuo super justos; et irruit quidem in Prophetas, interficiens et lapidans eos qui missi erant a Deo usque ad Zachariam. Dominus autem meus Jesus, justitiam Moysi Legis custodiens, indignatus adversus mortem pro prævaricatione pacti, et totius illius ministerii, advenire dignatus est in hominis corpore, vindicaturus non semetipsum, sed Moysen et eos qui ex ordine post ipsum fuerant violentia mortis oppressi. Malignus vero, ignorans hujuscemodi dispensationem, ingressus est Judam, ut per ipsum interficeret eum, sicut antea Abel interfecerat justum. Sed cum intrasset in Judam,

[1] Matth. XXIII, 35.

pœnitentia ductus, se ipse suspendit; propter quod ait sermo divinus : « Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus » tuus? *et :* Absorpta est mors in victoria[1]. » Hac ergo ex causa *ministerium mortis* appellata est Lex, quia peccantes prævaricantes morti tradebat, servantes autem se defendebat a morte et constituebat in gloria, ope atque auxilio Domini nostri Jesu Christi.

XXXI. Audi etiam et de eo quod dictum est : « Qui re» demit nos de maledicto Legis Christus[2]. » Hoc in loco pervideo, magnificum Dei famulum Moysen (3) imaginariam legem his qui recte velint videre tradidisse, et legem veram. Sicut enim Deus, cum fecisset mundum et omnia quæ in eo sunt in sex diebus, requievit in die septima ab omnibus operibus suis; non dico quia requieverit fatigatus, sed quoniam ad perfectum adduxerat omnem quam facere disposuerat creaturam : denique ait : « Pater meus » usque modo operatur, et ego operor[3]. » Numquidnam cœlum facit, aut solem, aut hominem, aut animalia, aut virgulta, aut tale aliquid? sed his quidem visibilibus perfectis, a tali opere conquievit; invisibilia autem et intrinsecus usque modo operans, salvat. Ita ergo etiam unumquemque nostrum, sicut ipse Deus est, indesinenter huic operi legislator vult esse devinctum : a sæcularibus jubet protinus conquiescere, et omnino nullum opus gerere mundanum; et hoc appellatur sabbatum. Addidit etiam hoc in Lege, nihil absurdum fieri debere, sed observare nos et dirigere vitam nostram ex æquo et justo. Et imminebat hæc Lex, acerrime maledictum inferens his qui eam fuissent transgressi; sed quoniam homines erant et illi, et sicut etiam nobis frequenter accidit, controversiæ oriebantur et irrogabantur injuriæ, et Lex statim districtissimam ultionem quam fecerat retorquebat, ita ut si quis pauperum voluisset in sab-

[1] I Corinth. xv, 54. — [2] Galat. III, 13. — [3] Joan. v, 17.

bato fascem ligni colligere, sub maledicto Legis effectus, morti continuo subjiceretur [1]. Arctabantur ergo coërcione Legis homines qui cum Ægyptiis fuerant educati, nec poterant pœnas Legis et maledicta tolerare. Rursum autem ille qui semper salvator est, Jesus Dominus noster adveniens, liberavit eos ex hujuscemodi cruciatibus Legis atque maledictis, donans eis injurias. Nec, sicut Moyses, severitate usus est Legis, nulli indulgendo injuriam; sed hic dixit : Si quis passus fuerit a proximo suo injuriam, indulgeat non semel tantum, sed et nec secundo, nec tertio, nec solum septies, sed septuagesies septies [2] : quod si post hæc injuriam permanserit irrogando, tunc demum legi eum debere succumbere Moysi, nec ultra veniam dari ei qui in injuriis perseverat cum sibi septuagesies septies fuerit indultum. Non solum autem huic, sed etiam si quis filio hominis intulisset injuriam, veniam dedit. Si vero Spiritui sancto, duobus eum subdidit maledictis, id est Moysi legis et suæ; Moysi quidem in præsenti, suæ vero in judicii tempore; ait enim ita : « Neque in hoc sæculo neque in futuro remittetur ei [3]. » Moysi ergo lex est quæ in præsenti sæculo nulli veniam tribuit; Christi vero est, quæ vindicat in futuro. Ex hoc intuere quemadmodum confirmat Legem, non solum non solvens eam, sed implens. Redemit ergo eos ab eo quod in præsenti positum erat, maledicto Legis, ex quo « maledictum Legis [4] » appellatum est. Hæc omnis hujus sermonis est ratio. Cur autem « virtus peccati dicta sit Lex [5], » pro viribus nostris breviter exponemus. Scriptum est enim, « quia justo Lex non est posita, sed injustis, et non subditis, impiis et scelestis [6]. » Non ergo erat tunc Lex litteræ posita delinquentibus ante Moysen; unde et Pharao, ignorans virtutem peccati, delinquebat affligens injustis

[1] Num. xv, 32. — [2] Matth. xviii, 21. — [3] Idem, xii, 32. — [4] Galat. iii, 13. — [5] 1 Cor. xv, 56. — [6] 1 Timoth. i, 9.

oneribus filios Israël, divinitate neglecta, non solum ipse, sed et omnes qui cum eo erant. Verum ne utar longiore circuitu, brevius dicam. Erant quidam Ægyptiorum admixti cum populo Moysi, cum ab eo regeretur populus in deserto; et cum Moyses positus esset in monte pro eo ut acciperet Legem, impatiens populus, non ille qui vere erat Israëlita, sed qui ex Ægyptiis fuerat admixtus, vitulum sibi constituit Deum, secundum pristinum morem quo coluerat simulacra, in quo nec scelerum pœnas aliquando rependeret; et ideo virtutem peccati sui penitus ignorabant : quæ cum regressus agnovisset Moyses, præcepit eos gladiis trucidari; ex quo initium factum est sentire eos virtutem peccati per legem Moysi, et propterea « virtus peccati appellata est Lex. »

XXXII. De eo vero quod in Evangelio scriptum est : « Vos de patre diabolo estis [1], » et reliqua, breviter dicimus quia est diabolus inoperans in nobis, qui sui arbitrii potestate tales esse voluit. Deus enim omnia quæ fecit bona valde fecit, liberi arbitrii sensum unicuique dedit, qua ratione etiam legem judicii posuit. Peccare nostrum est; ut autem non peccemus, Dei donum est, ex eo quod in nostro sit arbitrio constitutum peccare vel non peccare : sicut etiam tu sine dubio nosti, o Manes, si tamen congregans in unum discipulos tuos, et eos commonens ne delinquant, neve aliquid injuste gerant, judicii legem unusquisque eorum possit evadere. Et certe qui voluerint observant mandata [2]; qui vero contempserint et in perversum declinaverint, sine dubio legem judicii ferent. Ex hoc etiam Angelorum quidam, mandato Dei non subditi, voluntati ejus restiterunt, et aliquis quidem de cœlo, « tanquam fulgur ignis [3], » cecidit super terram; alii vero in felicitate (4) hominum filiabus admixti, a dracone afflicti, ignis æterni pœnam suscipere

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Matth. XIX, 17. — [3] Luc. X, 18.

meruerunt. Ille igitur in terram decidens nec ultra cœli regionibus admissus, inter homines volutatur, decipiens eos, atque persuadens sibi similes effici transgressores; et usque in hodiernum adversarius est mandatis Dei. Sed non omnes lapsum ruinæ ejus sequentur, pro eo quod unicuique libertas arbitrii est; ex hoc enim et appellatus est Diabolus, eo quod transitum fecerit de cœlestibus, et quod in terris mandato Dei obtrectator existeret. Quia autem Deus sit qui prius mandatum dedit, ipse Dominus Jesus ait ad diabolum: « Vade post me, Satana[1]. » Et sine dubio ire post Deum, servi est. Et iterum quod ait ad eum : « Dominum Deum » tuum adorabis, et ipsi soli servies[2]. » Quoniam ergo obtemperabant quidam hominum voluntatibus ipsius, audierunt a Salvatore : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria » patris vestri facere vultis[3]. » Denique, cum faciant voluntates ejus, audiunt : « Generatio viperarum, quis vobis ostendit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum » pœnitentiæ[4]. » Ex hoc ergo pervide quanta vis sit hominem liberi esse arbitrii; dicat tamen etiam ipse, si est judicium piorum et impiorum.

MANES.

Est judicium.

ARCHELAUS.

Puto, quæ a nobis de diabolo dicta sunt non parum rationis et pietatis obtinent. Habet enim et unaquæque creatura ordinem suum, et alius quidem ordo est humani generis, et alius animalium est, atque alius Angelorum; una vero et sola inconvertibilis est divina substantia, æterna et invisibilis, sicut et omnibus notum est, secundum illud quod scriptum est : « Dominum nemo vidit unquam, nisi unige- » nitus Filius, qui est in sinu Patris[5]. » (5) Reliquæ ergo

[1] Matth. IV, 10. — [2] Ibid. — [3] Joan. VIII, 44. — [4] Matth. III, 7. — [5] Joan. I, 18.

omnes creaturæ visibiles sint necesse est, cœlum, terra, mare, homines, Angeli, Archangeli : Deus vero, cum a nullo unquam visus sit, quid ei potest ex istis creaturis esse ὁμουσιον ? Unde et singula quæque secundum ordinem suum propriam dicimus habere substantiam. Tu vero ex uno omne animal quod movetur factum dicis, et substantiam a Deo accepisse dicis similem, et posse eam peccare atque ad judicium venire; et eum non vis recipere sermonem dicentem, diabolum Angelum fuisse, et in prævaricatione decidisse, et non esse ejusdem cum Deo substantiæ. Interimere debes judicii ratione, ut quis nostrum fallat appareat. Si enim non potest qui a Deo creatus est Angelus in transgressione decidere, quomodo potest pars Dei anima peccare? Si vero judicium esse dicis peccantium animarum, et unius eas cum Deo dicis esse substantiæ, et tamen cum de divina eas asseras esse natura dicis nihilominus Dei non servare mandata, etiam sic plurimum meus sermo procedit, dicens primo diabolum, eo quod mandatum non servaverit, decidisse; non enim erat ex Dei substantia : decidit non tam ut læderet humanum genus, sed ut ab eo potius illuderetur; dedit enim nobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et omnem virtutem inimici[1].

JUDICES.

XXXIII. Sufficienter ostendit de origine diaboli. Cum enim utraque pars confitetur futurum esse judicium, necessario liberi arbitrii unusquisque monstratur; quo evidenter ostenso, nulli dubium est quod unusquisque, in quamcumque elegerit partem, propria usus fuerit arbitrii potestate.

MANES.

Si a Deo bonus, ut asseris, mendacem esse dixisti Jesum.

[1] Luc. x, 19.

ARCHELAUS.

Confitere primo quia vera sit ratio eorum quæ nunc adduximus, et tunc ostendam tibi patrem ejus.

MANES.

Si mihi ostenderis patrem ejus mendacem, et Deo horum nihil ascripseris, tunc tibi de omnibus accommodabitur fides.

ARCHELAUS.

Omni ratione de diabolo diligenter exposita, et dispensatione prolata, sicut hominum viget sensus, etiam apud seipsum potest diligenter advertere quis iste sit qui diaboli appellatus est pater. Sed cum te tu Paraclitum esse dicas, plurimum tibi etiam ab humana deest prudentia. Quoniam ergo prodidisti ignorantiam tuam, dicam ego quid ille sit pater diaboli.

MANES.

..... dico. *Et adjecit :* Omnis qui conditor est, vel creator aliquorum, pater eorum..... condiderit, appellatur.

ARCHELAUS.

Miror quomodo saltem hoc recta ratione responderis, nec celaveris sermonis hujus intelligentiam vel naturam. Audi jam ex hoc, quis sit pater ejus. Cum ex cœlorum regno cecidisset, erat super terras, intendens et inquirens cui se posset adjungere, quem ex consortio sui participem quoque nequitiæ suæ valeret efficere. Et quidem donec homo non erat, neque ille appellabatur homicida, neque cum patre mendax; post hæc vero, cum factus esset homo, ac mendacio ejus fuisset et circumventione deceptus, cum sese inseruisset corpori serpentis sapientioris omnium bestiarum, tunc appellatus est mendax, una cum patre suo, et effectum est non solum super ipsum mendacii maledictum, sed et super patrem ejus. Cum ergo serpens recepisset eum in sese, et recepisset universum, tanquam prægnans effectus est, ingentis malitiæ fascem portans; et erat sicut puer-

pera quæ partu urgetur, volens evomere malignæ suggestionis ejus agitata. Primi enim hominis gloriam graviter ferens serpens, ingressus Paradisum, et conceptis in se doloribus, mendaces cœpit generare sermones, et mortem parere hominibus, qui a Deo fuerant figurati et acceperant vitam. Verum non potuit totum se manifestum facere per serpentem; sed reservavit perfectionem suam, quam demonstraret in Caïn, a quo generatus est totus. Et per serpentem quidem hypocrises et fallacias ad Evam demonstravit : per Caïn vero homicidii exordium dedit, inserens se in primitias frugum, quas ille male distribuit. Ex hoc homicida appellatus est ab initio; mendax vero, quoniam fefellit, dicens : « Eritis tanquam dii[1] : » ejecti sunt enim postea de Paradiso illi quos deos futuros esse fallebat. Efficitur ergo prior pater ejus, qui eum in utero concepit et genuit atque in lucem edidit serpens; secundus vero Caïn, qui per iniquitates conceptas dolores et parricidium peperit; interfectio etenim iniquitatem, injustitiam atque impietatem pariter perpetravit. Sed et quicumque eum suscipiunt, et faciunt ejus desideria, patres ejus efficiuntur. Pater ejus perfectus est Pharao, pater ejus efficiuntur unusquisque impiorum. Pater ejus effectus est Judas, quia concepit quidem eum, sed abortus est; non enim perfectum edidit partum, quia majorem personam aggressus est per Judam, et ideo abortum factum esse dico; quia tanquam si mulier semen viri concipiat, atque in sese quotidianos accipiat profectus, ita et Judas quotidie proficiebat in pejus, occasionibus sibi a maligno, quasi seminibus, datis. Et primum quidem fuit ei semen pecuniæ cupiditas, incrementum vero furtum, furabatur enim ea quæ mittebantur in loculum; dolores vero partus fuerunt, et collocutio cum Pharisæis, et pretii scelerata conventio : abor-

[1] Gen. III.

tus est vero, non partus, laqueus mortis informis. Sed et tu, si malignum ex te protuleris, et facias ejus concupiscentias, genuisti eum et pater ejus esse diceris; si vero pœnitentiam gesseris, et abjeceris pondus, velut parturies. Ut enim in ludis scholaribus, si acceperit quis a magistro materiam, reliquum corpus orationis ex semetipso generet ac procreet, eorum quæ genuerit conditor ipse dicitur; ita qui ex summa malitia parum quid fermenti acceperit, pater et genitor dicatur necesse est illius qui ab initio restitit veritati. Quod simili modo provenire potest etiam his qui virtuti student; nam audivi fortissimos viros dicere ad Deum : Propter timorem tuum Dominum in utero concepimus, et doluimus, et peperimus spiritum salutis : ita et quicumque de timore maligni concipiunt, et pariunt spiritum iniquitatis, ipsi patres ejus dicantur necesse est; filii enim dicuntur, dum adhuc ministerio ejus parent; patres vero, qui ad perfectionem malitiæ pervenerunt. Ita namque et Dominus noster ait ad Pharisæos : « Vos de patre diabolo » estis[1], » filios eos faciens illius, donec adhuc conturbari videbantur, et cogitabant in cordibus suis mala pro bonis adversum justos. Ergo apud se talia cogitantibus, translatis in se malignis eorum cogitationibus, Judas malorum caput, et ad perfectum perducens iniqua consilia, effectus est sceleris pater, immanitatis suæ præmio ab eis triginta argenteis honoratus; totus enim « in eum post buccellam pa- » nis ingressus est diabolus[2]. » Sed, ut diximus, postquam uterus intumuit, et dolorum tempus advenit, abortum fascem iniquæ conceptionis effudit : et ideo nec perfecte pater appellabatur, nisi eo tantum tempore quo conceptus gerebatur in utero; postea vero quam confugit ad laqueum, non integrum videtur edidisse partum, quia pœnitentia subsecuta est.

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Idem, XIII, 27.

XXXIV. Ignorare vos non arbitror quoniam pater unum quidem sit nomen, diversos tamen habet intellectus: alius enim pater dicitur eorum quos naturaliter genuerit filiorum; alius vero eorum quos tantummodo enutrierit; nonnulli vero temporis atque ætatis privilegio: unde et Dominus noster Jesus plurimos patres habere dicitur, nam et David pater ejus appellatus est, et Joseph pater ejus putatus est; cum nullus horum pater ejus fuerit veritate naturæ. Nam David pater ejus dicitur ætatis ac temporis privilegio; Joseph vero lege nutriendi: solus autem Deus pater ejus natura est, qui omnia per Verbum suum velociter nobis manifestare dignatus est. Nec in aliquo remoratus Dominus noster Jesus, intra unius anni spatium languentium multitudines reddidit sanitati, mortuos luci: qui verbi sui potestate universa amplexus est, in quo tandem remoratus est, ut in Paraclito mittendo tamdiu eum remoratum credamus. Quin potius, ut superius dictum est, affuit statim plurimum diffusus in Paulum, cujus etiam testimonio credidimus dicenti: « Mihi autem soli data est » gratia hæc[1]. » Qui prius quidem fuit persecutor Ecclesiæ Dei, sed rursum manifestatus est omnibus quia esset fidelis Paracliti minister; per quem universis innotuit singularis ejus clementia, quod et usque ad nos, qui aliquando sine spe eramus, donorum ejus largitio pervenit. Quis enim nostrum sperare poterat persecutorem Paulum et inimicum Ecclesiæ, defensorem ejus ac tutorem futurum; et non solum hoc, verum etiam et magistrum, Ecclesiarum conditorem et architectorem? Post hunc ergo, et post eos qui cum ipso fuerant, id est, post discipulos, nullum alium venire secundum Scripturas sperandum est; ait enim Dominus noster Jesus de Paraclito: « Quia et de meo acci-

[1] Ephes. III, 8.

» piet[1]. » Vas ergo probabile elegit hunc virum quem misit ad nos Paulum, in spiritus influxit Spiritus; et sicut non super omnes homines Spiritus habitare poterat, nisi super eum qui de Maria Dei genitrice natus est, ita et in nullum alium Spiritus Paraclitus venire poterat, nisi super Apostolos et super beatum Paulum. « Vas enim electionis, *in-» quit,* mihi est, ut portet nomen meum in conspectu re-» gum et gentium [2]. » Ipse quoque in prima Epistola sua posuit, dicens : « Secundum gratiam quæ data est mihi a » Deo, ut sim minister Christi in gentibus, consecrans Ev-» angelium Dei[3]. Veritatem dico in Christo, non mentior, » testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu » sancto[4]. » Et rursum ait : « Non enim audeo quidquam lo-» qui eorum quæ per me non effecit Christus verbo et » factis. Ego enim sum novissimus omnium Apostolorum, » qui non sum dignus vocari Apostolus[5]. Gratia autem Dei » sum id quod sum[6]. » Et eos qui experimentum quære-bant ejus qui in eo loquebatur Christus, vult propterea habere, quia esset in ipso Paraclitus, cujus muneris gratiam consecutus, et magnifico honore ditatus, ait : « Pro » quo ter Dominum rogavi ut discederet a me; et dixit » mihi : Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate » perficitur [7]. » Rursum, quia vere ipse sit Paraclitus qui erat in Paulo, ait Dominus noster Jesus Christus in Evangelio : « Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo » Patrem meum, et alium Paraclitum dabit vobis[8]. » In quo ostendit etiam seipsum Paraclitum, cum dicit alium. Unde credentes Paulo, audivimus eum dicentem : « Aut experi-» mentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus[9], » et horum similia, de quibus superius diximus; unde et tan-

[1] Joan. XVI, 14. — [2] Act. IX, 15. — [3] Rom. XV, 15. — [4] Ibid. IX, 1. — [5] Ibid. XV, 18. — [6] 1 Cor. XV, 9. — [7] 2 Cor. XII, 8. — [8] Joan. XIV, 16. — [9] 2 Cor. XIII, 3.

quam fidelibus nobis hæredibus suis consignat testamentum sua ad Corinthios epistola, velut pater, dicens : « Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quia Christus » mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et » quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum » Scripturas, et quia apparuit Cephæ, deinde undecim Apo» stolis, postea amplius quam quingentis fratribus de semel, » ex quibus plurimi adhuc manent usque nunc, quidam » autem et dormierunt[1]. Postea autem visus est Jacobo; » deinde omnibus Apostolis; novissime autem omnium, » tanquam abortivo, visus est et mihi : ego enim sum novis» simus omnium Apostolorum. Sive ergo ego, sive illi, ita » annuntiavimus[2]. » Et rursum tradens hæredibus eam quam ipse hæreditatem promeruit, dicit : « Timeo autem » ne forte, sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita cor» rumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate et » castitate, quæ in Christo est. Si enim is qui venit alium » Christum prædicat quem non prædicavimus, aut Spiritum » alium acceperitis quem non accepistis, aut aliud Evan» gelium quod non accepistis; bene pateremini. Puto enim » quia nihil minus feci vobis a cæteris Apostolis[3]. »

XXXV. Hæc autem dixit, ostendens omnes reliquos qui venerint falsos apostolos, dolosos operarios, transfigurantes se in apostolos Christi : « Et non mirum; ipse enim » Satanas transfigurat se, velut Angelum lucis. Quid ergo » magnum si et ministri ejus transfigurentur in ministros » justitiæ; quorum finis erit secundum opera eorum[4]? » Indicat autem quales essent, et a quibus circumveniebantur. Volentibus autem Galatis ab Evangelio transferri ait : « Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vocavit » vos, in aliud Evangelium, quod non est aliud : nisi sunt » qui vos conturbant et volunt avertere vos ab Evangelio

[1] 1 Cor. xv, 3. — [2] Ibid. xi. — [3] 2 Cor. xi, 3. — [4] Ibid. 14.

» Christi. Sed etiam si nos ipsi, aut Angelus de cœlo vobis » annuntiaverit, præterquam quod traditum est vobis, ana» thema sit[1]. » Et rursum ait : « Mihi infimo omnium Apo» stolorum data est gratia hæc. Quæ enim deerant tribu» lationum Christi, in carne mea adimpleo[2]. » Et in alio rursum loco profitetur, quia « super cæteros Christi mi» nister[3], » tanquam si postea omnino non sit alius expectandus; jubet enim neque Angelum de cœlo suscipi. Et quomodo de Persida venientem Manem, et dicentem se esse Paraclitum, nos esse credimus? Ita enim agnosco ex hoc, quod unus iste sit ex illis qui transformantur, de quibus manifeste vobis indicavit vas electionis Apostolus Paulus dicens : « Quia in novissimis temporibus recedent qui» dam a fide, attendentes spiritibus seductoribus et doctri» nis dæmoniorum, in hypocrisi mendacia loquentes, cau» teriatam habentes conscientiam, prohibentium nubere, » abstinere se a cibis quos Deus creavit ad percipiendum » cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt » veritatem; quoniam omnis creatura Dei bona est, et ni» hil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipi» tur[4]. » Sed et Spiritus Evangelista Matthæus diligenter significat Domini nostri Jesu Christi sermonem : « Videte ne » quis vos seducat; multi enim venient in nomine meo, di» centes : Ego sum Christus; et multos seducent. Quod si » etiam aliquis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut ecce » ibi; nolite credere. Exurgent enim falsi Christi et falsi Apo» stoli, et falsi Prophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, » ita ut in errorem inducant, si potest fieri, etiam electos. » Ecce prædixi vobis, si dixerint vobis : Ecce in deserto est; » nolite exire. Si dixerint vobis : In penetralibus; nolite cre» dere[5]. » Et post ista omnia mandata, iste nec signum quidem

[1] Galat. I, 6. — [1] Ephes. III, 8. Coloss. I, 24. — [3] 2 Corinth. XI, 23. — 1 Tim. IV, 1. — [5] Matth. XXIV, 5 et 23.

aliquod aut prodigium ullum ostendens, neque affinitatem aliquam habens; sed ne in numero quidem discipulorum positus, neque defuncto nostro obsecutus, cujus hæreditate gaudemus; cum neque ei languenti astiterit, non testis extiterit testamenti; imo potius cum ne in notitiam quidem venerit eorum qui obsecuti sunt ægrotanti : postremo cum nullius prorsus accipiat testimonium, Paraclitum se esse vult credi; cum etiam si signa et prodigia faceres, falsum Christum et falsum Prophetam te reputari oporteret secundum Scripturas : et ideo convenit nos cautius agere, secundum quod beatus Apostolus monet, dicens in Epistola quam Colossensibus scripsit : « Permanete in fide fundati et » radicati, et immobiles ab spe Evangelii quod audivimus, » quod prædicatum est in omni creatura quæ sub cœlo » est[1]. » Et rursum : « Sicut ergo accepistis Christum Je» sum Dominum, in ipso ambulate, radicati et fundati su» per ipsum, confirmati fide, sicuti docti estis, abundantes » in gratiarum actione. Videte ne quis vos expoliet per phi» losophiam et inanem seductionem, secundum elementa » mundi, et non secundum Christum, quia in ipso habitat » omnis plenitudo Deitatis[2]. » Quibus omnibus ita diligenter expositis, beatus Apostolus, velut pater filiis, addit tanquam signaculum quoddam testamenti, dicens : « Certamen » bonum certavi, circum cucurri, fidem servavi. De cætero » reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Do» minus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed » et omnibus qui diligunt adventum ejus[3]. »

XXXVI. Nullum ex nobis, o Manes, Galatam facies, nec ita nos transferes a fide Christi; etiam si signa et prodigia facias, etiam si mortuos suscites, etiam si imaginem nobis Pauli ipsius afferas, anathema es Satana; præscriptum est enim de te; præmoniti et præstructi sumus a sanctis Scrip-

[1] Coloss. I, 23. — [2] Id. II, 6. — [3] 2 Timoth. IV, 7.

turis. Vas es Antichristi, et neque bonum vas, sed sordidum et indignum, quod ille, sicut aliquis barbarus vel tyrannus, cum in eos qui sub legum justitia degunt conatur irruere, præmisit prius tanquam morti destinatum, ad explorandum quanta et qualis sit legitimi regis virtus ac populi : ipse enim inopinatus irruere pertimuit, sed neque alium ex necessariis viris mittere ullum ausus est, ne quid pateretur adversi. Talem te nobis, sub bono et sancto Rege positis, velut morti destinatum, rex tuus præmisit Antichristus. Et hæc quidem non inexplorata proloquor; sed ex eo quod nullam te video facere virtutem, ita de te sentio. Illum enim et in Angelum lucis transformandum, et ministros ejus tales adventuros prænoscimus, et signa et prodigia facturos, ita ut, si possibile sit, etiam electi seducantur[1]. Quis ergo es tu, qui neque necessarium aliquem locum sortitus es a patre tuo Satana? Nam quem mortuum suscitas, quod profluvium sanguinis sistis, quos luto cæci oculos illinitos videre facis? quando esurientem turbam paucis panibus reficis? ubi super aquas incedis, aut quis te vidit ex his qui in Hierusalem habitant? Persa barbare, non Græcorum linguæ, non Ægyptiorum, non Romanorum, non ullius alterius linguæ scientiam habere potuisti; sed Chaldæorum solum, quæ ne in numerum quidem aliquem ducitur; nullum alium loquentem audire potes. Non ita Spiritus sanctus, absit hoc malum! sed omnibus dividit, et omnia linguarum genera novit, et agnoscit universa, et omnibus omnia efficitur, ita ut eum etiam cordis cogitata non lateant. Quid enim dicit Scriptura? quia unusquisque propria sua lingua[2] audiebat per Paraclitum Spiritum loquentes Apostolos? Sed quid amplius dicabo? Barbare sacerdos Mithræ et collusor, solem tantum coles Mithram locorum mysticorum illuminatorem, ut opinaris, et con-

[1] Matth. XXIV, 24. — [2] Act. II, 6.

scium; hoc est quod apud eos ludes, et tanquam elegans mimus perages mysteria. Verum quid ego hæc indignanter accipio? Nonne oportet te multiplicari tanquam zizania, usquequo ille ipse magnus pater tuus adveniat, suscitans mortuos, pene usque ad gehennam omnes persequens qui sibi obtemperare noluerint, plurimos deterrens arrogantiæ metu quo est ipse circumdatus, aliis adhibens minas, vultus sui conversione et circumductione ludificans : sed ultra non proficiet; insipientia enim ejus omnibus pervulgata erit, sicut Jamnes et Mambres [1].

JUDICES.

Sicut ex te comperimus, tanquam Apostolo Paulo dicente, insuper etiam ab Evangelio præscribente, nulli alii æque in posterum præbetur ingressus ad prædicandum, vel docendum, vel ad evangelizandum, vel prophetandum in hac vita duntaxat, nisi forte falsus Propheta habeatur, aut falsus Christus. Unde cum dixeris in Paulo fuisse Paraclitum, et ipsum omnia consignasse, quare dixit : « Ex parte scimus, » et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod per- » fectum est, id quod ex parte est destruetur [2]? » Quem alium expectans hoc dixit? Quod si ipse confitetur expectare se aliquem perfectum, et si venire aliquem necesse est, ostende nobis de quo dicat; ne forte in hunc videatur iste sermo recurrere, aut in eum qui misit illum, Satanam, sicut tu dicis. Si enim confiteris venturum esse quod perfectum est, non potest esse Satanas; si autem Satanam expectas, non potest esse perfectum.

ARCHELAUS.

XXXVII. Quoniam non sine Deo dicta sunt quæ a beato Paulo prolata sunt, certum est quod Dominum nostrum Jesum Christum dixerit expectandum esse perfectum, qui solus Patrem novit et cui voluerit revelare, sicut possum ex

[1] 2 Timoth. III, 8. — [2] 1 Cor. XIII, 9.

verbis ipsius demonstrare. Sed quia, cum venerit quod perfectum est, destruetur id quod ex parte est; iste vero sese asseverat esse perfectum, quid destruxit ostendat : quod enim destruetur, ignorantia est, quæ in nobis est. Dicat igitur quid destruxit, quid in notitiam protulit. Si quid facere potest, faciat, ut credi ei possit. Sermo vero iste, quantam habeat virtutem si potuerit diligenter intelligi, ita demum credi poterit his quæ a me fuerint asserta. Igitur in prima ad Corinthios Epistola hæc dicit Paulus de perfecto qui venturus est : « Sive Prophetiæ destruentur, sive » linguæ cessabunt, sive scientia destruetur; ex parte enim » scimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit » quod perfectum est, id quod ex parte est destruetur[1]. » Vide ergo quantam in sese habeat virtutem quod perfectum est, et cujus sit ordinis ista perfectio. Dicat autem iste quam destruxerit prophetiam Judæorum ac Hebræorum, seu linguas cessare fecit Græcorum, aut eorum qui idola colunt, vel quæ alia dogmata destruxit, Valentiniani, aut Marcionis, aut Tatiani, aut Sabellii, cæterorumque qui propriam sibimetipsis scientiam composuerunt. Quem horum destruxit dicat, aut quando destruet, quasi perfectus. Inducias fortassis aliquas quærit? Non plane, non tam obscure et ignobiliter adveniet ille qui perfectus est, id est, Jesus Christus Dominus noster. Sed sicut rex adveniens ad urbem suam præmittit primo protectores suos, signa, dracones, labaros, duces, principes, præfectos, et universa continuo commoventur, aliis vero metuentibus, aliis vero gaudentibus pro expectatione regis; ita et Dominus meus Jesus, qui est vere perfectus, adveniens præmittit in primo gloriam suam, incontaminati atque immaculati regni prædicatores sacratos, et tunc universa creatura commovebitur et conturbabitur, supplicans atque obsecrans, usque-

[1] 1 Cor. XIII, 8.

quo eam a servitute liberet. Humanum vero genus metuat necesse est et quamplurimum conturbetur, pro eo quod multa delicta commiserit; soli vero justi lætabuntur, expectantes quæ sibi promissa sunt, nec ultra mundanarum rerum substantia permanebit: omnia destruentur; sive prophetiæ, sive horum libri, sive linguæ totius generis cessabunt, eo quod ultra non egeant solliciti esse homines et cogitare de his quæ ad vitam necessaria sunt; sive scientia quorumcumque doctorum etiam ipsa destruetur, nihil enim horum sufferre poterit magni illius Regis adventum. Sicut enim parva scintilla ad splendorem solis admota assumitur, illico non apparet; ita universa creatura, omnis prophetia, cuncta scientia, universæ linguæ, sicut superius diximus, destruentur. Sed quia cœlestis Regis præsentiam paucis verbis et fragilibus et valde infirmis exponere non valet humana natura, ut fortasse sanctorum debeat esse et valde dignorum de ipso aliquid enarrare; tamen necessitatis causa ista me sufficit protulisse, hujus importunitate compulsum ut istum vobis qualis esset ostenderem.

XXXVIII. Et ego quidem beatifico Marcionem et Valentinianum, ac Basilidem, aliosque hæreticos: sic ut istius comparatione, qui velut intellectu aliquo usi sunt, qui videntur sibi omnem Scripturam posse intelligere, et ita se ductores statuerunt iis qui se audire voluissent; nullus tamen ipsorum ausus est Deum se prædicare, vel Christum, vel Paraclitum, sicut iste, qui aliquando quidem de sæculis disputat, aliquando de sole, quomodo facta sint, tanquam major ipse sit eorum: omnis enim qui de aliquo exponit quomodo factus sit, majorem se et antiquiorem ostendit esse quam est ille de quo dicit. Quis autem et de substantia Dei dicere audeat, nisi forte solus Dominus noster Jesus Christus? Quæ quidem ego non ex meis verbis astruo, sed Scripturæ, quæ nos edocuit, auctoritate confirmo; quoniam

quidem et Apostolus dicit ad nos : « Ut sitis sicut luminaria » in hoc mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam » in diem Christi, quoniam non in vacuum cucurri, nec in » vacuum laboravi [1]. » Intelligere debemus quæ sit vis et ratio sermonis hujus; verbum enim ducis obtinet locum (6), opera vero regis. Sicut ergo aliquis regi suo adventanti, omnes qui sub cura sua sunt studet obedientes, paratos et charos, hilaresque ostendere ac devotos, sed etiam innocentes, ac bonis omnibus abundantes, ut ipse laudem consequatur a rege, et majore ab eo honore dignus habeatur, tanquam bene gubernata quæ sibi est commissa provincia : ita et beatus Paulus dicit ad nos : « Ut sitis velut lu» minaria in hoc mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam » ipsius in diem Christi [2]. » Scilicet quod Dominus noster Jesus Christus veniens, videat profecisse doctrinam ejus in nobis, et quia non in vacuum cucurrit, nec in vacuum laboravit, retribuat ei debitam coronam. Et rursus quoque in eadem epistola commonet nos ne terrena sapiamus, sed conversationem nostram debere esse in cœlis [3]; unde et Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum. Et quoniam nobis non est tutum scire ultimam diem designavit in epistola quam scribit ad Thessalonicenses : « De » temporibus autem et momentis, fratres, non habetis opus » ut aliquid vobis scribam; ipsi enim diligenter scitis quia » dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet [4]. » Et quomodo nunc astat iste persuadens et rogans unumquemque Manichæum effici, et circumvenit, et ingreditur domos, decipere quærens animas oneratas peccatis ? Sed nos non ita sentimus; quin potius res ipsas proferamus in medium, et conferamus, si placet, ad perfectum Paraclitum. Videtis enim quia interdum pœnitet, interdum interrogat, nonnunquam deprecatur. Sed scriptum est in Evangelio Salvatoris nostri,

[1] Philip. II, 15. — [2] Ibid. — [3] Id. III, 19. — [4] I Thess. V, 1.

quia et illi qui a sinistris Regis assistunt dicent: « Domine, » quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut nudum, » aut peregrinum, aut in carcere, et non ministravimus » tibi [1]? » rogantes ut sibi indulgeret; sed quid illis respondit justus judex Rex? « Discedite a me in ignem æternum, » operarii iniquitatis [2]. » Abjecit eos in æternum ignem, cum illi rogare non cessent. Videsne quid sit perfecti Regis adventus? non talem qualem tu asseris perfectionem. Quod si post ipsum expectandus est magnus judicii dies, multo utique hic illo inferior est. Quod si inferior erit, perfectus non erit. Si perfectus non erit, non de ipso dicit Apostolus. Quod si non de ipso dicit Apostolus, iste autem de se dictum esse mentitur, pseudopropheta utique judicandus est. Sed et multa alia horum similia dici possunt, quæ si omnia persequi velimus, nullum nobis tempus ad omnia explenda sufficiet. Unde abundare existimavi de multis pauca dixisse, reliquas partes tractatus hujus exequi volentibus derelinquens.

XXXIX. His auditis dederunt gloriam Deo immensam, et ipso dignam; Archelaüm vero multis honoribus affecerunt. Tunc Marcellus assurgens et stolas exuens, circumdat Archelaüm, atque osculis eum defixus amplectitur et inhæret. Tunc vero infantes, qui forte convenerant, primi in Manem pellere, ac fugere cœperunt, quos turba reliqua insecuta, concitavit se ad effugiendum Manem. Quod cum pervidisset Archelaüs, elevata in modum tubæ voce sua, multitudinem cupiens cohibere, ait : Cessate, fratres dilecti, ne forte rei sanguinis inveniamur in die judicii; scriptum est enim de talibus, quia « oportet et hæreses esse » inter vos, ut qui probati sunt manifesti fiant inter vos [3]. » Et his dictis, sedatæ sunt turbæ. Quoniam vero placuit Marcello disputationem hanc excipi atque describi, con-

[1] Matth. xxv, 44. — [2] Luc. xiii, 27. — [3] 1 Cor. xi, 19.

tradicere non potui, confisus de benignitate legentium, quod veniam dabunt si quid imperitum aut rusticum sonabit oratio; hoc enim tantum est quod studemus, ut rei gestæ cognitio studiosum quemque non lateat. Tunc ergo cum effugisset Manes, nusquam comparuit. Turbo vero minister Archelao traditur a Marcello, quem cum diaconum Archelaüs ordinaret, in Marcelli contubernio perseveravit. Manes autem fugiens advenit ad quemdam vicum longe ab urbe positum, qui appellabatur Diodori. Erat autem presbyter loci illius nomine et ipse Diodorus, quietus et mitis, fidei ac famæ bonæ valde; et cum quadam die Manes, congregata turba, concionaretur, ac peregrina quædam et aliena a paterna traditione populo qui adstabat assereret, nullum omnino ex his formidans quod sibi posset obsistere, Diodorus videns proficere ejus nequitiam, deliberat Archelao mittere epistolam, continentem hæc :

DIODORUS

Archelao episcopo S. D.

XL. Scire te volo, religiosissime pater, quoniam advenit quidam in diebus istis, nomine Manes, ad loca nostra, qui novi Testamenti doctrinam se adimplere promittit. Et quidem erant quædam in his quæ ab eo decbiantur nostræ fidei; quædam vero asserebat longe diversa ab iis quæ a nostra paterna traditione descendunt. Interpretabatur enim quædam aliene, quibus etiam ex propriis addebat quæ mihi valde peregrina visa sunt et infida. Pro quibus etiam permotus sum scribere hæc ad te, sciens doctrinæ tuæ perfectum et plenissimum sensum, quoniam latere te horum nihil potest; et ideo confisus sum ad explananda nobis hæc, invidia te non posse prohiberi. Quamvis nec ego quidem in alterum aliquem inclinari potuerim sensum, tamen

propter simplices quosque, tuæ auctoritatis compulsus sum implorare sermonem. Revera enim vir valde vehemens tam sermone quam opere, sed et aspectu ipso atque habitu apparet. Sed et pauca quædam quæ retinere possum ex iis quæ ab eo dicta sunt, scribo tibi, sciens quia ex iis etiam reliqua intelliges. Nosti quia morem hunc habent qui dogma aliquod asserere volunt, ut quæcumque voluerint de Scripturis assumere, hæc propensius sui intelligentia depravent. Sed hoc præveniens Apostolicus denotat sermo dicens : « Si quis vobis annuntiaverit præter quod accepis- » tis, anathema sit[1]. » Itaque post hæc quæ semel ab Apostolis tradita sunt, ultra non oportet quidquam aliud suscipere discipulum Christi. Verum ne sermonem longius protraham, ad propositum redeo. Legem Moysi, ut breviter dicam, dicebat hic non esse Dei boni, sed maligni principis; nec habere eam quidquam cognationis ad novam legem Christi, sed esse contrariam et inimicam, alteram alteri obsistentem. Ego audiens, dicebam eis sermonem Evangelicum, quomodo dixit Dominus noster Jesus Christus : « Non veni solvere Legem, sed adimplere[2]. » Ille vero ait, nequaquam eum hunc dixisse sermonem; cum enim ipsam inveniamus eum resolvisse Legem, necesse est nos hoc potius intelligere quod fecit. Deinde cœpit dicere plurima ex Lege, multa etiam de Evangelio et Apostolo Paulo, quæ sibi videntur esse contraria, quæ etiam cum fiducia dicens, nihil pertimescit; credo quod habeat adjutorem draconem illum qui nobis semper inimicus est. Dicebat ergo quod ibi dixerit Deus : Ego divitem et pauperem facio[3]; hic vero Jesus beatos diceret pauperes[4]. Addebat etiam, quod nemo possit ejus esse discipulus, nisi renuntiaret omnibus quæ haberet[5]; ibi vero Moyses, argentum et aurum

[1] Galat. I, 8. — [2] Matth. v, 17. — [3] Prov. XXII, 2. — [4] Matth. v, 3. — [5] Luc. XIV, 33.

ab Ægyptiis sumens, cum populo fugisset ex Ægypto[1] : Jesus autem nihil proximi desiderandum esse præcepit : deinde quod ille oculum pro oculo, dentem pro dente in Lege cavisset expendi[2]; noster vero Dominus percutienti unam maxillam juberet etiam alteram præparari[3] : quod ibi Moyses eum qui sabbato opus fecisset, et non permansisset in omnibus quæ scripta sunt in Lege, puniri lapidarique præcepit, sicut factum est ei qui adhuc ignorans in sabbato fascem ligni collegerat[4]; Jesus vero in sabbato etiam lectum portare præcepit a se curato[5], sed et discipulos in die sabbati vellere spicas ac manibus confricare non prohibet, quod sabbatis utique non licebat fieri[6]. Et quid plura dicam? multis et variis assertionibus hujuscemodi dogmata ab eo summo nisu atque summo studio affirmabantur. Nam ex auctoritate Apostoli, Moysi legem, legem esse mortis conabatur asserere; Jesu vero legem, legem esse vitæ, per id quod ait : « In quo et idoneos nos faciat Deus ministros novi testamenti, non littera, sed spiritu. Littera enim » occidit, spiritus autem vivificat. Quod si ministerium » mortis in litteris, formatum in lapidibus, factum est in » gloria, ita ut non possent intendere filii Israël in faciem » Moysi propter gloriam vultus ejus[7], quæ destruetur; quo» modo non magis ministerium spiritus erit in gloria? Si » enim ministerium damnationis gloria est, multo magis » abundabit ministerium justitiæ ad gloriam. Neque enim » glorificatum est quod gloriosum factum est in hac parte, » propter eam quæ supereminet gloriam : si enim quod » destruetur per gloriam est, multo magis quod manet in » gloria est[8]. » Sed hoc quidem, sicut ipse nosti, in secunda ad Corinthios Epistola; addit autem ex prima Epistola, terrenos esse dicens discipulos veteris Testamenti et

[1] Exod. XII, 35. — [2] Exod. XXI, 24. — [3] Luc. VI, 29. — [4] Num. XV, 32. — [5] Marc. II, 5. — [6] Luc. VI, 1. — [7] Exod. XXXIV, 35. — [8] 2 Cor. III, 6.

animales, et ideo carnem et sanguinem regnum Dei possidere non posse[1]. Ipsum quoque Paulum ex propria sua persona dicebat asserere id quod ait : « Si ea quæ des- » truxi iterum ædifico, prævaricatorem me æstimo[2] : » sed et illud eumdem ipsum evidentissime de carnis resurrectione dixisse, non esse Judæum qui in manifesto est; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio, neque secundum litteram, Legem quidquam utilitatis retinere[3] : et rursum quod Abraham habet gloriam, sed non apud Deum[4]: tantummodo agnitionem peccati per Legem fieri[5]. Sed et alia multa, Legi obtrectans, inserebat, eo quod Lex ipsa peccatum sit, in quibus simplices quique, dicente eo, movebantur: Et usque ad Joannem igitur, aiebat, Lex et Prophetæ[6]. Aiebat autem Joannem regnum cœlorum prædicare; nam et per abscissionem capitis ejus hoc esse indicatum, quod omnibus prioribus et superioribus ejus abscissis, posteriora sola servanda sint. Ad hæc igitur nobis, o religiosissime Archelaë, paucis rescribe; audivi enim non mediocriter tibi esse in talibus studium : Dei enim donum est, idcirco quod dignis et amicis suis, sibique propositi societate conjunctis, Deus donat hæc munera. Nostrum enim est propositum præparare et proximos fieri benignæ ac diviti menti, et continuo ab ea largissima munera consequimur. Quoniam ergo in iis voto et proposito meo sermonis non sufficit eruditio (idiotam enim me esse confiteor), ad te misi, sicut sæpius dixi, quæstionis hujus solutionem plenissimam recepturus. Incolumis mihi esto, pater incomparabilis et honorabilis.

XLI. Accepta hac epistola Archelaüs admiratus est hominis audaciam; sed interim Diodori allegationibus, ut res

[1] 1 Cor. xv, 50. — [2] Gal. ii, 18. — [3] Rom. ii, 28. — [4] Id. iv, 2. — [5] Id. iii, 20. — [6] Joan. i, 29.

suadebat celerem dare responsum, continuo scripsit hoc modo.

ARCHELAUS

Diodoro presbytero, filio honorabili, salutem.

Acceptis litteris tuis, valde gavisus sum, dilectissime. Cognovi autem quod vir iste, qui ante hos dies ad me venerat, et scientiam aliam præter eam quæ Apostolica est et Ecclesiastica introducere cupiebat, ad te quoque venerit; quem quidem ego non admisi, in præsenti enim nobis disputantibus confutatus est. Et velim quidem omnia quæ a me dicta sunt scribere tibi, ut ex his agnosceres fidem ejus; sed quia de vacanti fieri poterit hoc, nunc, quod instat, paucis respondere tibi necessarium duxi, ad ea quæ mihi scripsisti quod ab illo dicerentur. Erat ergo ei summum studium, legem Moysi ostendere non esse consonantem legi Christi, et hæc ex nostris Scripturis asseverare tentabat. Nos vero ex eadem ipsa Scriptura non solum confirmavimus legem Moysi et omnia quæ in ea scripta sunt; verum etiam omne vetus Testamentum convenire novo Testamento et consonare probavimus, unumque esse textum, tanquam si una vestis videatur ex subtegmine atque stamine esse contexta : hoc solum, quod veluti purpuram videmus in veste, novum Testamentum in textura veteris Testamenti; gloriam enim Domini in eodem speculamur. Non ergo abjiciendum est speculum, cum nobis ipsam imaginem rerum similem veramque demonstret; quin potius, et eo amplius honorandum est. Sed et puerum qui ad doctores a pædagogo perducitur cum adhuc parvulus est, numquid cum ad ætatem pervenerit dehonestare oportet pædagogum, propterea quod jam opera ejus non indiget, et potest solus jam sine ejus adminiculo ad scholas pergere

atque ad auditoria properare? Aut rursum parvulus qui lacte nutritus est, cum profecerit ad validiores cibos, cum injuria debet abjicere atque exhorrescere nutricis mammillas? quin potius veneratur et colit, et beneficii sui debitor fatetur. Aliud etiam, si videtur, adhibemus exemplum. Homo quidam projectum in terram cum vidisset infantem, et jam vehementer afflictum, collegit eum et nutrire apud se cœpit usquequo ad ætatem adolescentiæ perveniret, toleravitque omnes qui evenire solent nutritoribus labores. Accedit vero post tempus is qui naturalis ei fuerat pater, requirere puerum, et invenit eum apud illum qui nutrierat. Quid faciat hic puer, patre cognito? de justo enim puero mihi sermo est. Nonne multis donis munerato eo qui se educaverat, sequitur naturalem patrem pro respectu hæreditatis? Ita mihi intelligendum est magnificum Dei famulum Moysen invenisse populum afflictum ab Ægyptiis, quem assumptum nutriebat in deserto tanquam pater, docebat ut magister, regebat ut rector. Conservavit populum usquequo veniret cujus est; et post aliquantum tempus adveniens pater, oves recepit. Nonne per omnia honorabitur quidem ab eo cui tradidit gregem, gloriabitur vero ab iis qui ab eo conservati sunt? Quis igitur ita mentis insanæ est, o dilectissime Diodore, ut alienos a se dicat eos qui inter se conjuncti sunt, qui pro se invicem prophetarunt, qui æqualia et sibi similia atque cognata, imo potius germana signa ac prodigia demonstrarunt? Et primo quidem Moyses ad populum dixit: « Prophetam vobis suscitabit » Dominus Deus noster sicut me[1]. » Jesus deinde ait : De me enim Moyses locutus est[2]. Vides quomodo dexteras sibi invicem tradunt, quamvis alter Propheta, alter vero Filius sit dilectus; alter fidelis famulus, alter vero Dominus agno-

[1] Deut. XVIII, 18. — [2] Joan. V, 46.

scatur. Sed et quondam, volens quis sine pædagogo ire ad scholas, non suscipitur a magistro dicente : Non eum suscipiam nisi acceperit pædagogum. Quis sit autem de quo dicimus, breviter exponam. Homo quidam erat dives, gentiliter vivens, in multa luxuria quotidie degens; alius vero pauper erat vicinus ejus, qui ne quotidianum quidem cibum poterat invenire[1]. Accidit utrumque vita discedere, et in infernum descendere, et pauperem mitti in locum requiei, et reliqua quæ nosti. Verumtamen erant divitis fratres quinque, ea quæ et ipse egerat agentes, sine dubio quæ domi a tali magistro didicissent. Rogavit dives simul uno tempore, ut edisceret majorem doctrinam; Abraham vero sciens quoniam adhuc indigent pædagogo, ait ei : Habent Moysen et Prophetas. Si enim illos non susceperint, ut ab eis velut pædagogo gubernentur, non poterunt majoris magistri capere doctrinam.

XLII. Sed et de aliis sermonibus, ut potero, exponam, id est, quod non contraria Moysi locutus est Jesus aut fecit. Primum quod ait oculum pro oculo, dentem pro dente[2], hoc justum est; quod autem cæsum præstare jubet et alteram maxillam, hoc bonitas est. Numquid justitia bonitati contraria est? Absit; profectus autem est de justitia ad bonitatem. Et rursus : Dignus est operarius mercede sua[3]. Quod si voluerit quis fraudem facere, exigi ab eo illa quæ per fraudem interceperat, justissimum est, maxime cum multa sit merces. Hoc autem dico, quando Ægyptii affligebant filios Israël per operum compulsores in fingendis lateribus, quod cum suppliciis Moyses totum pariter intra unum momentum temporis exegit. Numquid hoc iniquitas appellanda est? Absit. Illa sane bonitatis est abstinentia, cum utitur quis frugaliter, renuntians omnibus quæ super-

[1] Luc. XVI, 19. — [2] Matth. V, 38. — [3] Idem. X, 10.

flua sunt. Quod vero in veteri Testamento dictum est : Ego divitem facio et pauperem [1]; Jesus vero beatificat pauperes [2], non dixit sæcularis substantiæ pauperes, sed pauperes spiritu, id est, qui non superbia inflammantur, sed humilitate se mitigant et inclinant, non plus sapientes quam oportet sapere. Quam quidem adversarius quæstionem non competenter aptavit. Hic enim video et Jesum libenter intuentem divitum munera, cum in gazophylacio [3] offeruntur; et parum hoc est, si a solis divitibus in gazophylacio munera offeruntur; imo vero etiam duo minuta pauperculæ viduæ libenter suscipiuntur; in quo amplius aliquid quam quod Moyses præceperat de suspicienda pecunia demonstratur. Ille enim ab his qui habebant accipiebat; hic autem accipit etiam ab his qui non habent. Sed, ait, scriptum est : « Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, » non potest meus esse discipulus [4]. » Rursum video Centurionem valde divitem et sæculari præditum potestate fidem habere plus quam omnem Israëlitam [5]; ut si quis fuit, etiam qui renuntiaverat, a Centurione superatur in fide. Sed dicet nobis quis : Non est ergo bonum renuntiare divitiis. Bonum, inquam, his qui possunt; sed et uti divitiis ad opus justitiæ atque misericordiæ, parem gratiam tribuit ac si universis pariter renuntietur. De eo autem quod dicit, destructum esse sabbatum; non plane destruxit, ipse enim Dominus erat sabbati : tanquam si sponsi quis custodiens thorum diligenter extructum, a nullo alio extraneo vexari vel contingi patiatur, usquequo ipse sponsus adveniat, et cum advenerit strato suo sicut libuerit utatur, vel hi quos ipse secum jusserit introire. Testimonium etiam dedit his quæ dicimus, cœlesti voce, ipse Dominus Jesus Christus dicens : « Num» quid potestis filios sponsi facere junare, donec cum ipsis

[1] Prob. xxii, 2. — [2] Matth. v, 3. — [3] Marc. xii, 41. — [4] Luc. xiv, 33. — [5] Matth. viii, 10.

» est sponsus[1] ? » Sed circumcisionem non abjecit, quin potius ipse pro nobis in semetipsum causam circumcisionis excepit, labore nos relevans, et pati nos frustra doloris aliquid non sinens. Quid enim prodest circumcidenti se quidem, et adversus proximum suum pessima cogitanti ? Voluit autem magis largissimæ viæ spatia compendioso nobis tramite demonstrare, ne forte, cum longa spatia circuimus, ante nobis dies claudatur in noctem; et dum de foris quidem splendidi hominibus apparemus, intrinsecus lupis rapacibus comparemur, aut sepulcris conferamur dealbatis. Multo enim ille huic præferendus est, qui, veste squalida ac detrita circumdatus, nihil mali in corde suo conclusum retinet adversus proximum suum. Cordis enim circumcisio sola salutem confert; nihil præstat eis ista carnalis, nisi forte spirituali circumcisione muniantur. Audi etiam quid dicit Scriptura : « Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt[2]. » Quid ergo mihi opus est laborare, cum cognoverim compendia viæ, si possum mundus esse corde, sicut et si quis prævaleat in duobus mandatis omnem Legem implere et Prophetas[3] ? Post hæc vero omnia edocet Apostolorum maximus Paulus dicens : « Aut experimentum quæritis ejus, qui » in me loquitur Christus[4]. » Quid ergo mihi opus est circumcisione, cum possim et in præputio justificari ? Et scriptum est : « Si quis circumcisus est, non adducat præpu» tium, aut si quis in præputio est, non circumcidatur. » Utrumque enim nihil est, nisi observatio mandatorum » Dei[5]. » Cum ergo nullum possit salvare circumcisio, non magnopere requirenda est; maxime cum si quis in præputio vocatus fuerit et circumcidi voluerit, continuo prævaricator Legis efficiatur. Si enim circumcidor, et mandata Legis adimpleo, ut salvari possim ; incircumcisus et in præ-

[1] Marc. II, 19. — [2] Matth. V, 8. — [3] Id. VII, 12. — [4] 2 Cor. XIII, 3. — [5] 1 Cor. VII, 18.

putio positus, multo magis mandata custodiens habebo vitam. In spiritu enim circumcisionem cordis accepi, non jam litteræ per atramentum, in quo laus non ex hominibus sed ex Deo est[1]. Non ergo referatur ad me hujuscemodi incusatio. Sicut enim aliquis dives multis auri atque argenti talentis, ita ut omne domestici usus ministerium ex hujuscemodi metallis habeat structum, in nullo vasis fictilis speciem requirit; sed non propterea figuli opus aut ars fictilium vasorum ab eo detestanda est : ita etiam ego gratia Dei dives factus, et cordis circumcisionem consecutus, nequaquam vilissimæ illius circumcisionis indigeo, nec tamen malam esse dico. Absit. Quod si diligentius de his voluerit aliquis edoceri, inveniet hæc in Epistola prima Apostoli plenissime tractata.

XLIII. De velamento vero Moysi et de ministerio mortis dicam sermone brevissimo; non enim valde mihi hæc insinuare aliquid adversus Legem videntur. Ait ergo sermo propositus : « Quod si ministerium mortis in litteris, formatum in lapidibus, factum est in gloria, ita ut non possent filii Israël intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, qua aboletur[2]; » et reliqua : tamen gloriam esse confitetur in vultu Moysi, quod est amicum nobis. Quod si destruitur, et velamen habet lectio ejus, hoc me non exacerbat neque conturbat, si tantum in eo gloria sit. Neque vero omnigene in ignobilitatem redigitur quod destruetur. Cum enim de gloria disputat Scriptura, scisse se differentias gloriæ testatur : « Alia enim, *inquit,* gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum; stella enim a stella differt in gloria[3]. » Si enim sol majorem habet gloriam quam luna, non continuo in ignobilitatem luna redigitur. Ita et si Dominus meus Jesus Christus præcellit in gloria Moysen, tanquam dominus famulum, non continuo

[1] Rom. II, 29. — [2] 2 Cor. III, 7. — [3] 1 Cor. XV, 41.

respuenda est gloria Moysi; ita enim possumus satisfacere auditoribus, sicut et verbi ipsius natura persuadet, ex Scripturis quæ dicimus affirmantes, vel certe etiam exemplis ea manifestius comprobantes. Si quis lucernam accenderit noctu, cum sol ortus fuerit parvo lucernæ igne non indiget, propter splendorem solis ubique radiantis; sed non ideo abjecit lucernam, veluti contrariam soli; quin potius comperto ejus usu, etiam diligentius servavit. Custodivit ergo populum lex Moysi tanquam lucerna, usquequo sol nobis verus Salvator noster oriretur, sicut et ait : « Et illuminabit » Christus[1]. » Sed quod dicit : « Obscurati sunt sensus eo» rum. Usque in hodiernum enim ipsum velamen manet in » lectione veteris Testamenti. Non revelatur, quia in Christo » destruitur. Usque in hodiernum enim, cum legitur Moy» ses, velamen est positum super cor eorum. Cum autem » conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Domi» nus autem spiritus est[2]. » Quid inquit? Usque in hodiernumne præsens est Moyses, non dormivit, non requievit, non abscessit e vita? Quomodo in hodiernum dicit? Sed intuere velamen, ubi dicit, positum supra cor eorum, in lectione eorum. Hæc est vox quæ arguit filios Israël legentes Moysen et non intelligentes, neque convertentes se ad Dominum, quoniam ipse est qui a Moyse prophetatus est venire. Hoc est velamen quod erat positum super faciem Moysi[3], quod est testamentum ejus; ait enim in Lege : « Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus » ejus, usquequo veniat cujus est, et ipse erit expectatio » gentium. Qui alligabit ad vitem pullum suum, et ad op» timam vitem pullum asinæ suæ. Lavabit in vino stolam » suam, et in sanguine uvæ indumentum suum. Suffusi oculi » ejus a vino, et candidi dentes ejus a lacte[4]; » et reliqua.

[1] Ephes. v, 14. — [2] 2 Cor. III, 14. — [3] Exod. XXXIV, 33 : et 2 Cor. III, 13. — [4] Gen. XLIX, 10.

Qui etiam et unde venturus esset designavit, dicens : « Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris, sicut me; ipsum audite[1]. » Et quidem quia non possit intelligi hoc de Jesu Nave dictum esse, manifestum est : nihil enim hujus circumcisionis in ipso invenitur; adhuc enim ex Juda reges fuerunt post ipsum, et ideo aliena longe est ab eo hæc prophetia. Et hoc est velamen quod est in Moysen; neque enim, sicut fortasse aliqui imperitorum putant, linteum aliquod aut pellis fuit quæ vultum ejus operiret. Sed Apostolus diligenter ostendit dicens velamen esse positum in lectione veteris Testamenti, propter quod is qui appellatur antiquitus Israël expectat adventare Christum, non intelligentes quia defecerunt ex Juda principes, et ex femoribus ejus duces; sicut nunc videmus regibus eos principibusque subjectos tributa pendere, nulla sibi potestate vel judicandi vel puniendi concessa, sicut Judas habuit, quia Thamar, posteaquam condemnaverat, potuit justificare[2]. Sed et videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros[3].

XLIV. Habet etiam hic sermo velamen. Usque ad Herodem enim ex parte aliqua regnum tenere videbantur; ab Augusto autem prima ascriptio in eis facta est, et cœperunt tributa pendere et censum dare. Ex quo autem Dominus noster Jesus cœptus est prophetari atque expectari, ex eo principes ex Juda esse cœperunt et duces populi, qui rursum defecerunt in adventu præsentiæ ejus. Si ergo auferatur velamen quod in illa lectione positum est, intelligent virtutem circumcisionis, invenient et generationem ejus quem prædicamus, et crucem, et quæcumque de Domino nostro gesta sunt, ipsa esse quæ de eo fuerant prædicta. Et velim quidem de Scripturis discutere unumquemque sermonem, et ostendere ut intelligi dignum est; sed quo-

[1] Deut. XVIII, 18. — [2] Gen. XXXVIII. — [3] Deut. XXVIII, 9.

niam nunc aliud est quod urget, de vacanti nobis ista dicentur; hæc enim dixisse nunc sufficit, ut ostendamus non sine causa velamen positum super cor quorumdam in lectione veteris Testamenti. Quicumque vero ad Dominum convertuntur, ab iis velamen aufertur. Quæ omnia quam vim habeant in sese, his qui sensu vigent intelligendum relinquo. Veniamus etiam ad illum sermonem Moysi, quo ait: « Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester ex » fratribus vestris, sicut me[1]; » in quo magnam video prophetiam famuli Moysi, scientis eum qui venturus esset amplius se quidem auctoritatis habiturum, similia tamen esse passurum, et similia signa ac prodigia ostensurum. Ibi enim Moyses natus, a matre sua in thibin positus, exponitur ad ripas fluminis[2]; hic Dominus noster Jesus Christus, natus ex matre sua Maria, per Angelum fugatur in Ægyptum[3]. Ibi Moyses educens populum de medio Ægyptiorum, salvavit[4]; et hic Jesus populum de medio Pharisæorum educens, æternæ tradidit saluti[5]. Ibi Moyses per orationem petens, e cœlo accepit panem quo pasceret populum in deserto[6]; hic Dominus meus Jesus virtute propria ex quinque panibus viros quinque millia satiavit in deserto[7]. Ibi Moyses, cum probaretur, positus in monte jejunavit quadraginta dies[8]; et hic Dominus meus Jesus a spiritu actus in desertum, cum tentaretur a diabolo, quadraginta diebus similiter jejunavit[9]. Ibi in conspectu Moysi, propter infidelitatem Pharaonis, omnia Ægyptiorum primogenita perierunt[10]; et hic Jesu nascente, propter infidelitatem Herodis, omne masculinum Judæorum subito periit[11]. Ibi Moyses orat ut parcatur a plagis Pharaoni, ac populo ejus[12]; et hic Dominus noster Jesus orat indulgeri Phari-

1 Deut. xviii. — 2 Exod. ii. — 3 Matth. ii, 13. — 4 Exod. xiv. — 5 Marc. viii, 15. — 6 Exod. xvi. — 7 Matth. xiv. — 8 Exod. xxxiv. — 9 Matth. iv, 2. — 10 Exod. xii. — 11 Matth. ii, 16. — 12 Exod. viii.

sæis, dicens : « Pater, ignosce eis, quoniam nesciunt quid » faciant[1]. » Ibi Moysi vultus resplenduit in gloria Domini, ita ut non possent filii Israël intendere in faciem ejus propter gloriam vultus ejus[2]; et hic Jesus Christus Dominus resplenduit sicut sol, et discipuli ejus non poterant aspicere in faciem ejus, propter gloriam vultus ipsius et immensum luminis splendorem[3]. Ibi Moyses eos qui vitulum statuerant gladio dejecit[4]; et hic Dominus Jesus ait : « Veni gladium mittere super terram, et dividere hominem » a proximo suo[5], » et reliqua. Ibi Moyses in caliginem nubium aquas ferentium sine metu incessit[6]; et hic Dominus Jesus cum omni potestate super aquas ambulavit[7]. Ibi Moyses imperavit mari[8]; et hic Dominus Jesus cum esset in mari, surgens imperavit ventis et mari[9]. Ibi Moyses cum impugnaretur, extensis manibus certavit adversus Amalech[10] et hic Dominus Jesus impugnatis nobis; et pereuntibus violentia erratici spiritus, qui nunc in justis operatur, extensis in cruce manibus, salutem dedit. Sed et alia multa prætereo, dilectissime Diodore, dum festino ad te libellum hunc velociter mittere, quæ tu pro tua prudentia facile poteris reparare. Scribe autem mihi omne quod postea egerit adversariæ partis minister. Incolumem te anima et spiritu custodiat Deus omnipotens.

XLV. Accepta hac epistola Diodorus, et collecto ex ea sensu, conflixit adversus Manem, ita ut ab omnibus collaudaretur, quod diligenter et competenter ostenderit duorum Testamentorum atque utriusque Legis inter sese cognationem : plura etiam ex semetipso inveniens, objecit ei valida valde et fortia pro veritate. Conclusit etiam adversa-

[1] Luc. xxiii, 34. — [2] Exod. xxxiv, 35. — [3] Matth. xvii, 2. — [4] Exod. xxxii. — [5] Matth. x, 34. — [6] Exod. xxiv, in fine. — [7] Matth. xiv, 25. — [8] Exod. xiv. — [9] Matth. viii, 26. — [10] Exod. xvii.

rium Diodorus ex nominibus, dicens ita : Dixisti duo esse Testamenta, dic ergo duo esse vetera, aut duo nova. Ejusdem enim temporis, vel potius æternitatis, duo asseris esse ingenita ; et si duo sunt, duo esse oportet vetera Testamenta, aut duo nova. Quod si hoc non dicis, sed unum esse vetus, et aliud novum, rursum unus utriusque auctor ostenditur, et ejus esse vetus cujus et novum consequentia ipsa edocet : veluti si quis dicat homini, Loca mihi veterem domum tuam; nonne per hoc etiam novæ domus dominum eum esse pronuntiat? Aut rursum si dicat ei, Novam domum tuam præsta mihi; nonne eodem verbo etiam veterem eum habere designat? Deinde illud etiam pervidendum est, quia ex quo duo sunt ingenitam habentes naturam, ex eo necesse est etiam habere unumquemque ipsorum vetus testamentum, et fient duo vetera testamenta; si tamen ambos antiquos et sine initio esse dicis. Ego autem non ita didici, neque ita continent Scripturæ. Tu vero, qui dicis legem Moysi esse maligni principis, et non boni Dei, dic mihi qui erant illi qui resistebant in faciem Moysi, Jamnem dico et Mambrem? Omne enim quod resistit non sibimet ipsi resistit, sed alii, aut meliori, aut deteriori ; sicut Paulus indicat ad Timotheum in secunda Epistola sua scribens : « Quemadmodum Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, » ita et isti restiterunt veritati, homines corrupti mente, » reprobi circa fidem ; sed ultra non proficient. Insipientia » enim eorum omnibus nota est, sicut et illorum fuit [1]. » Vides quomodo Jamnem et Mambrem hominibus comparat corruptis mente et reprobis circa fidem; Moysen vero veritati. Sed et sanctus Joannes, maximus Evangelistarum, ait, gratiam gratia præstare, et differre [2]; ex plenitudine enim Jesu legem Moysi accepisse nos dicit, aliam autem gratiam pro illa gratia per Jesum Christum esse completam

[1] 2 Timoth. III, 8. — [2] Joan. I, 16.

in nobis. Quod ostendens etiam ipse Dominus noster Jesus, aiebat : « Non putetis quia ego vos accusabo apud Patrem. » Est qui vos accuset Moyses, in quem vos speratis : si enim » crederetis Moysi, crederetis utique et mihi ; de me enim » ille scripsit. Quod si litteris illius non creditis, quomodo » verbis meis credetis[1] ? » Sunt etiam alia multa quæ dici possent et de Apostolo Paulo et de Evangeliis, ex quibus ostendere possumus veterem Legem non esse alterius quam Domini, cujus est novum Testamentum, quæ nos competenter exponere et aptare convenit. Jam vesper impedit, dies enim clauditur, et finem nos disputandi facere par est ; crastino autem nobis, de quibus tibi videtur quæstiones habeantur. Et his dictis discesserunt.

XLVI. Cum autem mane factum esset, subito adventavit Archelaüs ad castellum hunc in quo morabatur Diodorus, priusquam omnino quisquam ad publicum procederet. Manes vero ignorans præsentem esse Archelaüm, rursum Diodorum provocabat ad publicum, ut cum eo disputatione contenderet, volens eum verbis opprimere, ex eo quod advertebat eum hominem esse simplicem et non satis Scripturarum quæstionibus eruditum ; Archelaï enim doctrinæ jam perceperat gustum. Cum ergo et turbæ convenissent ad solitum disputationis locum, et Manes jam verba facere cœpisset, subito in medio eorum apparuit Archelaüs, ac Diodorum complexus, sancto osculo salutavit. Diodorus vero et omne qui præsentes erant admirati sunt opus divinæ Providentiæ, ut in tempore ipso adventaret Archelaüs quo quæstio movebatur ; re enim vera, quod fatendum est, quasi ex parte aliqua religiosus Diodorus pertimuerat conflictum. Cum autem vidisset Archelaüm Manes, cessavit quidem continuo ab insultatione, et supercilio non parum dejecto manifeste intelligebatur quod conflictum vellet

[1] Joan. v, 45.

effugere. Multitudo vero auditorum adventum Archelaï velut Apostoli præsentiam opinata est, pro eo quod ad verbi defensionem tam paratus et tam promptus existeret. Et cum dextera silentium poposcisset a populo (tumultus enim non mediocris extiterat), hoc modo cœpit Archelaüs :

Tametsi prudentiam, gloriam etiam nostrorum nonnulli assecuti sunt, tamen hoc vos deprecor, ut eorum quæ ante me dicta sunt testimonium reservetis. Scio enim et certus sum, fratres, quoniam Diodoro non pro ipsius impossibilitate successi, sed quoniam istum ego novi tunc cum ad loci mei partes improbus advenisset, Marcelli viri illustris gratia, volens eum divertere a nostra doctrina et a fide, videlicet quo impietatis hujus idoneus efficeretur assertor : et tamen omnibus suis verbis in nullo eum divertere et movere prævaluit; similis enim inventus est religiosissimus Marcellus petræ in qua ædificata est domus solidissimis fundamentis, et cum descendisset pluvia, et irruissent flumina ac venti, et illisissent in domum illam, perstitit, fundata enim erat solidissimis et immobilibus fundamentis[1] : huic autem, qui præsens est, infamiam potius intulit conatus ipse quam laudem. Non autem mihi venia dignus videtur qui ignoraverit quod futurum est : oportebat enim eum prænoscere qui sunt proprii sui; si quidem spiritus Paracliti habitat in eo. Sed quoniam ignorantiæ tenebris obcæcatus est, in vanum cucurrit cum iter faceret ad Marcellum; et similis facere astrologo, describenti quidem cœlestia, ignoranti vero quæ suæ domui geruntur. Sed ne videar per hæc verba differre quæstionem, jam sileam; de iis vero dabo ipsi potestatem : sumat quodcumque vult propositionis et quæstionis initium. Vos tantummodo, sicut superius dixi, indeclinabiles judices esse quæso, ut vera dicenti honorem verum palmamque tradatis.

[1] Matth. VII, 24.

XLVII. Tunc Manes, silentio ab omnibus facto, ita exorsus est : Tu quoque, Archelaë, bene me de Deo sentientem, dignamque opinionem de Christo retinentem, verbis molestissimis obtundis; licet tale sit Apostolorum genus, patiens et ferens omnia, etiamsi eos conviciis quis aut maledictis obtrectet. Si persequi volueris, paratus sum; et si inferre supplicia, non refugiam. Si etiam interficere me vis, non reformido; illum enim solum oportet timere qui potest animam et corpus perdere in gehennam[1].

ARCHELAUS.

Absit a me. Non est mihi tale propositum. Quid enim perpessus es a me, vel a nostris; et quidem cum obtrectares atque injuriam irrogares, et cum detraheres de paternis nostris traditionibus, et cum velles animas hominum bene institutas ac diligenti cautela servatas interficere, quibus utique repensari non possunt universæ mundi divitiæ? Verumtamen propter quod assumis, o Manichæe? Quid est quod indicas? Quæ salutis signa ad nos deferas? dicito. Verborum enim nuda jactatio non poterit præsenti multitudini satisfacere, ut agnoscant qui nostrum rectius obtinet scientiam veritatis. De quo ergo vis nos capite disputare, hoc prius dicito, cum prius dicendi acceperis facultatem.

MANES.

Si non iterum his quæ a nobis recte dicuntur infideliter resistis, dicam; si autem talis existis qualem te prius sensi, dicam adversus Diodorum, declinans inquietudinem tuam.

ARCHELAUS.

Prædixi jam quod abutimur inanitate verborum. Si quis nostrum resistere infideliter invenitur, judicibus hæc permitte discernere; tu autem quid asseras, dicito.

[1] Matth. x, 28.

MANES.

Si non iterum resistis his quæ a me iterum recte dicuntur, incipiam.

ARCHELAUS.

Si non hoc est, Si non illud, sermo est hominis ignorantis. Ignoras ergo quod futurum est. Sed hoc quod futurum ais, resistere me, aut non resistere, in mea est potestate. Quomodo ergo stabit sermo ille duarum arborum, in quo fidis veluti scuto firmissimo? Si enim contrariæ partis ego sum, quomodo obedientiam meam requiris? Quod si obedientiæ in me est mens, quomodo pertimescis ne resistam? Ais enim quia malum semper permanet malum, et bonum semper permanet bonum, vim verbi istius penitus ignorans.

MANES.

Numquid te advocatum meorum adhibui sermonum ut etiam meæ scientiæ intelligentiam disponas? quippe qui propria explanare non valeas, quomodo aliena poteris explicare? Quod si victum jam se profitetur Diodorus, tunc mihi tecum sermo movebitur. Si autem stat ille, et est idoneus ad dicendum, desine tu, et noli perturbare substantiam veritatis. Es enim ovis aliena, efficieris tamen postea in numero ejusdem gregis, sicut vox Jesus ostendit, ejus qui apparuit quidem in hominis specie, nec tamen fuit homo.

ARCHELAUS.

Ergo non putas eum ex Maria virgine esse?

MANES.

Absit ut Dominum nostrum Jesum Christum per naturalia pudenda mulieris descendisse confitear; ipse enim testimonium dat quia de sinibus Patris descendit. Et : « Qui me recipit, recipit eum qui me misit[1]. » Et : « Non » veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me[2]. »

[1] Joan. I, 18, et III, 13. — [2] Joan. I, 18.

Et : « Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israël[1]. » Sunt et alia innumera testimonia hujuscemodi, quæ indicant eum venisse, et non natum esse[2]. Quod si potentior illo es, et magis scire potes quod verum est, quomodo jam illi credimus?

ARCHELAUS.

Neque illo potentior sum, servus enim sum, et neque æqualis Domini mei esse possum; ego enim sum inutilis servus, verborum ejus discipulus, credens his quæ ab ipso dicta sunt, et hæc indeclinabilia esse confirmo.

MANES.

Similis tui quidam, cum ei aliquando dixisset : « Maria » mater tua et fratres tui foris stant[3], » non libenter accipiens eum qui dixerat, increpavit dicens : « Quæ est mater » mea, aut qui sunt fratres mei? » et ostendit eos qui facerent voluntatem suam, et matres sibi esse et fratres : sin autem vis dicere matrem ipsius Mariam, non est tibi sine periculo; sine dubio enim etiam fratres ex ea habuisse monstratur. Et dic utrum de Joseph generati sunt, aut ex eodem Spiritu sancto? Ergo et multos Christos, si ex eodem Spiritu sancto generatos dixeris, habuimus. Quod si non ex eodem Spiritu, sed tamen dixeris eum fratres habuisse; sine dubio intelligendum est, quia post Spiritum, post Gabriel, nupserit Joseph Virgo castissima, et immaculata Ecclesia. Quod si etiam hoc absurdum est omnino, eam quolibet modo concubuisse cum Joseph, dic an fratres habuerit? Numquidnam etiam mœchiæ ei crimen impingis, o prudentissime Marcelle? Quod si horum nihil convenit incontaminatæ Virgini; unde ei fuisse fratres astrues? Quod si fratres ei fuisse non potes edocere; quomodo Maria mater ejus erit, sicut ait ille qui scribere ausus est : « Ecce mater tua » et fratres tui foris stant? » Quod etiam si ille ausus est dicere : Illo ipso potentior aut major esse nemo potest, qui

[1] Matth. x, 40. — [2] Joan. vi, 38. Matth. xv, 24. — [3] Matth. xii, 47.

ostendit nobis matrem, aut fratres suos; sed et Davidis esse non dignatur audire [1]. Apostolus Petrus, discipulorum omnium eminentissimus, tunc agnoscere eum potuit : cum singuli opiniones suas, quas de ipso habebant, promerent, ait : « Tu es Christus Filius Dei vivi [2], » et statim beatificat eum dicens : « Quoniam revelavit tibi Pater meus cœlestis. » Vide quanta sit differentia eorum quæ ab Jesu dicta sunt! Illi enim qui dixerat : « Ecce mater tua foris stat, » respondit : « Quæ mihi est mater, aut fratres? » Ei autem qui dixit : « Tu es Christus Filius Dei vivi, » beatitudinem benedictionemque restituit. Si ergo de Maria vis esse eum natum, mentitur ipse cum Petro; si autem verum dicit Petrus, sine dubio ille prior fefellit. Quod si prior fefellit, causam ad scriptorem rejicienda est. Unum igitur Christum nos scimus esse secundum Apostolum Paulum, cujus vocibus credimus consonantibus duntaxat adventui ejus.

XLVIII. His auditis turbæ permotæ sunt, veluti rationem veritatis continentibus, et Archelao nil habente quod his posset opponere; hoc enim indicavit tumultus qui inter eos exortus fuerat; sed cum multitudo conquievisset, Archelaüs hoc modo respondit.

Vocis quidem Domini nostri Jesu Christi nullus poterit esse potentior, si neque nomen aliquod æquale ei esse invenitur : « Propter quod Deus eum exaltavit, et donavit » illi nomen quod est super omne nomen [3]; » neque in testimonio quis æqualis ei esse poterit, et ideo ego vocis ejus tibi testimonia proferam, primum quidem dissolvens hæc quæ a te dicta sunt, uti ne dicas quoniam nec sibi ipsi consonant, ut est tibi consuetudo dicendi. Ais enim quia eum qui nuntiaverat ei de matre aut de fratribus increpaverit Jesus, quasi fallentem, secundum id quod scriptorem fefellit. Neque is qui annuntiavit ei de matre

[1] Matth. XXIII, 42. — [2] Id. XVI, 16. — [3] Philip. II, 9.

et fratribus increpatus est, neque Petrus supra illum solus beatificatus est; sed uterque ab eo dignam responsionem propria interrogatione percepit, sicut in consequentibus sermo monstrabit. Cum quis parvulus est, cogitat sicut parvulus, sapit ut parvulus; cum autem perfectus fuerit vir, destruentur ea quæ sunt parvuli : id est, dum ad priora se quis extendit, obliviscatur quæ post se sunt. Unde Domino nostro Jesu Christo docente et curante humanum genus, uti ne simul omnia deperirent, cumque in talibus studiis mens omnium auditorum esset intenta, non opportune ingressus hic nuntius de matre ejus suggessit ac fratribus. Quid enim? debuitne etiam se ipso judicante derelinquere eos quos curabat et quos erudiebat, et cum matre ac fratribus colloqui? Nonne continuo de hoc ipso detraheres? Cum enim peccatis onustos et gravatos ad discipulatum delegit duodecim numero, quos et Apostolos nominavit, dicens eis : Relinquite matrem et patrem, ut me digni efficiamini[2]; ut ultra non possit eis memoria patris aut matris robustum pectus inflectere. Et iterum volente alio quodam dicere ei, Ibo, et sepeliam patrem meum, ait : « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos[3]. » Intuere ergo quomodo Dominus meus Jesus ad necessaria discipulos ædificat, et pro meritis unicuique sancta verba committit. Ita et in eo tempore quo importune annuntiaverat quidam ei de matre, non complectitur pro matris præsentia paternum præterire præceptum. Ut autem tibi ostendam hæc ita esse, Petrus aliquando, cum jam beatificationem fuisset ab eo consecutus, ait ad Jesum : « Propi» tius esto, Domine, non erit tibi istud[4], » cum dixisset ei Jesus quia oporteret Filium hominis ascendere Jerosolymam, et occidi, et tertia die resurgere; respondens ait Petro : « Vade retro, Satana, quia non sapis quæ Dei sunt,

[1] 1 Cor. XIII, 11. — [2] Matth. X, 37. — [3] Luc. IX, 59. — [4] Matth. XVI, 22.

» sed quæ hominum sunt. » Quoniam ergo existimas illum qui ei de matre renuntiaverat et fratribus, increpatum esse ab Jesu; istum vero qui paulo ante dixerat : « Tu es Filius » Dei vivi, » beatitudinem consecutum : vide quia magis hunc prætulit Jesus, cui et clementius et cum venia responsum dare dignatus est; Petro vero post illam benedictionem nullum jam veniæ largitur titulum, pro eo quod naturam rei sibi dictæ non diligenter adverterit. Illius enim nuntii error responsi ratione corrigitur; hujus vero tarditas intellectus acerbiori increpatione damnatur. Ex quo advertere potes quod Dominus Jesus interrogationum sibi, opportunitate servata, dignum promat singulis opportunumque responsum. Quod si, ut ais, ex eo quod verum dixerat Petrus beatificatur, et pro eo quod fefellit nuntius ille culpatur; dic mihi quare cum dæmones eum confiterentur, dicentes : « Scimus te, qui sis sanctus Deus [1], » increpavit eos et silere præcepit; cur non (si quidem confitentium se testimoniis delectatur) etiam istos, sicut Petrum vera dicentem, benedictionibus remuneratus est? Quod si hoc absurdum est, relinquitur ut pro loco, pro tempore, pro personis, pro rebus, pro accidentium salute, ea quæ dicta sunt intelligamus, uti ne temere pronuntiantes, digna coërcitione feriamur, et ut te magis ac magis edoceam multo amplius illum qui de matre nuntiaverat honoratum : tu autem oblitus rei quæ nobis proposita est, in aliud conversus es. Audi ergo breviter; si enim volueris diligentius intueri quæ dicta sunt, inveniemus in illo priore multam Dominum Jesum ostendisse clementiam; idque convenientibus te exemplis edoceam. Rex quidam, cum adversus hostem processisset armatus, et cogitaret atque disponeret quemadmodum posset manum sibi hostilem atque barbaram subjugare, cumque in multa esset cura et sollicitudine constitutus, in medio

[1] Luc. IV, 34. 1 Cor. XV, 32.

adversariorum positus, ac postea jam captivos eos tenere incipiens, jamjam illa sollicitudo immineret quemadmodum eos qui secum laboraverant ac pondus belli toleraverant procuraret, quidam ei nuntius importunus occurrens, de rebus domesticis suggerere aliqua cœpit. At ille admiratus est audaciam atque importunam suggestionem, et morti tradere hujuscemodi hominem cogitabat; quod nisi de charissimis affectibus talis nuntius extitisset, eo quod incolumes esse hos et recte ac prospere agentes omnia nuntiasset, dignum protinus potuit excepisse supplicium. Quæ enim erat cura alia regis, belli duntaxat tempore, nisi provincialium salus, nisi dispositio rei militaris? Ita et Domino meo Jesu Christo pugnanti adversum passiones, quæ profunda viscerum obsederant, et curans eos qui multo tempore variis infirmitatibus fuerant devincti, et inclinato omni nisu pro salute universitatis, ille nuntius importune adveniens de matre et fratribus nuntiavit. Et potuit quidem similem Petro, aut etiam graviorem accepisse sententiam; sed matris et fratrum intellectum nomen clementiam provocavit.

XLIX. Sed et amplius adhuc omnibus ostendere cupio, ut agnoscant universi, assertio tua quantum impietatis obtineat. Si enim, secundum tu dicis, non est natus, sine dubio nec passus est; pati enim qui natus non est, impossibile est. Quod si non est passus, Crucis nomen aufertur. Cruce autem non suscepta, nec Jesus ex mortuis resurrexit. Quod si Jesus ex mortuis non resurrexit, nec aliquis alius resurget. Quod si nullus resurget, nec judicium erit. Certum est enim quia si non resurgam, nec judicer. Quod si non judicium erit, frustra erit observatio mandatorum Dei : nullus abstinentiæ locus est; manducemus et bibamus, cras enim moriemur[1]. Hæc autem omnia connectis, negans quod de Maria natus est; si enim confessus fueris eum de Maria natum,

[1] Cor. xv, 32.

et passio subsequatur necesse est, et passionem resurrectio, et resurrectionem judicium; et salva nobis erunt Scripturæ præcepta. Non ergo jam vana est quæstio, sed plurima in hoc verbo. Sicut enim omnis Lex et Prophetiæ in duobus sermonibus constant, ita etiam nostra omnis spes in beatæ Mariæ partu suspensa est; et ideo responde mihi ad singula quæ te interrogabo. Quomodo abjiciemus tantas et tales Apostoli voces, quæ dicunt : « Cum autem fuit Dei voluntas » in nobis, misit Filium suum factum ex muliere [1] ? » Et iterum : « Pascha nostrum immolatus est Christus [2]. » Et quia : « Deus, et Dominum suscitavit, et nos cum illo suscitabit » per virtutem suam [3]. » Et alia multa his similia dicta sunt, ut est illud : « Quomodo dicunt quidam in vobis, quia re- » surrectio mortuorum non est ? Si enim resurrectio mor- » tuorum non est, nec Christus resurrexit. Si autem Chri- » stus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra. » Inveniemur etiam falsi testes Dei, qui testimonium perhi- » buimus adversus Deum, quia suscitaverit Christum, quem » non suscitavit. Si quidem mortui non resurgunt, nec Chri- » stus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, vana est » fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris ; ergo et qui » dormierunt in Christo perierunt. Si in hac vita tantum- » modo speramus in Christo, miserabiliores sumus omnibus » hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis ini- » tium dormientium [4] ; » et reliqua. Quis, rogo, tam temerarius et impudens invenitur, qui istis sacrosanctis vocibus non accommodet fidem, in quibus nulla est distinctio, nulla dubitatio ? Quisnam, quæso, etiam te, o stulte Galata, fascinavit, sicut et illos « quorum ante oculos Jesus Christus » rescriptus est crucifixus [5] ? » Unde arbitror sufficere hæc testimonia ad ostensionem judicii, et resurrectionis, et pas-

[1] Galat. IV, 4. — [2] I Cor. V, 7. — [3] Id. VI, 14. — [4] Id. XV, 12. — [5] Galat. III, 1.

sionis; quibus consequenter et pariter ex Maria partus ostenditur. Quid enim, si tu nolis acquiescere, sed evidentissime Scriptura proclamet? Verumtamen interrogabo te, tu autem mihi responde, quando Jesus de Joanne testimonium dabat, et dicebat quia «Major in natis mulierum nullus surrexit Joanne Baptista; qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo[1]:» dic mihi qua ratione major illo est in regno cœlorum. Numquid Jesus minor erat Joanne in regno cœlorum? Dico, absit. Dic ergo in quo, ut vel te ipsum superare possis. Sine dubio minor erat Joanne Jesus inter natos mulierum; in regno autem cœlorum major illo erat. Dic mihi illud etiam, o Manichæe, si ais Christum non esse ex Maria natum, sed apparuisse quidem ut hominem, cum homo non esset, præstante hoc et agente virtute quæ in ipso est; dic mihi, super quem Spiritus sanctus sicut columba descendit. Quis est etiam qui baptizatur a Joanne? Si perfectus erat, si Filius erat, si virtus erat, non poterat Spiritus ingredi, sicut nec regnum potest ingredi intra regnum. Cujus autem ei cœlitus emissa vox testimonium detulit, dicens: « Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui[2]?» Dic age, nihil remoreris, quis ille est qui parat hæc omnia, qui agit universa. Responde, ita ne blasphemiam pro ratione impudenter allegas, et inferre conaris.

MANES.

L. Nemo quidem qui adversum hæc quæ a te dicta sunt respondere potuerit, blasphemiæ crimen incurrit; quin potius est omni laude dignissimus. Oportet enim artificem rebus propositis responsione diligenter aptata, manifesta omnibus ea de quibus quæritur vel dubitatur ostendere, et maxime idiotis. Et quoniam tibi doctrinæ nostræ non placet ratio, tanquam artifex bonus, etiam hanc mihi quæstionem rationabiliter exsolve. Mihi enim pium videtur dicere

[1] Matth. xi, 11. — [2] Idem, iii, 17.

quod nihil eguerit Filius Dei in eo quod adventus ejus procuratur ad terras, neque opus habuerit columba, neque baptismate, neque matre, neque fratribus, fortasse neque patre, qui ei secundum te fuit Joseph; sed totus ille ipse descendens, semetipsum in quocumque voluit transformavit in hominem, eo pacto quo Paulus dicit, quia « habitu » repertus est ut homo[1]. » Cujus igitur rei indiguerit is qui semetipsum in omnia transformarit, ostende. Quando enim voluit, hunc hominem rursum transformavit in speciem solis ac vultum. Quod si rursus resistis, mihi recte dicenti fidem nolis accommodare, audi definitionem tuam, in qua stas. Si enim hominem eum tantummodo ex Maria esse dicis, et in baptismate Spiritum percepisse, ergo per profectum filius videbitur, et non per naturam. Si tamen tibi concedam dicere, secundum profectum esse filium, quasi hominem factum; hominem vere esse opinaris, id est, qui caro et sanguis sit. Necesse est ergo et Spiritum, qui sicut columba apparuit[2], non aliud esse quam naturalem columbam : sicut homo enim dictum est, et sicut columba; et quodcumque opinari potest de eo sermone quod dictum est, sicut homo, hac opinione concipe etiam de eo quod dictum est, sicut columba; necesse est et hæc æqualiter recipere, ita enim in Scripturis quæ de eo scripta sunt inveniuntur.

ARCHELAUS.

Sicut tibi ipse non potes, tanquam bonus artifex, neque ego tibi hanc quæstionem diligenter aptatam manifestarem atque manifeste dissolverem, nisi propter hos qui assistunt et qui nos audiunt; et ideo, sicut convenit, quæstionis hujus quoque exponam rationem. Tibi quidem non videtur pie dici, matrem habuisse Jesum Mariam, et reliqua quæ nunc prosecutus es, quæ quidem omnia repetere perhorres-

[1] Philip. II, 7. — [2] Matth. III, 16.

co. Interdum quidem cogi solet artifex propter imperitiam resistentis dicere et facere ea quæ tempus recusat, et ideo quia mihi est illata necessitas propter præsentem turbam, ad ea quæ a te non recte dicta sunt paucis respondeam. Dic ergo mihi : si Jesum hominem naturaliter factum intellexerimus ex Maria, habentem carnem et sanguinem intellexerimus, necesse est etiam Spiritum sanctum veram columbam fuisse, et non spiritum. Et quomodo poterit vera columba verum hominem ingredi, atque in eo permanere? caro enim carnem ingredi non potest. Sed magis si Jesum hominem verum confiteamur, eum vero qui dicitur sicut columba, Spiritum sanctum, salva est nobis ratio in utraque. Spiritus enim secundum rectam rationem habitat in homine, et descendit, et permanet; et competenter hoc et factum est et fit semper, sicut tu teipsum ante hoc tempus profitebaris esse Paraclitum Dei, ut dicam silex, non homo, qui frequenter oblivisceris ea quæ dicis. Spiritum enim venisse super te dixisti, quem promiserat Jesus esse missurum; et unde, nisi de cœlo descendat? Et si descendit Spiritus super hominem dignum se, super te autem veras columbas descendisse sentiendum est, ut te columbarum potius furem accipiamus, insidias eis ac laqueos molientem : dignus enim es qui verbis ridiculis illudaris; ego tamen parco, ne auditores videar offendere hæc dicens, et maxime quia præter propositum meum, in te ingerere quæ merearis audire. Sed redeam ad rem. Memor sum enim transformationis suæ, qua dicis quia Deus transformaverit se in hominem vel in solem, ex hoc volens ostendere Jesum nostrum habitu solo et visu factum esse hominem; quod absit ab unoquoque fidelium dicere. Hæc alioquin secundum te ad somnium nobis redeant universa et figuras; non solum autem, sed adventus nomen delebitur; poterat enim in cœlo positus facere quæ voluerat, si Spiritum eum esse, et non

hominem, dices. Sed non ita est, quoniam « exinanivit semetipsum formam servi accipiens [1]. » Dico autem de eo qui ex Maria factus est homo. Quid enim? non poteramus et nos multo facilius et lautius ista narrare? sed absit ut a veritate declinemus iota unum aut unum apicem. Est enim qui de Maria natus est filius, qui totum hoc, quo magnum est, voluit perferre certamen Jesus. Hic est Christus Dei, qui descendit super eum qui de Maria est. Quod si non credis neque voci quæ cœlitus facta est, temerarium aliquod ipse producis, et si dixeris, nemo credet. Statim enim in desertum a spiritu ductus est Jesus, ut tentaretur a diabolo, quem cum diabolus ignoraret, dicebat ei : « Si filius » es Dei [2]. » Ignorabat autem propter quid genuisset Filium Dei, qui prædicabat regnum cœlorum, quod erat habitaculum magnum, nec ab ullo alio parari potuisset; unde et affixus cruci, cum resurrexisset ab inferis, assumptus est illuc, ubi Christus Filius Dei regnabat, ut cum judicium habere cœperit, hi qui ignoraverunt eum videant quem compunxerunt [3]. Ut autem credas, cum discipuli ejus per annum integrum manserunt cum eo, quare nullus ipsorum procidit super faciem suam, sicut paulo ante dicebas, sed in una hora illa quando sicut sol resplenduit vultus ejus? Nonne propter habitaculum illud, quod ex Maria fuerat effectum? Sicut enim Paracliti pondus nullus alius valuit sustinere, nisi soli Discipuli et Paulus beatus; ita etiam Spiritum, qui de cœlis descenderat, per quem vox paterna testatur, dicens : « Hic est Filius meus dilectus [4], » nullus alius portare prævaluit, nisi qui ex Maria natus est, super omnes sanctos Jesus. Sed et ad hæc quæ objicio responde. Si habitu eum et specie dicis esse hominem, quomodo ab his qui ex viro et muliere nati sunt, Pharisæis teneri potuit, et ad judicium protrahi, cum spirituale corpus a crassioribus

[1] Philip. II, 7. — [2] Matth. IV, 1. — [3] Joan. XIX, 37. — [4] Matth. III, 17.

corporibus non valeat comprehendi? Quod si habes aliquid quod ad verbum atque ad propositum respondeas, qui nunquam ad proposita respondisti, perge quæso, et pugillum plenum solis mihi affer, aut modium plenum. Ipse vero sol pro eo quod subtilioris est corporis, cooperire te et circumdare potest; tu vero eum, etsi conculcaveris, nihil lædis. Dominus vero meus Jesus, si tentus est, ut homo ab hominibus tentus est. Si non est homo, nec tentus est. Si non est tentus, nec passus est, nec baptizatus est. Si ille non est baptizatus, neque quisquam nostrum baptizatus est. Baptisma autem si non est, nec erit remissio peccatorum, sed in suis peccatis unusquisque morietur.

MANES.

Ergo baptisma propter remissionem peccatorum datur?

ARCHELAUS.

Etiam.

MANES.

Ergo peccavit Christus, quia baptizatus est?

ARCHELAUS.

Absit; quin potius pro nobis peccatum factus est, nostra peccata suscipiens, propter quod ex muliere natus est, et propter quod ad baptisma venit ut hujus partis perciperet purificationem, ut Spiritum, qui descenderat in specie columbæ, corpus quod susceperat portare possit.

LI. Hæc cum dixisset Archelaüs, admiratæ sunt turbæ veritatem doctrinæ ejus, et laudes ei immensas cum clamoribus reddiderunt, ita ut omni studio conarentur, et ultra ei non sinerent ad propria remeare; et tunc quidem discesserunt. Postea vero congregatis eis, Archelaüs acquiescere sibi atque audire verbum suadebat: non enim soli qui cum Diodoro erant audiebant eum, sed omnes quicumque ex provincia ejus aderant atque ex vicinis locis; factoque silentio, hoc modo de Mane dicere aggressus est: Qualiter se

quidem habeat nostra doctrina audistis, et fidei nostræ experimenta cœpistis; prout potui enim intelligere Scripturas, coram omnibus vobis exposui. Sed nunc paucissime dicere volentem deprecor ut cum silentio audiatis, ut agnoscatis qui sit, et unde, et qualis sit iste qui advenit, sicut Sisinius quidam unus ex comitibus ejus indicavit mihi, quem etiam ad testimonium eorum quæ a me dicentur, si placet, vocare paratus sum. Sed ne ipse quidem dicere recusavit eadem quæ nos dicimus, præsente Mane; credidit enim doctrinæ nostræ supradictus, sicut et apud me alius, Turbo nomine. Quæcumque ergo contestati sunt mihi, sed et ea quæ nos ipsi deprehendimus in hoc viro, non faciam latere conscientiam vestram. Tunc vero turbæ eo amplius incitatæ, congregatæ sunt ad audiendum Archelaüm; etenim ea quæ ab eo dicebantur plurimam eis oblectationem præbebant; propter quod et certatim adhortabantur eum dicere quæcumque vellet, quæcumque sentiret; paratos se esse ad audiendum, et usque ad vesperum permanere, etiam accensis luminibus, pollicebantur: quorum animositate incitatus Archelaüs cum omni fiducia dicere exorsus est: Viri fratres, superiores quidem causas Domini mei Jesu audistis, dico autem eas quæ ex Lege et Prophetis judicantur; inferiores vero Domini mei Jesu Christi Salvatoris nostri non ignoratis. Sed quid plura? Appellati sumus ex Salvatoris desiderio Christiani, sicut universus orbis terrarum testimonium perhibet, atque Apostoli edocent[1]; sed et optimus architectus ejus, fundamentum nostrum, id est Ecclesiæ, Paulus posuit, et legem tradidit (7), ordinatis ministris, et presbyteris, et episcopis in ea, describens per loca singula, quomodo et qualiter oporteat ministros Dei, quales et qualiter fieri presbyteros, qualesque esse debeant qui episcopatum desiderant; quæ omnia bene nobis et recte disposita, usque in

[1] 1 Cor. III, 10.

hodiernum, statum suum custodiunt, et permanet apud nos hujus regulæ disciplina. Istius vero, qui nunc nobis ex Persarum provincia ebullivit, Manes nomine, adversum quem mihi disputatio jam secundo commota est, genus vobis dicam, et totum; sed et doctrina ejus unde descendat lucidissime demonstrabo. Iste non est primus auctor hujuscemodi doctrinæ, nec solus; sed quidam ex Scythia, Scythianus nomine, Apostolorum tempore fuit sectæ hujus auctor et princeps, sicut et fuerunt et multi alii apostatæ qui, primatus sibi vindicare cupientes, falsa pro veris conscripserunt, simpliciores quosque ad suam libidinem pervertentes, quorum nomina et perfidias dicere nunc tempus non sinit. Hic ergo Scythianus dualitatem istam introducit contrariam sibi, quod ipse a Pythagora suscepit, sicut et alii omnes hujus dogmatis sectatores, qui omnes dualitatem defendunt, declinantes Scripturæ viam directam; sed non in amplius proficient.

LII. Nullus tamen ita impudenter prævaluit sicut iste Scythianus. Inimicitias enim inter duos ingenitos introduxit, et omnia hæc quæ consequuntur hujuscemodi assertionem. Quique Scythianus ipse ex genere Saracenorum fuit, et captivam quamdam accepit uxorem de superiore Thebaïde, quæ eum suasit habitare in Ægypto magis quam in desertis. Atque utinam nunquam eum illa provincia suscepisset, in qua cum habitaret, cum Ægyptiorum sapientiam didicisset; erat enim, ut quod verum est dicamus, valde dives ingenio et opibus sicut hi qui sciebant eum per traditionem nobis quoque testificati sunt. Discipulum autem habuit quemdam, nomine Terebinthum, qui scripsit ei quatuor libros, ex quibus unum quidem appellavit Mysteriorum, alium vero Capitulorum, tertium autem Evangelium, et novissimum omnium Thesaurum appellavit; et erant ei isti quatuor libri, et unus discipulus nomine Terebinthus.

Quia ergo aliquantum temporis secum isti ambo decreverant soli habitare, placuit Scythiano discurrere in Judæam, ut ibi congrederetur cum omnibus quicumque ibi videbantur esse doctores; et pervenit eum continuo vita defungi, nec potuisse aliquid promovere. Ille vero discipulus qui cum eo fuerat conversatus in fugam versus est, et Babyloniam petiit, quæ nunc provincia habetur a Persis, quæque abest nunc a locis nostris itinere dierum et noctium ferme sex; quo cum venisset, talem de se famam pervulgavit ipse Terebinthus, dicens omni se sapientia Ægyptiorum repletum, et vocari non jam Terebinthum, sed alium Buddam nomine, sibique hoc nomen impositum, ex quadam autem virgine natum se esse, simul et ab Angelo in montibus enutritum. Parcus vero quidam propheta, et Labdacus Mithræ filius, arguebat eum mendacii, et erat eis quotidie animosa exaggeratio de hujusmodi negotio. Sed quid plura? Licet frequentius objurgaretur, tamen nuntiabat eis quæ ante sæculum essent, et de sphæra et duobus luminaribus; sed et quo, et quomodo animæ discedant, et qualiter iterum revertantur in corpora, et alia multa hujuscemodi, et horum nequiora, id est, bellum Deo commotum esse in principiis, ut ipse propheta crederetur. Pro quibus dum argueretur, ad viduam quamdam secessit cum suis quatuor libris, nullo ibidem discipulo acquisito præter anum solam, quæ ejus particeps facta est. Tunc deinde mane primo ascendit solarium quoddam excelsum, ubi nomina quædam cœpit invocare, quæ nobis Turbo dixit solos septem electos didicisse. Cum ergo ascendisset, ritus nescio cujus vel artificii gratia; solus autem ascendit, ne inde ab aliquo convinci posset, quod si dissimulasset vel pro nihilo duxisset, cogitabat se a veris principibus pœnis esse subditum. Hæc eo cogitante, justissimus Deus sub terras eum detrudi per spiritum jubet, et continuo de summo dejectus, exanime cor-

pus deorsum præcipitatum est, quod anus illa miserta, collectum locis solitis sepeliit.

LIII. Tunc omnia illa quæ secum de Ægypto pertulerat manserunt apud eam, et gavisa est valde de morte ejus, duplici causa, primo quod non libenter aspiceret artes illius, secundo pro his quæ de hæreditate fuerat consecuta; erat enim multum pretii. Quæ cum sola esset, habere aliquem ad ministerium voluit, et comparavit sibi puerum annorum ferme septem, Corbicium nomine, quem statim manumisit ac litteris erudivit. Quique cum duodecim annorum esset effectus, anus illa diem obiit, ipsique universa bona sua tradidit, et cum cæteris reliquis etiam quatuor illos libellos quos Scythianus scripserat, non multorum versuum singulos. Tunc ergo Corbicius, sepulta domina, bonis sibi derelictis omnibus uti cœpit, et migravit ad medium civitatis locum in quo manebat rex Persarum, et commutato sibi nomine, Manem semetipsum pro Corbicio appellavit; nec Manem, sed Manes; Persarum enim lingua tali utitur declinatione. Effectus igitur puer ille annorum prope sexaginta, eruditus secundum doctrinam quæ in locis illis est, et pene dixerim super omnem hominem, diligentius tamen hæc didicit quæ in illis quatuor libellis continebantur; acquisivit etiam discipulos tres, quorum nomina sunt hæc, Thomas, Addas et Hermas. Tunc assumit illos libellos, et transfert eos, ita ut multa alia a semetipso insereret eis, quæ anilibus fabulis similia sunt. Habebat ergo tres istos discipulos conscios malorum suorum; nomen vero libellis proprium ascribit, prioris nomine deleto, tanquam si eos solus ex semetipso conscripserit. Tunc visum est ei mittere discipulos suos cum his quæ conscripserat in libellis, ad superiora illius provinciæ loca, et per diversas civitates et vicos, ut haberet aliquos se sequentes; et Thomas quidem partes Ægyptii voluit occupare, Addas vero Scythiæ, solus autem

Hermas residere cum eo elegit. Cum ergo illi essent profecti, regis filius ægritudine quadam arreptus est, quem rex curari desiderans edictum proposuit, invitans, si quis eum curare possit, accipere præmium, multo proposito. Tum iste, sicut illi qui cibum quod nomen est tale eludere solent, præsentiam suam Manes exhibet apud regem, dicens se esse puerum curaturum : quæ cum audisset rex, suscepit eum cum obsequio ac libenter habuit. Verum ne multa narrando quæ gessit, tædium auditoribus inferam, mortuus est puer in manibus ejus, vel potius extinctus. Tunc rex in carcerem detrudi jubet Manem, et ferri talento onerari. Illi vero duo discipuli ejus qui missi fuerant ad docendum per singulas civitates, quærebantur ad pœnam; quique fugientes licet, nunquam cessarunt alienam hanc et ab Antichristo inspiratam per loca singula inserere doctrinam.

LIV. Post hæc ad magistrum suum redeunt, referentes quæ eis acciderant; audiunt etiam ea quæ in ipso collata sunt mala : accedentes ergo, ut dicebam, ad eum sui, et suggerentes ei de his malis quæ per loca singula patiebantur, de reliquo converti se debere ad salutem suadebant; pertimuerant enim, verentes ne quid sibi ex his malis quæ illi inferebantur accederet. At ille suadens eos nihil vereri, ad orationem consurgit. Tunc deinde jubet, in carcere positus, legis Christianorum libros comparari; valde enim hi qui missi fuerant ab eo per singulas civitates, ab omnibus hominibus execrationi habebantur, maxime apud quos Christianorum nomen venerationi erat. Sumpto ergo aliquantulo auri modo, abierunt (8) ad loca in quibus Christianorum libri conscribebantur, et simulantes se nuntios esse Christianos, rogabant præstari sibi libros Scripturarum nostrarum, et deferunt ad eum in carcere constitutum. Quibus ille acceptis, homo astutus cœpit in nostris libris oc-

casiones inquirere dualitatis suæ, nec suæ quidem, sed Scythiani, qui hoc ante plurimum temporis protulerat; et in nostris libris, sicut etiam adversus me disputans fecit, assertionem suam proferre, quædam in his accusans, quædam permutans, solo Christi nomine adjecto; quem se idcirco suscipere simulavit, ut per civitates singulas sanctum et divinum nomen audientes Christi, minime execrantes eos, discipulos istius non fatigarent. Inveniens autem vocem etiam de Paraclito positam in Scripturis, semetipsum esse subjecit, qui non legerat diligenter quia Paraclitus jam tunc venisset, cum Apostoli adhuc essent super terram. His ergo tam scelerate compositis, mittit et discipulos suos prædicaturos intrepide fictos simulatosque errores, et novas falsasque voces annuntiaturos per loca singula. Quod cum rex Persarum cognovisset, dignis eum suppliciis subdere parat. Quo Manes agnito, admonitus in somnis, elapsus de carcere in fugam versus est, auro plurimo custodibus corruptis, et mansit in castello Arabionis. Unde scriptam epistolam per Turbonem ad Marcellum nostrum misit, in qua significavit se esse venturum. Quo cum venisset, fuit nobis certamen tale quale et hic vidistis et audistis, in quo, prout potuimus, ostendimus eum pseudoprophetam. Sed custos quidem carceris qui eum dimiserat, punitus est; rex vero eum requiri jussit, et in quibuscumque locis repertum comprehendi. Hæc cum ego cognovissem, necessarium fuit me etiam vobis indicare quia requiritur iste a rege Persarum usque in hodiernum diem.

LV. His auditis, turbæ volebant Manem comprehensum tradere potestati barbarorum, qui erant vicini ultra Strangam fluvium, quoniam et ante tempus venerant quidam ad requirendum eum, quo nusquam reperto, discesserant; erat enim tunc in fuga constitutus. Cum ergo hæc ita Archelaüs prodidisset, continuo se in fugam dedit Manes, et evadere potuit,

dum nemo eum insequeretur. Sed populus cum Archelaï quem libenter audiebant relatione teneretur, quidam tamen crebre insecuti sunt post eum. Sed ille, vias quibus venerat repetens, transito fluvio, ad Arabionis castellum rediit : ubi postea comprehensus, oblatus est regi ; quique plurima adversus eum indignatione commotus, duas mortes in eum vindicare cupiens, unam filii, alteram carcerarii, jussit eum ante portam civitatis excoriatum suspendi, et pellem ejus medicamentis infectam inflari ; carnes vero volucribus dari jussit. Quibus postea agnitis, Archelaüs adjecit ea priori disceptationi, ut omnibus innotesceret, sicut ego qui inscripsi in prioribus exposui. Congregatis igitur omnibus Christianis, ferri adversus eum sententiam placuit, veluti epilogum quemdam morti ejus transmittentes, consonantem reliquis vitæ ejus negotiis. Addidit etiam hoc Archelaüs dicens : Viri fratres, ne quis vestrum incredulus sit his quæ a me dicta sunt ; id est, quod non ipse primus auctor scelerati hujus dogmatis extiterit Manes, sed tantum quod per ipsum aliquibus terræ partibus manifestatum sit. Sed non statim is qui aliquid quocumque portaverit auctor ejus putandus est, sed qui invenerit. Sicut enim gubernator acceptam navem quam alius fecit ad quæcumque loca voluerit perducere, alienus est tamen omni genere a constructione ejus : ita intelligendus est et iste ; non enim ex initio huic rei ipse originem dedit, sed ea tantum quæ ab alio fuerant inventa per se detulit hominibus, sicut certis testimoniis notum est, quibus propositum est vobis ostendere non ex Mane originem mali hujus manasse, sed ab alio, et ante multum temporis a barbaro quodam exorta, in silentio habita, ab isto vero ignote latentia veluti propria ejus esse prolata, deleto conscriptoris titulo, sicut superius exposui. Fuit prædicator apud Persas etiam (9) Basilides quidam antiquior, non longe post nostrorum Aposto-

lorum tempora, qui et ipse cum esset versutus, et vidisset quod eo tempore jam essent omnia præoccupata, dualitatem istam voluit affirmare quæ etiam apud Scythianum erat. Denique cum nihil haberet quod assereret proprium, aliis dictis proposuit adversariis. Et omnes ejus libri difficilia quædam et asperrima continent. Extat tamen tertius decimus liber Tractatuum ejus, cujus initium tale est : « Tertium » decimum nobis Tractatuum scribentibus librum, neces- » sarium sermonem uberemque salutaris sermo præstavit. » Per parvulam divitis et pauperis naturam, sine radice et sine loco rebus supervenientem, unde pullulaverit indicat. Hoc autem solum caput liber continet. Nonne continet et alium sermonem, et sicut opinati sunt quidam, nonne omnes offendemini ipso libro cujus initium erat hoc? Sed ad rem rediens Basilides, interjectis plus minus vel quingentis versibus, ait : « Desine ab inani et curiosa varietate, requi- » ramus autem magis quæ de bonis et malis etiam barbari » inquisierunt, et in quas opiniones de his omnibus perve- » nerunt. Quidam enim horum dixerunt initia omnium duo » esse, quibus bona et mala associaverunt, ipsa dicentes in- » itia esse et ingenita; id est, in principiis lucem fuisse ac » tenebras, quæ ex semetipsis erant, non quæ esse dice- » bantur. Hæc cum apud semetipsa essent, propriam unum- » quodque eorum vitam agebat quam vellet et qualis sibi » competeret; omnibus enim amicum est quod est pro- » prium, et nihil sibi ipsum malum videtur. Postquam au- » tem ad alterutrum agnitionem uterque pervenit, et te- » nebræ contemplatæ sunt lucem, tanquam melioris rei » sumpta concupiscentia, insectabantur ea commisceri. »

Nonnulla fortasse desunt.

ARNOBIUS.

ADVERSUS GENTES

LIBRI SEPTEM.

ARNOBIUS,

LATINUS.

(POST ANNUM 264.)

Arnobius rhetoricen apud Siccam, Numidiæ urbem, in Africa docuit, imperante Diocletiano. Cum paganus esset, velletque in Christianorum numerum suscipi, octo libros adversus Gentilium deliramenta adhuc catechumenus conscripsit, et veluti certissima fidei pignora episcopis, ut sibi gratia baptismi traderetur, ipse tradidit. Hinc plura catholicæ doctrinæ, quam nondum apprime callebat, non satis consentanea reperiuntur, illudque imprimis, quod animam corporalem suaque natura mortalem affirmet, licet beneficio Dei immortalis evadat.

Opus aliunde rhetore dignum, rhetoricis non destituitur ornamentis, quanquam eloquium impolitum et aliquando semibarbarum Africanam redoleat duritiem. Unde Hieronymus : « Arnobius, inquit, » inæqualis et nimius, et absque operis sui partitione confusus. » (Epist. XLVI ad Paulin.) In impugnando fortior quam in propugnando, Gentium errores efficacius infirmat et dejicit, quam catholicas corroborat statuitque veritates; quod neophytis vulgo accidat necesse est, qui, nondum perfecta informati doctrina, quid in dimissa religione deficiat potius quam quid in suscepta præcellat solent deprehendere. Nullam de Commentario latino in Psalmos

qui Arnobii nomine circumfertur, mentionem facimus, cum certum sit hoc opus a nostro Arnobio non fuisse elaboratum.

Quid cæterum dum viveret egerit, qua morte vel quo loco fuerit defunctus, penitus ignoratur. Non est autem ambigendi locus quin circa quarti sæculi initium scripserit, cum mille quinquaginta circiter annos a Roma condita, trecentos vero a condita religione jam elapsos enumeret.

Editio prima Arnobii est Romana an. 1542, in-fol. quæ iterum recusa est a Gelenio Basileæ 1546 et 1560; a Balduino Heidelbergæ 1560; a Thomassino Parisiis 1570; a Renato de La Barre 1580 ad calcem Tertulliani; cum notis Theodosii Conteri Antuerpiæ 1582; a Fulvio Ursino Romæ 1583; cum notis Godeschalcii Stervechii Antuerpiæ 1586, 1604, 1634; cum notis Desiderii Heraldi Parisiis 1605; cum notis Elmenhorstii 1603, et iterum Hamburgæ 1610; a Claudio Salmasio Leydæ 1651. Emendatissima censetur Lugduni Batavorum in lucem an. 1651 data, ad quam exacta est Parisiensis an. 1666, Priorii commentariis illustrata, quam ex correctione D. Nourry in Appar. ad Bibliothecam Patrum suæ bibliothecæ Gallandius inseruit. Ex hac Priorii editione an. 1666 excuduntur hic Libri Arnobii.

Arnobii opus gallice magna ex parte interpretatum legitur in Bibl. gallica D. Guillon an. 1824 Parisiis in-8°, t. III, p. 329 et seqq.

ARNOBII
DISPUTATIONES
ADVERSUS GENTES.

LIBER PRIMUS.

I. Quoniam comperi nonnullos[1] qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt, insanire, bacchari, et velut quiddam promptum ex oraculo dicere, postquam esse in mundo Christiana gens cœpit terrarum orbem perisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum; ipsos etiam cœlites, derelictis curis solemnibus quibus quondam solebant invisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos : statui pro captu ac mediocritate sermonis contraire invidiæ, et calumniosas dissolvere criminationes; ne, aut illi sibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere, aut si nos talibus continuerimus a litibus, obtinuisse se causam putent, victam sui vitio, non assertorum silentio destitutam. Neque enim negaverim validissimam esse accusationem istam, hostilibusque condignos odiis nos esse, si apud nos esse constiterit causas per quas suis mundus aberravit ab legibus, exterminati sunt dii longe, examina tanta mœrorum mortalium importata sunt sæculis. Inspiciamus igitur opinionis istius mentem, et hoc quod dicitur quale sit; summotisque omnibus contentionum studiis quibus obscurari et contegi contemplatio rerum solet, an sit istud quod dicitur verum, momentorum parium examinatione pendamus. Efficietur enim profecto

[1] Vide D. Guillon, tom. III, p. 529 et seqq.

rationum consequentium copulatu, ut non impii nos, magis sed illi ipsi reperiantur criminis istius rei, qui se numinum profitentur esse cultores, atque inveteratis religionibus deditos. Ac primum ab his illud familiari et placida oratione perquirimus : Postquam esse nomen in terris Christianæ religionis occœpit, quidnam invisitatum, quid incognitum, quid contra leges principaliter institutas, aut sensit aut passa est rerum ipsa quæ dicitur appellaturque natura? Numquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata sunt, ex quibus res omnes consensum est esse concretas? Numquid machinæ hujus et molis qua universi tegimur et continemur inclusi, parte est in aliqua relaxata aut dissoluta constructio? Numquid vertigo hæc mundi, primigenii motus moderamen excedens, aut tardius repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Numquid ab occiduis partibus attollere se astra, atque in ortus fieri signorum cœpta est inclinatio? Numquid ipse siderum sol princeps, cujus omnia luce vestiuntur atque animantur calore, exarsit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis soliti temperamenta corrupit? Numquid luna desivit redintegrare se ipsam, atque in veteres formas novellarum semper restitutione traducere? Numquid frigora, numquid calores, numquid tepores medii, inæqualium temporum confusionibus occiderunt? Numquid longos habere dies bruma, et revocare tardissimas luces nox cœpit æstatis? Numquid suas animas expiraverunt venti, emortuisque flaminibus neque cœlum coactatur in nubila, nec madori ex imbribus arva succedunt? Commendata semina tellus recusat accipere, aut frondescere arbores nolunt? sapor frugibus esculentis et viteis liquoribus mutatus est? olearum ex bacculis cruor teter exprimitur, nec lumini subministratur extincto? animalia terris sueta, atque in aquis degentia, non suriunt nec concipiunt? fœtus non in uteris

sumptos suis moribus et sua lege custodiunt? Ipsi homines denique quos per inhabitabiles oras terræ sparsit prima incipiensque nativitas, non matrimonia copulant nuptiarum solemnibus justis? non dulcissimas procreant liberorum stirpes? non negotia publica, non privata, et familiares res agunt? non, ut cuique libitum est, per diversas artium disciplinarumque rationes ingenia dirigunt, et studiosæ referunt gravitatis usuras? non regnant, non imperant quibus sors rerum attributa est talium? non auctiores quotidie dignitatibus et potestatibus fiunt, judiciorum disceptationibus præsunt, leges interpretantur et jura? Nonne omnia cætera quibus vita succingitur et continetur humana, suis omnes in gentibus patriorum celebrant institutionibus morum? Cum igitur hæc ita sint, neque ulla irruperit novitas quæ tenorem perpetuum rerum dissociata continuatione diduxerit; quid est istud quod dicitur, invectam esse labem terris postquam religio Christiana intulit se mundo, et veritatis absconditæ sacramenta patefecit?

II. Sed pestilentias, inquiunt, et siccitates, bella, frugum inopiam, locustas, mures, et grandines, resque alias noxias quibus negotia incursantur humana, Dii nobis important, injuriis vestris atque offensionibus exasperati. Si in rebus perspicuis et nullam desiderantibus defensionem non stoliditatis esset diutius immorari, ostenderem profecto replicatis prioribus sæculis, mala ista quæ dicitis non esse incognita, non repentina; nec postquam gens nostra felicitate donari hujus vocaminis meruit, irrupisse has labes, et infestari cœpisse discriminum varietate mortalia. Si enim nos sumus in causa, et in nostri criminis meritum excogitatæ sunt hæ pestes, unde novit antiquitas miseriarum hæc nomina? unde bellis significatum dedit? pestilentiam, grandines qua potuit ratione signare, aut inter suas voces, quibus oratio explicabatur, assumere? Nam si novella sunt

hæc mala et ab recentibus ducunt offensionibus causas, qui potuit fieri ut eis rebus verba formaret quas nec ipsa sciebat expertam se esse, neque ullis comperisset majorum in temporibus factitatas? Penuria, inquit, frugum, et angustiæ frumentariæ arctius nos habent. Antiqua enim et vetustissima sæcula necessitatis istius aliquando fuerunt expertia? Nonne ipsa nomina quibus censentur hæc mala, testificantur et clamant nullum ab his unquam immunem abisse mortalium? Quod si ad credendum difficilis res esset, testimoniis agere possemus auctorum, quantæ, quoties, et quæ gentes famem senserint horridam, et aggerata interierint vastitate. Casus frequentissimi grandinis accidunt, atque atterunt cuncta. In litteris enim priscis comprehensum et compositum non videmus etiam imbres saxeos totas sæpe communisse regiones? Difficiles pluviæ sata faciunt emori, et sterilitatem inducunt terris. Immunis enim antiquitas malis ab his fuit? cum etiam flumina cognoverimus ingentia limis inaruisse siccatis. Pestilentiæ contagia urunt genus humanum. Annalium scripta percurrite linguarum diversitatibus scripta, universas discetis gentes sæpenumero desolatas et viduatas suis esse cultoribus. Ab locustis, ab muribus genus omne acciditur atque arroditur frugum. Historias ite per vestras, et ab istis pestibus instruemini quoties prior ætas affecta sit, et paupertatis ad miserias venerit. Terrarum validissimis motibus tremefactæ nutant usque ad periculum civitates. Quid? hiatibus maximis interceptas urbes cum gentibus superiora tempora non viderunt, aut ab hujusmodi casibus fortunas habuere securas? Quando est humanum genus aquarum diluviis interemptum? non ante nos? Quando mundus incensus in favillas et cineres dissolutus est? non ante nos? Quando urbes amplissimæ marinis coopertæ sunt fluctibus? non ante nos? Quando cum feris bella, et prælia cum leonibus gesta

sunt? non ante nos? Quando pernicies populis venenatis ab anguibus data est? non ante nos?

III. Nam quod nobis objectare consuestis bellorum frequentium causas, vastationes urbium, Germanorum et Scythicas irruptiones, cum pace hoc vestra et cum bona venia dixerim, quale sit istud quod dicitur, calumniarum libidine non videtis. Ut ante millia annorum decem, ab insula quæ perhibetur Atlantica Neptuni, sicut Plato demonstrat, magna erumperet vis hominum et innumeras funditus deleret atque extingueret nationes, nos fuimus causa? Ut inter Assyrios et Bactrianos Nino quondam Zoroastreque ductoribus non tantum ferro dimicaretur et viribus, verum etiam magicis et Chaldæorum ex reconditis disciplinis, invidia nostra hæc fuit? Ut Helena diis ducibus atque impulsoribus rapta, et suis esset dirum et venturis temporibus fatum, religionis nostræ attributum est crimini? Ut ille immanis Xerxes mare terris immitteret et gressibus maria transiret, nostri nominis effectum est cura? Ut ex Macedoniæ finibus unus exortus adolescens Orientis regna et populos captivitate et servitio subjugaret, nos fecimus atque excitavimus causas? Ut modo Romani, velut aliquod flumen torrens, cunctas submergerent atque obruerent nationes, nos videlicet numina præcipitavimus in furorem? Quod si hominum nullus est qui quæ jamdudum gesta sunt nostris audeat temporibus imputare, quemadmodum possimus miseriarum esse præsentium causæ, cum novi fiat nihil, sed sint omnia vetera et nullis antiquitatibus inaudita? Quanquam ista quæ dicitis bella religionis nostræ ob invidiam commoveri, non sit difficile comprobare post auditum Christum in mundo non tantum non aucta, verum etiam majore ex parte furiarum compressionibus imminuta. Nam cum hominum vis tanta magisteriis ejus acceperimus ac legibus, malum malo rependi non oportere; injuriam

perpeti quam irrogare esse præstantius; suum potius fundere quam alieno polluere manus et conscientiam cruore: habet a Christo beneficium jamdudum orbis ingratus, per quem feritatis mollita est rabies, atque hostiles manus cohibere a sanguine cognati animantis occœpit. Quod si omnes omnino qui homines se esse non specie corporum, sed rationis intelligunt potestate, salutaribus ejus pacificisque decretis aurem vellent commodare paulisper, et non fastu et supercilio luminis, suis potius sensibus quam illius commotionibus crederent: universus jamdudum orbis mitiora in opera conversis usibus ferri, tranquillitate in mollissima degeret, et in concordiam salutarem incorruptis fœderum sanctionibus conveniret.

IV. Sed si per vos, inquiunt, nihil rebus incommodatur humanis, unde sunt hæc mala quibus urgetur et premitur jamdudum miseranda mortalitas? Sententiam me poscis huic necessariam nihil causæ. Neque enim præsens atque in manibus posita disceptatio in id sumpta est ut ostenderem vel probarem quibus unaquæque res causis et rationibus fieret, sed ut maledicta criminis tanti procul esse ab nobis ostenderem. Quod si præsto, si facto et argumentis insignibus rei veritas explicatur, unde sint hæc mala vel ex quibus profluant fontibus principiisque non curo. Ac ne tamen omnino quid de rebus hujusmodi sentiam nihil videar interrogatus expromere, possum dicere. Quid enim si prima materies quæ in rerum quatuor elementa digesta est, miseriarum omnium causas suis continet in rationibus involutas? Quid si siderum motus certis signis, partibus, temporibus, lineis pariunt hæc mala, et subjectis afferunt variorum discriminum necessitates? Quid si statis temporibus rerum vicissitudines fiunt, atque ut in maritimis æstibus, modo secundæ res affluunt, modo rursus refluunt malis reciprocantibus prospera? Quid si materiæ fæx ista

quam sub nostris calcamus ingressibus, hanc habet sibi legem datam ut expiret nocentissimos halitus, quibus corruptus aer iste, et corporibus labem ferat, et negotia infirmet humana? Quid si, quod proximum vero est, quidquid nobis videtur adversum, mundo ipsi non est malum, omniaque quæ fiunt nostris commoditatibus statuentes, opinionibus improbis criminamur eventa naturæ? Plato ille sublimis apex philosophorum et columen, sæva illa diluvia et conflagrationes mundi, purgationem terrarum suis esse in commentariis prodidit: nec vir prudens extimuit humani generis subversionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum innovationem vocare; etenim juventutem his quamdam redintegratis viribus comparari. Non pluit, inquit, cœlum, et frumentorum inopia nescio qua laboramus. Quid enim? Inservire elementa tuis necessitatibus postulas? atque, ut vivere mollius et delicatius tu possis, obsequia temporum tuis debent commoditatibus se dare? Quid enim si hoc pacto navigationis cupidissimus conqueratur ventos jam diu non esse, et cœli conquievisse flaturas: numquid ideo dicendum est perniciosam esse tranquillitatem illam mundi, quia vectoribus impediat vota? Quid si sole aliquis torrere se suetus, et acquirere corpori siccitatem, ratione consimili conqueratur frequentissimis nubilis jucunditatem serenitatis ablatam: numquid ideo dicenda sunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur otiosæ rutilare se flammis et causas potionibus præparare? Eventa hæc omnia, quæ fiunt et accidunt mole sub hac mundi, commodulis non nostris, sed ipsius pendenda sunt rationibus ordinibusque naturæ. Nec si aliquid accidit quod nosmetipsos aut res nostras parum lætis successibus fovit, continuo malum est, et in exitiabilis rei opinione ponendum. Pluit mundus aut non pluit, sibimet pluit aut non pluit: et quod forsitan nescias, aut uliginem nimiam sic-

16.

citatis ardore decoquit, aut longissimi temporis ariditatem pluviarum effusionibus temperat; pestilentias, morbos, fames atque alias suggerit malorum exitiabiles formas. Unde tibi est scire, ne quod exuberat sic tollat, ut per sua dispendia modum rebus luxuriantibus figat? Tu audeas dicere, Hoc et illud est in mundo malum, cujus explicare, dissolvere neque originem valeas neque causam? et quia tuas impediat deliciarum, forsitan et libidinum voluptates, perniciosum esse atque asperum dicas? Quid ergo: quia frigus membris tuis adversum est, et congelare, constringere sanguinis tui fervorem solet, idcirco in mundo hiems esse non debet? et quia perferre, sustinere flagrantissimos soles non potes, ex anno æstas tollenda est, atque aliis legibus alia rursus ordinanda natura? Veratrum venenum est hominibus: numquid ob hanc causam non debuit nasci? Ovilibus insidiatur lupus: numquid in culpa natura est quod lanitiis extulit importunissimam belluam? Morsu animam serpens tollit: maledicam sic primordiis rerum, quod tam sæva prodigia genituris spirantibus addiderunt? Superciliosa nimium res est, cum ipse sis non tuus, aliena etiam in possessione verseris, potentioribus dare conditionem velle ut id fiat quod cupias, non quod in rebus inveneris antiquis constitutionibus fixum. Quare habere si locum vestras vultis querimonias, homines prius est ut doceatis unde vel qui sitis, vobisne sit genitus et fabricatus mundus, an in eum veneritis alienis ex regionibus inquilini. Quod cum dicere non sit vestrum, neque explicare possitis cujus rei causa sub hac cœli convexione versemini, desistite arbitrari pertinere ad vos quidquam; cum ea quæ fiunt non partiliter fiant, sed ad census summam redeant referanturque totius.

V. Christianorum, inquiunt, causa mala omnia dii ferunt, et interitus comparatur ab superis frugibus. Rogo, cum

hæc dicitis, non calumniari vos improbe in apertis conspicitis manifestisque mendaciis? Trecenti sunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus esse Christiani, et terrarum in orbe censeri: numquid omnibus his annis continua fuerunt bella, continuæ sterilitates, pax nulla in terris, nulla protinus vilitas aut abundantia rerum fuit? Hoc enim primum efficiendum est ei qui nos arguit, perpetuas et juges calamitates fuisse has, nunquam omnino respirasse mortalia, et sine ullis, ut dicitur, feriis, multiplicium formas sustinuisse discriminum. Atqui vidimus mediis his annis mediisque temporibus, e victis hostibus innumerabiles esse victorias reportatas; prolatos Imperii fines, et in potestatem redactas inauditi nominis nationes; sæpenumero maximos annonæ fuisse proventus, vilitates, atque abundantias rerum tantas ut commercia stuperent universa, pretiorum auctoritate prostrata. Quemadmodum enim res agi, et usque ad hoc tempus genus quit durare mortalium, si non omnia quæ usus posceret subministraret fertilitas rerum? Sed fuerunt aliquando nonnulla in necessitatibus tempora? et relaxata sunt abundantiis. Rursus contra voluntatem quædam bella administrata? et victoriis postmodum successibusque correcta. Quid ergo dicemus? injuriarum nostrarum deos modo memores esse, modo esse rursus immemores? Si quo tempore fames est irati esse dicuntur, sequitur ut abundantiæ tempore irati et difficiles non sint: atque ita perducitur res eo, ut vicibus ludicris et ponant et repetant iras, et in integrum se semper offensionum recordatione restituant. Quanquam istud quod dicitur, quale sit explicabili non potest comprehensione cognosci. Si Alamannos, Persas, Scythas idcirco voluerunt devinci, quod habitarent et degerent in eorum gentibus Christiani; quemadmodum Romanis tribuere victoriam, cum habitarent et degerent in eorum quoque gentibus

Christiani? Si in Asia, Syria idcirco mures et locustas effervescere prodigialiter voluerunt, quod ratione consimili habitarent in eorum gentibus Christiani; in Hispania, Gallia cur eodem tempore horum nihil natum est, cum innumeri viverent in his quoque provinciis Christiani? Si apud Getulos, Tinquitanos hujus rei causa siccitatem satis ariditatemque miserunt; eo anno cur messes amplissimas Mauris Nomadibusque tribuerunt, cum religio similis his quoque in regionibus verteretur? Si in civitate unaqualibet fame plurimos emori nostri nominis aversione fecerunt, cur ibidem annonaria caritate non tantum corporis non nostri, verum etiam Christianos ditiores et locupletissimos reddiderunt? Aut igitur cuncti nihil læti habere debuerunt, si malorum causa nos sumus; nationibus enim sumus in cunctis : aut cum mixta videatis cum incommodis læta, desinite nobis ascribere id quod offendit res vestras, cum nihil lætis officiamus et prosperis. Si enim ego ut male sit facio, cur ut bene sit non obsto? Si ut inopia magna sit meum nomen in causa est, cur nihil impedio ut sit feracitas maxima? Si ut in bellis accipiatur vulnus ego dicor afferre fortunam, cur duelles cum pereunt lævum augurium non sum, nec adversus spes bonas mali ominis obscœnitate traducor?

VI. Et tamen, o magni cultores atque antistites numinum, cur ut irasci populis Christianis augustissimos illos asseveratis deos, ita non advertitis, non videtis, affectus quam turpes, quam indecoras numinibus attribuatis insanias? Quid est enim aliud irasci, quam insanire, quam furere, quam in ultionis libidinem ferri, et in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo dii magni norunt, perpetiuntur et sentiunt, quod feræ, quod belluæ, quod mortiferæ continent venenato in dente natrices. Quod levitatis in homine, quod terreno in animante culpabile

est, præstans illa natura, et in perpetuæ virtutis firmitate consistens, scire asseveratur a vobis. Et quid ergo sequitur necessario, nisi ut ex eorum luminibus scintillæ emicent flammeæ, æstuet anhelum pectus, spuma jaciatur ex ore, et ex verbis ardentibus labrorum siccitas inalbescat? Quod si verum est istud, et est exploratum et cognitum effervescere deos ira, et hujusmodi motus perturbatione jactari, immortales et perpetui non sunt, nec in divinitatis alicujus existimatione ponendi. Ubi enim est ullus, sicut sapientibus videtur, affectus, ibi esse necesse est passionem : ubi passio sita est, perturbationem consentaneum est consequi : ubi perturbatio est, ibi dolor et ægritudo est : ubi dolor et ægritudo est, imminutioni et corruptioni jam locus est : quæ duo si vexant, adest vicinus interitus, mors omnia finiens, et cunctis adimens sentientibus vitam. Quid quod isto modo non tantum illos leves et fervidos, verum, quod ab diis convenit procul esse dimotum, et iniquos inducitis et injustos, et æquitatis vel modicæ nullam prorsus obtinere rationem. Quid est enim tam injustum quam aliis irasci et alios lædere? de hominibus conqueri, et innoxia dilacerare frumenta? Christianum nomen odisse, et dispendiis omnibus suos labefactare cultores? An numquid idcirco in vos etiam sæviunt ut intestinis vulneribus concitati in ultionem consurgatis illorum? Ergo humana patrocinia dii quærunt, et nisi vestra fuerint assertione protecti, idonei non sunt ipsi qui propulsare, defendere suas valeant contumelias? Quinimo si verum est ardere illos ira, permittite illis potestatem sui; defendant se ipsi, atque in ultionem majestatis offensæ intestinas exerant experianturque virtutes. Possunt nos, si voluerint, æstu, possunt nocentissimo frigore, possunt auris pestilibus, possunt morborum obscurissimis causis enecare, consumere, atque ab omni penitus cœtu exterminare mortali. Aut si malum consilium est aggredi nos vi, emittant aliquod

indicationis signum, per quod esse liquidum cunctis possit invitissimis nos eis habitare sub cœlo. Vobis secundas tribuant valetudines; adversas nobis ac pessimas. Opportunis imbribus vestra irrigent rura; pluviarum quicumque sunt rores nostris ab agellulis abigant. Lanitia curent vestra numerosis fœtibus multiplicari; sterilitatem infaustam nostris pecuariis inferant. Ex olivis vestris atque vinetis plenam faciant autumnitatem fundi; at ex nostris exprimi unum prohibeant palmitibus rorem. Ad extremum et ultimum, in vestro ore præcipiant suam fruges retinere naturam; at vero in nostro mel amarum fieri, olearum fluenta rancescere, et sub ipsis positum labris in acoris perfidiam vinum repente mutari. Quod cum minime fieri testificentur res ipsæ, neque minus ad nos quidquam, neque ad vos plurimum redundare vitalibus ex beneficiis constet; libido quæ tanta est inimicos atque hostes deos esse contendere Christianis, quos in rebus tristissimis atquæ lætis nihil abs te videas ratione in aliqua discrepare? Si verum vobis permittitis ac sine ullis assentationibus dici: verba sunt hæc, verba sunt, res imo per calumnias creditæ, non cognitionis alicujus testimonio comprobatæ. Cæterum dii vestri, et qui ferre nominis hujus auctoritatem condigni sunt, neque irascuntur, neque indignantur, neque quod alteri noceat insidiosis machinationibus construunt. Etenim revera est impium et sacrilegia cuncta transcendens, sapientem illam credere beatissimamque naturam magnum aliquid putare si se sibi aliquis adulatoria humilitate submittat; et si fuerit non factum, despectam se credere et ab summi culminis decidisse fastigio. Puerile, pusillum est et exile, vix et illis conveniens quos jamdudum experientia doctorum dæmonas appellat et heroas, non nosse cœlestia, et in hac rerum materia crassiore conditionis suæ exortes versari. Vestra sunt hæc, vestra sunt irreligiose opinata et irreligiosius credita. Quinimo, ut verius

proloquar, aruspices has fabulas, conjectores, arioli, vates, et nunquamnon vani concinnavere fanatici; qui, ne suæ artes intereant, ac ne stipes exiguas consultoribus excutiant jam raris, si quando vos velle rem venire in invidiam compererunt: Negliguntur dii, clamitant, atque in templis jam raritas summa est: jacent antiquæ derisui cæremoniæ, et sacrorum quondam veterrimi ritus religionum novarum superstitionibus occiderunt: et merito humanum genus tot miseriarum angustiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis. Et homines brutum genus, et quod situm sub lumine est cæcitate ingenita nequeuntes videre, audent asseverare furiosi, quod vos credere non erubescitis sani?

VII. Ac ne quis nos tamen diffidentia responsionis, tranquillitatis existimet deos donare muneribus, innoxias affingere his mentes atque ab omni perturbatione dimotas; concedamus, sicut libitum vobis est, intendere in nos iras, sanguinem illos sitire nostrum, et jamdudum nos cupere mortalium submovere de sæculis. Sed si non est molestum, non grave, si communis officii res est, non ex gratia sed ex vero disceptationis hujus dispectare momenta, audire a vobis exposcimus quænam sit hæc ratio, quæ causa, propter quam in nos tantum et dii sæviant superi, et asperati homines inardescant? Religiones, inquiunt, impias, atque inauditos cultus terrarum in orbem trahitis. Quid, o participes rationis audetis homines proloqui, quid effutire, quid promere temerariæ vocis desperatione tentatis? Deum principem, rerum cunctarum quæcumque sunt Dominum, summitatem omnium summorum obtinentem, adorare, obsequio venerabili invocare, in rebus fessis totis ut ita dixerim sensibus amplexari, amare, suspicere, execrabilis religio est et infausta, impietatis et sacrilegii plena, cæremonias antiquitus institutas novitatis suæ superstitione contaminans? Hoccine est, quæso, audax illud facinus et immane

propter quod maxime cœlites aculeos in nos intendunt irarum atque indignationum suarum? propter quod vos ipsi, cum libido incesserit sæva, exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, et ad extremum nos feris et belluarum laniatibus objectatis? Quisquis istud in nobis damnat, aut in aliqua ducit criminatione ponendum, is aut nomine appellandus est hominis, quamvis ille videatur sibi? aut deus esse credendus est, quamvis ipse se esse mille profiteatur in vatibus? Trophonius nos impios, Dodonæus aut Jupiter nominat, et ipse dicetur deus, atque in ordine computabitur numinum, qui aut summo servientibus Regi crimen impietatis affingit, aut sibi torquetur majestatem ejus cultumque præponi? Delius Apollo, vel Clarius, Didymæus, Philesius, Pythius, et is habendus divinus est, qui aut summum Imperatorem nescit, aut ignorat a nobis quotidianis ei precibus supplicari? Qui si pectorum secreta nesciret, nec quid in intimis sensibus contineamus agnosceret, summum tamen invocare nos Deum, et ab eo quod postulamus orare, vel auribus potuit scire, vel ipsius vocis sono, qua utimur in precibus, noscitare. Nondum est locus ut explicemus, omnes isti qui nos damnant, qui sint, vel unde sint; quantum possint, vel noverint; cur ad Christi paveant mentionem; discipulos cur ejus inimicos habeant et invisos : quod tamen humanum pollicentibus sensum una pariter definitione figamus : Nihil sumus aliud Christiani, nisi magistro Christo summi Regis ac principis veneratores : nihil, si consideres, aliud invenies in ista religione versari. Hæc totius summa est actionis ; hic propositus terminus divinorum officiorum, hic finis. Huic omnes ex more prosternimur, hunc collatis precibus adoramus, ab hoc justa et honesta et auditu ejus condigna deposcimus. Non quod ipse desideret supplices nos esse, aut amet substerni et tot millium

venerationem videre. Utilitas hæc nostra est, et commodi nostri rationem spectans. Nam quia proni ad culpas et ad libidinis varios appetitus vitio sumus infirmitatis ingenitæ, patitur se semper nostris cogitationibus concipi : ut dum illum oramus, et mereri ejus contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, et ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus.

VIII. Quid dicitis, o sacri; quid, divini interpretes juris? Meliorisne sunt causæ qui Grundules adorant Lares, Aios Locutios, Limentinos, quam sumus nos omnes qui Deum colimus rerum patrem, atque ab eo deposcimus rebus fessis languentibusque tutamina? Et illi cauti, sapientes, prudentissimi vobis videntur, nec reprehensionis ullius, qui Faunos, qui Fatuas, civitatumque Genios, qui Pausos reverentur atque Bellonas : nos hebetes, stolidi, fatui, obtusi pronuntiamur et bruti, qui dedidimus nos Deo, cujus nutu et arbitrio omne quod est constat, et in sententiæ suæ perpetuitate defixum est. Hanccine sententiam promitis? hanc legem constituitis? hanc promulgatis, ut honoribus afficiatur amplissimis quisquis vestros adoraverit servulos, crucem mereatur extremam quisquis ipsis dominis supplicarit? In civitatibus maximis, atque in potentioribus populis sacra publice fiunt scortis meritoriis quondam, atque in vulgarem libidinem prostitutis; nullus tumor indignationis in diis est. Templa felibus, scarabeis et buculis, sublimibus sunt elata fastigiis; silent irrisæ numinum potestates, nec livore afficiuntur ullo, quod sibi comparatas animantium vilium conspiciunt sanctitates. Nobis solis sunt inimici, nobis asperrimi dii hostes, quia Patrem veneramur illorum, per quem, si sunt, esse et habere substantiam sui numinis majestatisque cœperunt; a quo ipsam deitatem, ut ita dicam, sortiti se esse sentiunt, et in rerum numero recognoscunt; cujus voluntate et arbitrio, et interire et solvi, nec solvi

possunt nec interire? Nam si omnes concedimus unum esse principem solum, quem nulla res alia vetustate temporis antecedat; post illum necesse est cuncta et nata esse et prodita, et in sui nominis prosiluisse naturam. Quod si fixum et ratum est, erit nobis consequens confiteri, et deos esse nativos, et a principe rerum fonte ortus sui originem ducere. Qui si sunt nativi et geniti, et interitionibus utique periculisque vicini. At enim esse creduntur immortales, perpetui, et nullius unquam participes finis : ergo istud munus Dei patris et donum est, ut infinita meruerint iidem esse per sæcula, cum sint labiles solubilesque natura. Atque utinam daretur in unius speciem concionis toto orbe contracto oratione hac uti, et humani in generis audientia collocari!

IX. Ergone impiæ religionis sumus apud vos rei, et quod caput rerum et columen venerabilibus adimus obsequiis, ut convicio utamur vestro, infausti et athei nuncupamur? Et quis magis rectius horum feret invidiam nominum, quam qui alium præ hoc deum, aut novit, aut sciscitatur, aut credit? Nonne huic omnes debemus hoc ipsum primum quod sumus? quod esse homines dicimur? quod ab eo vel missi vel lapsi cæcitate hujus in corporis continemur? Non quod incedimus, quod spiramus et vivimus, et ab eo ad nos venit, vique ipsa vivendi efficit nos esse, et animali agitatione motari? Nonne ab hoc effluunt causæ per quas nostra fulcitur salus variarum munificentia voluptatum? Mundus iste in quo degitis, cujus est? aut quis ejus vobis attribuit fructum possessionemque retinere? Quis, ut subjectas res cernere, ut contrectare, ut considerare possetis, publicum istud lumen dedit? Quis, ne fixa pigritiæ stupore torpescerent elementa vitalia, solis igneis constituit ad rerum incrementa futuros? Solem deum cum esse credatis, conditorem ejus opificemque non quæritis? Luna cum apud

vos dea sit, non similiter scire curatis genitor ejus et fabricator quis sit? Nonne cogitatio vos subit considerare, disquirere, in cuja possessione versemini? cuja in re sitis? cujus ista sit, quam fatigatis, terra? cujus aër iste, quem vitali reciprocatis a spiritu? cujus abutimini fontibus, cujus liquore? quis ventorum disposuerit flamina? quis undosas excogitaverit nubes? quis seminum frugiferas potestates rationum proprietate distinxerit? Apollo vobis pluit? Mercurius vobis pluit? Æsculapius, Hercules, aut Diana rationem imbrium tempestatumque finxerunt? Et hoc fieri qui potest, cum in mundo profiteamini eos natos, certoque tempore sensum arripuisse vitalem? Si enim temporis antiquitate mundus eos antevenit, et priusquam nati sunt jam noverat pluvias tempestatesque natura, nullum serius nati pluendi jus habent, neque eis inserere rationibus se possunt quas invenerunt hic agi, et majore ab auctore tractari. O maxime, o summe rerum invisibilium procreator! o ipse invise, et nullis unquam comprehense naturis! dignus es vere, si modo te dignum mortali dicendum est ore, cui spirans omnis intelligensque natura, et habere et agere nunquam desinat gratias; cui tota conveniat vita genu nixo procumbere, et continuatis precibus supplicare. Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio, qualitatis expers, quantitatis, sine situ, motu et habitu, de quo nihil dici et exprimi mortalium potis est significatione verborum: qui, ut intelligaris, tacendum est; atque, ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum. Da veniam, Rex summe, tuos persequentibus famulos; et quod tuæ benignitatis est proprium, fugientibus ignosce tui nominis et religionis cultum. Non est

mirum, si ignoraris : majoris est admirationis, si sciaris.

X. Nisi forte audet quisquam, hoc enim furiosæ restat insaniæ, ambigere, dubitare an sit iste Deus, an non sit : explorata fidei veritate, an rumoris cassi opinatione sit creditus. Audimus enim quosdam philosophandi studio deditos, partim ullam negare vim esse divinam, partim an sit quotidie quærere ; alios casibus fortuitis, et concursionibus temerariis summam rerum construere, atque diversitatis impetu fabricari : cum quibus hoc tempore nullum nobis omnino super tali erit obstinatione certamen. Aiunt enim sana sentientes, contradicere rebus stultis stultitiæ esse majoris. Sermo cum his nobis est qui, divinum esse consentientes genus, de majoribus dubitant, cum iidem esse plebeia atque humiliora fateantur. Quid ergo? res tantas argumentis nitemur atque elaborabimus obtinere? Discedat hæc longe, atque a nobis procul, procul inquam, ut dicitur, averruncetur amentia. Ita est enim periculosum argumentis aggredi Deum principem comprobare, quam ratione hujusmodi esse, illum velle cognoscere. Nec quidquam refert, aut discrepat, utrumne neges illum, an asseras, atque existere fatearis ; cum in eadem culpa sit, et assertio talis rei, et abnegatio refutatoris increduli. Quisquamne est hominum qui non cum istius principis notione diem primæ nativitatis intraverit? cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsi pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem, ac Dominum cunctorum quæcumque sunt moderatorem? Ipsa denique hiscere si animantia muta potis essent, si in linguarum nostrarum facilitatem solvi ; imo si arbores, glebæ, saxa, sensu animata vitali, vocis sonitum quirent et verborum articulos integrare, ita non duce natura et magistra, non incorrupta simplicitatis fide, et intelligerent esse Deum, et cunctorum Dominum solum esse clamarent?

XI. Sed frustra, inquit, nos falso et calumnioso incessi-

tis et appetitis crimine, tanquam eamus inficias esse Deum majorem; cum a nobis et Jupiter nominetur, et optimus habeatur et maximus; cumque illi augustissimas sedes et Capitolia constituerimus immania. Dissimilia copulare, atque in unam speciem cogere inducta confusione conanimi. Nam Deus omnipotens mente una omnium, et communi motalitatis assensu, neque genitus scitur, neque novam in lucem aliquando esse prolatus, nec ex aliquo tempore cœpisse esse, vel sæculo. Ipse est enim fons rerum, sator sæculorum ac temporum. Non enim ipsa per se sunt, sed ex ejus perpetuitate perpetua et infinita semper continuatione procedunt. At vero Jupiter, ut vos fertis, et patrem habet et matrem, avos, avias, fratres : nunc nuper in utero matris suæ formatus, absolutus mensibus et consummatus decem, ignotam sibi in lucem sensu irruisse vitali. Ergo, si hæc ita sunt, Jupiter esse Deus qui potest? cum illum esse perpetuum constet, perhibeatur alter a vobis et dies habuisse natales, et pavefactus re nova lamentabilem extulisse vagitum? Sed sint, ut vultis, unum, nec in aliquo vi numinis et majestate distantes : ecquid ergo injustis persequimini nos odiis? Quid, ut ominis pessimi, nostri nominis inhorrescitis mentione, si, quem Deum colitis, eum et nos? aut quid in eadem causa vobis esse contenditis familiares deos, inimicos atque infestissimos nobis? Etenim, si una religio est nobis vobisque communis, cessat ira cœlestium : sin nobis infesti sunt solis, manifestum est nescire et vos et illos Deum : quem Jovem non esse ipsis clarum est indignationibus numinum.

XII. Sed non, inquit, idcirco dii vobis infesti sunt, quod omnipotentem colatis Deum; sed quod hominem natum, et quod personis infame est vilibus crucis supplicio interemptum, et Deum fuisse contenditis, et superesse adhuc creditis, et quotidianis supplicationibus adoratis. Si vobis jucun-

dum est, amici, edissertate quinam sint hi dii qui a nobis Christum coli suam credant ad injuriam pertinere. Janus Janiculi conditor, et civitatis Saturniæ Saturnus auctor? Fauna Fatua, Fauni uxor, Bona dea quæ dicitur, sed in vini melior et laudabilior potu? Indigetes illi qui flumen repunt, et in alveis Numici cum ranis et pisciculis degunt? Æsculapius, et Liber pater; Coronide ille natus, et ex genitalibus matris alter fulmine præcipitatus? Mercurius utero fusus Maiæ, et, quod est divinius, candidæ. Arcitenentes Diana et Apollo, circumlati per fugas matris, atque in insulis errantibus vix tuti? Dioneia Venus proles, viri materfamilias Troici, atque intestini decoris publicatrix? In Trinacriæ finibus Ceres nata; atque in floribus legendis occupata Proserpina? Thebanus, aut Tyrius Hercules; hic in finibus sepultus Hispaniæ, flammis alter concrematus Oëtæis? Tyndaridæ Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugillator bonus et crudo inexuperabilis cestu: Titanes et Bocores Mauri, et quorum progenies dii Syri? Apis Peloponnesi proditus, et in Ægypto Serapis nuncupatus? Æthiopicis solibus Isis furva mœrens perditum filium, et membratim conjugem lancinatum? Præterimus et transgredimur Opis soboles regias: quas in libris auctores vestri, quæ fuerint et quales, vobis ediscentibus prodiderunt. Hice ergo Christum coli, et a nobis accipi et existimari pro numine, vulneratis accipiunt auribus? et obliti paulo ante sortis fuerint et conditionis cujus, id quod sibi concessum est impertiri alteri nolunt? Hæc est justitia cœlitum? hoc deorum judicium sanctum? Nonne istud livoris est atque avaritiæ genus, non obtrectatio quædam sordens, suas eminere tantummodo velle fortunas, aliorum res premi et in contempta humilitate calcari? Natum hominem colimus. Quid enim? Vos hominem nullum colitis natum? non unum et alium? non innumeros alios? quinimo non omnes, quos jam tem-

plis habetis vestris, mortalium sustulistis ex numero, et cœlo sideribusque donastis? Si enim forte vos fugit sortis eos humanæ et conditionis fuisse communis, replicate antiquissimas litteras, et eorum scripta percurrite qui vetustati vicini sine ullis assentationibus cuncta veritate in liquida prodiderunt. Jam profecto discetis quibus singuli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua in nati regione, qua gente, quæ fecerint, egerint, pertulerint, actitarint, quas in rebus obeundis adversorum senserint secundantiumque fortunas. Sin autem, scientes uteris esse gestatos, et frugibus eos victitasse terrenis, nihilominus tamen nobis nati hominis objectatis cultum, res agitis satis injustas, ut id in nobis constituatis esse damnabile quod et ipsi vos factitatis; aut, quæ vobis licere permittitis, consimiliter aliis licitum esse nolitis.

XIII. Sed concedamus interdum, manum vestris opinationibus dantes, unum Christum fuisse de nobis, mentis, animæ, corporis, fragilitatis et conditionis unius : nonne dignus a nobis est tantorum ob munerum gratiam Deus dici Deusque sentiri? Si enim vos Liberum, quod usum reperit vini; si, quod panis, Cererem; si Æsculapium, quod herbarum; si Minervam, quod oleæ; si Triptolemum, quod aratri; si denique Herculem, quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum superavit compescuitque natrices, divorum retulistis in cœtum : honoribus quantis afficiendus est nobis, qui ab erroribus nos magnis insinuata veritate traduxit? Qui velut cæcos passim, ac sine ullo rectore gradientes, ab deruptis, ab deviis, locis planioribus reddidit. Qui, quod frugiferum primo atque humano generi salutare, Deus monstravit quid sit, quis, quantus et qualis. Qui profundas ejus atque inenarrabiles altitudines, quantum nostra quivit mediocritas capere, et intelligere permisit et docuit. Qui quo auctore, quo patre mundus iste sit constitutus et

conditus, fecit benignissime sciri. Qui nativitatis ejus exprompsit genus, et nullius aliquando cognitione præsumptam materiam illius : unde ignibus solis genitalis fervor adscitur; cur luna semper in mutuis damnis ac crementis, annualibus causis lucem semper atque obscuritatem resumens; animalium origo quæ sit, rationes quas habeant semina; quis ipsum finxerit hominem, quis informarit, vel ex materiæ quo genere constructionem ipsam confirmaverit corporum : quid sit sensus, quid anima; advolaritne ad nos sponte, an cum ipsis sata sit et procreata visceribus; mortis particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata sit : qui status nos maneat cum dissolutis abierimus a membris; visurine nos simus, an memoriam nullam nostri sensus et recordationis habituri. Qui arrogantiam constrinxit nostram, et elatas supercilio cervices modum fecit suæ infirmitatis agnoscere. Qui animantia monstravit informia nos esse, vanis opinionibus fidere, nihil comprehensum habere, nihil scire, et quæ nostros sita sunt ante oculos non videre. Qui, quod omnia superavit et transgressum est munera, ab religionibus nos falsis religionem traduxit ad veram. Qui ab signis inertibus atque ex vilissimo formatis luto ad sidera sublevavit et cœlum, et cum domino rerum Deo supplicationum fecit verba atque orationum colloquia miscere. Venerabar, o cæcitas! nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos, elephantorum ossa : picturatas veternosis in arboribus tænias si quando conspexeram, lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco : et eos ipsos divos quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus, cum eos esse credebam ligna, lapides atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia. Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, om-

nia ista quæ sint scio : digna de dignis sentio, contumeliam nomini nullam facio divino; et quid cuique debeatur, vel personæ, vel capiti, inconfusis gradibus atque auctoritatibus tribuo. Ita ergo Christus non habeatur a nobis Deus? nec qui omnium alioquin vel maximus potest excogitari, divinitatis afficiatur cultu, a quo jamdudum tanta et accepimus dona viventes, et expectamus, dies cum venerit, ampliora?

XIV. Sed patibulo affixus interiit. Quid istud ad causam? Neque enim qualitas et deformitas mortis dicta ejus immutat aut facta, aut eo minor videbitur disciplinarum ejus auctoritas, quia vinculis corporis non naturali dissolutione digressus est, sed vi illata decessit. Pythagoras Samius suspicione dominationis injusta vivus concrematus in fano est : numquid ea quæ docuit vim propriam perdiderunt, quia non spiritum sponte, sed crudelitate appetitus effudit? Similiter Socrates civitatis suæ judicio damnatus capitali affectus est pœna : numquid irrita facta sunt quæ sunt ab eo de moribus, virtutibus et officiis disputata, quia injuria expulsus e vita est? Innumerabiles alii gloria, et virtute, et existimatione pollentes, acerbissimarum mortium experti sunt formas; ut Aquilius, Trebonius, Regulus : numquid idcirco post vitam judicati sunt turpes, quia non publica lege fatorum, sed mortis asperrimo genere lacerati excruciatique perierunt? Nemo unquam innocens male interemptus infamis est, nec turpitudinis alicujus commaculatur nota; quia non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur sævitate. Et tamen, o isti qui hominem nos colere morte functum ignominiosa ridetis; nonne Liberum et vos patrem membratim ab Titanis discerptum fanorum consecratione mactatis? Nonne Æsculapium medicaminum repertorem, post pœnas et supplicia fulminis, custodem nuncupavistis et præsidem sanitatis, valetudinis et salutis? Nonne ipsum Herculem magnum sacrificiis, hostiis et thure

invitatis incenso, quem ipsi vos fertis vivum arsisse post pœnas, et concrematum in funestis busticetis? Nonne illum Attin Phrygem abscissum et spoliatum viro, Magnæ matris in adytis deum propitium, deum sanctum Gallorum conclamatione testamini? Nonne ipsum Romulum patrem, senatorum manibus dilaceratum centum, et Quirinum esse Martium dicitis, et sacerdotibus et pulvinaribus honoratis, et in ædibus adoratis amplissimis, et post hæc omnia cœlum ascendisse juratis? Aut igitur ridendi et vos estis, qui homines gravissimis cruciatibus interemptos deos putatis et colitis : aut, si certa est ratio cur id vobis faciendum putetis, et nobis permittite scire quibus istud causis rationibusque faciamus.

XV. Natum hominem colitis. Etiam si esset id verum, locis ut in superioribus dictum est, tamen pro multis et tam liberalibus donis quæ ab eo profecta in nobis sunt, Deus dici appellarique deberet. Cum vero Deus sit re certa, et sine ullius rei dubitationis ambiguo, inficiaturos arbitramini nos esse, quam maxime illum a nobis coli, et præsidem nostri corporis nuncupari? Ergone, inquiet aliquis furens, iratus et percitus, Deus ille est Christus? Deus, respondebimus, et interiorum potentiarum Deus; et quod magis infidos acerbissimis doloribus torqueat, rei maximæ causa a summo Rege ad nos missus. Postulabit forsitan insanior et furiosior factus, an se ita res habeat quemadmodum dicimus, comprobari. Nulla major est comprobatio quam gestarum ab eo fides rerum, quam virtutum novitas, quam omnia victa decreta, dissolutaque fatalia, quæ populi gentesque suo geri sub lumine nullo dissentiente videre; quæ nec ipsi audent falsitatis arguere, quorum antiquas seu patrias leges vanitatis esse plenissimas atque inanissimæ superstitionis ostendit. Occursurus forsitan rursus est cum aliis multis calumniosis illis et puerilibus vocibus : Magus

fuit, clandestinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina et remotas furatus est disciplinas. Quid dicitis, o parvuli, incomperta vobis et nescia temerariæ vocis loquacitate garrientes? Ergone illa quæ gesta sunt, dæmonum fuere præstigiæ et magicarum artium ludi? Potestis aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis magis qui unquam fuere per sæcula, consimile aliquid Christo millesima ex parte qui fecerit? qui sine ulla vi carminum, sine herbarum et graminum succis, sine ulla aliqua observatione sollicita sacrorum, libaminum, temporum? Non enim urgemus, et quærimus quæ sese spondeant facere, vel in quibus generibus actuum soleat omnis illorum doctrina et experientia contineri. Quis enim hos nesciat aut imminentia studia prænoscere, quæ necessario, velint nolint, suis ordinationibus veniunt? aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem; aut familiarum dirumpere charitates; aut sine clavibus reserare quæ clausa sunt; aut ora silentio vincire; aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare; aut uxoribus et liberis alienis, sive illi mares sint sive fœminei generis, inconcessi amoris flammas et furiales immittere cupiditates aut? si utile aliquid videantur audere, non propria vi posse, sed eorum quos invocant potestate? Atqui constitit Christum sine ullis adminiculis rerum, sine ullius ritus observatione vel lege, omnia illa quæ fecit nominis sui possibilitate fecisse; et quod proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum bonis, potestatis munificæ liberalitate donasse.

XVI. Quid dicitis, o iterum? Ergo ille mortalis aut unus fuit e nobis, cujus imperium, cujus vocem popularibus et quotidianis verbis missam, valetudines, morbi, febres atque alia corporum cruciamenta fugiebant? Unus fuit e nobis,

cujus præsentiam, cujus visum gens illa nequibat ferre mersorum in visceribus dæmonum, conterritaque vi nova membrorum possessione cedebat? Unus fuit e nobis, cujus fœdæ vitiligines jussioni obtemperabant pulsæ statim, et concordiam colorum commaculatis visceribus relinquebant? Unus fuit e nobis, cujus ex levi tactu stabant profluvia sanguinis, et immoderata? Unus fuit e nobis, cujus manus intercutes veternosæ fugiebant undæ, penetrabilis ille vitabat liquor, et turgentia viscera salutari ariditate deflabant? Unus fuit e nobis, qui claudos currere præcipiebat? Etiam operis res erat porrigere mancos manus; et articuli immobilitates jam ingenitas explicabant : captos membris assurgere; etiam suos referebant lectos alienis paulo ante cervicibus lati : viduatos videre luminibus; etiam cœlum diemque cernebant nullis cum oculis procreati? Unus, inquam, fuit e nobis, qui debilitatibus variis, morbisque vexatos centum, aut hoc amplius, semel una intercessione sanabat? cujus vocem ad simplicem furibunda et insana explicabant se maria, procellarum turbines tempestatesque sidebant? qui per altissimos gurgites pedem ferebat illutum? calcabat ponti terga, undis ipsis stupentibus, in famulatum subeunte natura? qui sequentium se millia quinque quinque saturavit e panibus, ac, ne esse præstigiæ incredulis illis viderentur et duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum fragminibus aggerebat? Unus fuit e nobis, qui redire in corpora jamdudum animas præcipiebat efflatas, prodire ab aggeribus conditos, et post diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expediri? Unus fuit e nobis, qui, quid singuli volverent, quid sub obscuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus pervidebat? Unus fuit e nobis, qui cum unam emitteret vocem, ab diversis populis, et dissona oratione loquentibus, familiaribus verborum sonis, et suo cuique utens existimabatur eloquio? Unus fuit e nobis, qui cum officia

religionis certæ suis sectatoribus traderet, mundum totum repente complebat, quantusque, et qui esset, revelata nominis immensitate monstrabat? Unus fuit e nobis, qui deposito corpore innumeris se hominum prompta in luce detexit? qui sermonem dedit atque accepit, docuit, castigavit, admonuit? qui ne illi se falsos vanis imaginationibus existimarent, semel, iterum, sæpius familiari collocutione monstravit? qui justissimis viris etiam nunc impollutis ac diligentibus sese, non per vana insomnia, sed per puræ speciem simplicitatis apparet? cujus nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, aruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis, sed majoris licentia potestatis? Et hæc quidem summatim exposita, non ea ratione protulimus tanquam magnitudo facientis solis in his esset perspicienda virtutibus. Quanta sint enim hæc, vel exilitatis cujus reperientur et ludi, si traditum fuerit nosci ex quibus ad nos regnis, cujus numinis ministrator advenerit? Quæ quidem ab eo gesta sunt et factitata, non ut se vana ostentatione jactaret, sed ut homines duri atque increduli scirent non esse quod spondebatur falsum; et ex operum benignitate, quid esset Deus verus, jam addiscerent suspicari. Simul et illud volumus sciri, cum summatim, ut dictum est, enumeratio facta gestorum est, non ea solum Christum potuisse quæ fecit, sed constituta etiam exuperasse fatorum. Nam si, ut liquet et constat, debilitates, et corporum passiones, surdi, manci et muti, nervorum contractio et amissio luminis, fatalibus accidunt irroganturque decretis, et solus hæc Christus correxit, restituit atque sanavit : sole ipso est clarius, potentiorem illum fuisse, quam fata sunt, cum ea solvit et vicit quæ perpetuis nexibus et immobili fuerant necessitate devincta.

XVII. Sed frustra, inquit nescio quis, tantum arrogas Christo, cum sæpe alios sciamus et scierimus deos, et laborantibus plurimis dedisse medicinas, et multorum hominum morbos valetudinesque curasse. Non inquiro, non exigo, quis deus, aut quo tempore, cui fuerit auxiliatus, aut quem fractum restituerit sanitati : illud solum audire desidero, an sine ullius adjunctione materiæ, id est, medicaminis alicujus, ad tactum morbos jusserit ab hominibus evolare, imperaverit, fecerit et emori valetudinum causam, et debilium corpora ad suas remeare naturas. Christus enim scitur, aut admota partibus debilitatis manu, aut vocis simplicis jussione aures aperuisse surdorum, exturbasse ab oculis cæcitates, orationem dedisse mutis, articulorum vincula relaxasse, ambulatum dedisse contractis, vitiligines, queras atque intercutes morbos, omniaque alia valetudinum genera quæ humana corpora sustinere nescio quæ voluit importuna crudelitas, verbo solitus imperioque sanare. Quid simile dii omnes a quibus opem dicitis ægris et periclitantibus latam? Qui si quando, ut fama est, nonnullis attribuere medicinam, aut cibum aliquem jusserunt capi, aut qualitatis alicujus ebibi potionem, aut herbarum et graminum succos superponere inquietantibus causis, ambulare, cessare, aut re aliqua quæ officiat abstinere? quod esse non magnum, nec admirationis alicujus stupore condignum promptum est, si volueritis attendere : medici enim sic curant; animal humi natum, nec confisum scientiæ veritate, sed in arte suspicabili positum, et conjecturarum æstimationibus nutans. Nulla autem virtus est medicaminibus amovere quæ noceant : beneficia ista rerum, non sunt curantium potestates : et, ut sit laudabile scire qua quos conveniat medicina aut arte curari, locus hujus laudis non in Deo, sed in homine constitutus est. Hunc enim non est turpe rebus extrinsecus sumptis valetudinem hominis

fecisse meliorem : indecorum Deo est, non ipsum per se posse, sed externarum adminiculis rerum sanitatem incolumitatemque præstare. Et quoniam beneficia salutis datæ aliorum numinum comparatis, et Christi : quot millia vultis a nobis debilium vobis ostendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retulisse medicinam, cum per omnia supplices irent templa, cum deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis, cum Æsculapium ipsum, datorem, ut prædicant, sanitatis, quoad illis superfuit vita, et precibus fatigarent et invitarent miserrimis votis? Nonne alios scimus malis suis commortuos, cruciatibus alios consenuisse morborum, perniciosius alios sese habere cœpisse postquam dies noctesque in continuis precibus et pietatis expectatione triverunt? Quid ergo prodest ostendere unum aut alterum fortasse curatos, cum tot millibus subvenerit nemo, et plena sint omnia miserorum infeliciumque delubra?

XVIII. Nisi forte dicatis, opem bonis ab diis ferri, malorum miserias despici. Atqui Christus æqualiter bonis malisque subvenit : nec replusus ab hoc quisquam est, qui rebus auxilium duris contra impetum postulabat injuriasque fortunæ. Hoc est enim proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur aut minime (8); cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat, non voluntatis seu judicationis electio. Dicere porro meritis opem laborantibus ab diis ferri, hoc est in medio ponere et dubitabile, quod asseras, facere : ut et ille qui sanus est factus, fortuito possit videri esse servatus; et ille qui non est, non meriti causa, sed infirmitate credatur valetudinem expellere non potuisse divina. Quid? quod istas virtutes quæ sunt a nobis summatim, non ut rei poscebat magnitudo, depromptæ, non tantum ipse perfecit vi sua, verum quod erat sublimius, multos

alios experiri et facere sui nominis cum affectione permisit. Nam cum videret futuros vos esse gestarum ab se rerum divinique operis abrogatores, ne qua subesset suspicio magicis se artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immensa illa populi multitudine quæ suam gratiam sectabatur admirans, piscatores, opifices, rusticanos, atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes missi, cuncta illa miracula sine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent. Verbo ille compescuit verminantium membrorum cruces : et illi verbo compescuerunt furialium vermina passionum. Imperio ille uno exturbavit a corporibus dæmonas, et exanimatis suos restituit sensus : sub eorum tortantes et illi se casibus, jussione non alia sanitati et constantiæ reddiderunt. Ille notas albicantium vitiliginum manu admota detersit : lineamenta et hi corporum haud dissimili conciliavere contactu. Uliginosa ille et turgentia viscera siccitatem jussit recuperare nativam : et famuli ejus hoc modo statuerunt errantes aquas, et a pernicie corporum suos labi jussere per tramites. Ille ulcera oris immensi, et recusantia perpeti sanitatem intra unius verbi moram continuato frenavit a pastu : et illi haud aliter contumaciam canceris sævi ad subeundam cicatricem circumscriptis evaginationibus compulerunt. Incessum ille claudis dedit, visum luminibus cæcis, interemptos revocavit ad vitam : nec minus et hi quoque contractionem relaxavere nervorum, luce oculos implevere jam perdita, et ab tumulis remeare defunctos exequiarum conversione jusserunt. Neque quidquam est ab illo gestum per admirationem stupentibus cunctis, quod non omne donaverit faciendum parvulis illis et rusticis, et eorum subjecerit potestati. Quid dicitis, o mentes incredulæ, difficiles, duræ : alicuine mortalium Jupiter ille Capitolinus hujusmodi potestatem dedit? Curionem, aut pontificem maximum, quinimo dialem, quod

ejus est, flaminem isto jure donavit; non dicam, ut mortuos excitaret, non ut cæcis restitueret lucem, non ut membrorum situm enervatis redderet et dissolutis, sed ut pustulam, reduviam, papulam, aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret? Ergo illud humanum fuit, aut ex ore terrenis stercoribus innutrito tale potuit jus dari, talis licentia proficisci, et non divinum et sacrum? aut si aliquam superlationem res capit, plus quam divinum et sacrum? Nam si facias ipse quod possis, et quod tuis sit viribus potentatuique conveniens, admiratio non habet quod exclamet; id enim quod potueris feceris, et quod præstare debuerit vis tua, ut operis esset una et ipsius qui operaretur qualitas. Transcribere posse in hominem jus tuum, et quod facere solus possis fragilissimæ rei donare et participare faciendum, supra omnia sitæ est potestatis, continentisque sub sese est rerum omnium causas, et rationum facultatumque naturas. Age nunc veniat, quæso, per igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo, ut assentiamur auctori, Bactrianus : et ille conveniat cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo Armenius Zostriani nepos, et familiaris Pamphilus Cyri, Apollonius, Damigero et Dardanus, Velus, Julianus et Bæbulus, et si quis est alius qui principatum et nomen fertur in talibus habuisse præstigiis : permittant uni ex populo in officium sermonis dandi ora coarticulare mutorum, surdorum auriculas returare, sine luminibus procreatis oculorum redintegrare naturas, et in frigentia olim membra sensus animasque reducere. Aut si ardua res ista est, neque aliis permittere talium possunt operum potestates, ipsi faciant, et cum suis ritibus faciant; quidquid malefici graminis nutricant terrarum sinus, quidquid virium continet fremor ille verborum, atque adjunctæ carminum necessitates, non invidemus, adjiciant; non interdicimus, colligant. Experiri libet et reco-

gnoscere an cum suis efficere diis possint quod ab rusticis Christianis jussionibus factitatum est nudis.

XIX. Desistite, o nescii, in maledicta convertere res tantas, nihil ei nocitura qui fecit, periculum allatura sed vobis; periculum, inquam, non parvulum, nec in rebus exiguis, sed in præcipuis constitutum. Siquidem res anima pretiosa est, nec ipso se homini quidquam potest charius inveniri. Nihil, ut remini, magicum, nihil humanum, præstigiosum aut subdolum, nihil fraudis delituit in Christo, derideatis licet ex more atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum. Deus ille sublimis fuit, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, et ab omnium principe Deus sospitator est missus, quem neque sol ipse, neque ulla, si sentiunt, sidera, non rectores, non principes mundi, non denique dii magni, aut qui fingentes se deos genus omne mortalium territant, unde aut qui fuerit potuerunt noscere vel suspicari. Et merito. Exutus at corpore quod in exigua sui circumferebat parte, postquam videri se passus est cujus esset aut magnitudinis sciri, novitate rerum exterrita universa mundi sunt elementa turbata, tellus mota contremuit, mare funditus refusum est, aër globis involutus est tenebrarum, igneus orbis solis tepefacto ardore diriguit. Quid enim restabat ut fieret, postquam Deus est cognitus is qui esse jamdudum unus judicabatur e nobis?

XX. Sed non creditis gesta hæc. Sed qui ea conspicati sunt fieri, et sub oculis suis viderunt agi, testes optimi certissimique auctores, et crediderunt hæc ipsi, et credenda posteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sint fortasse quæritis? Gentes, populi, nationes, et incredulum illud genus humanum. Quod nisi aperta res esset, et luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, nunquam rebus hujusmodi credulitatis suæ commodarent assensum. An numquid dicemus illius temporis ho-

mines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut quæ nunquam viderant vidisse se fingerent; et quæ facta omnino non erant falsis proderent testimoniis, aut puerili assertione firmarent; cumque possent vobiscum et unanimiter vivere, et inoffensas ducere conjunctiones, gratuita susciperent odia, et execrabili haberentur in nomine? Quod si falsa, ut dicitis, historia illa rerum est, unde tam brevi tempore totus mundus ista religione completus est? aut in unam coïre qui potuerunt mentem gentes regionibus dissitæ, ventis, cœlo convexionibusque dimotæ? Asseverationibus illectæ sunt nudis, inductæ in spes cassas, et in pericula capitis immittere se sponte temeraria desperatione voluerunt, cum nihil tale vidissent quod eas in hos cultus novitatis suæ possit excitare miraculo. Imo quia hæc omnia et ab ipso cernebant geri, et ab ejus præconibus, qui per orbem totum missi beneficia patris et munera sanandis animis hominibusque portabant, veritatis ipsius vi victæ, et dederunt se Deo, nec in magnis posuere dispendiis membra vobis projicere, et viscera sua lanianda præbere.

XXI. Sed conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt, extulere in immensum exigua gesta, et angustas res satis ambitioso dilatavere præconio. Atqui utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure et potentia terminata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, aut apprehendere locum fortasse possetis quo videretur esse simillimum veri et incrementa rebus apposita, et inditas scriptis et commentariis falsitates. Sed neque omnia conscribi aut in aures omnium pervenire potuerunt gesta gentibus in ignotis et usum nescientibus litterarum : aut, si qua sunt litteris conscriptionibusque mandata, malevolentia dæmonum, quorum cura et studium est hanc intercipi veritatem, et consimilium his hominum, interpolata quædam et addita, partim

mutata atque detracta, verbis, syllabis, litteris, ut et prudentium tardaret fidem, et gestorum corrumperet auctoritatem. Sed nunquam fuerit his bene, ut Christus qui fuerit litterarum testimoniis colligatur : cujus in id solum dimissa sunt causa, ut si esse constiterit ea vera quæ dicimus, confessione omnium Deus fuisse monstretur. Non creditis scriptis nostris? et nos vestris non credimus scriptis. Falsa de Christo compingimus? et vos de diis vestris inania et falsa jactatis. Neque enim cœlo Deus aliquis lapsus est, aut suis res vestras commentatus est manibus, aut ratione consimili nostris rebus et religionibus derogavit. Ab hominibus hæc scripta? et illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus edisserta sermonibus. Et quidquid dicere de nostris conscriptoribus intenderitis, et de vestris hæc dicta paribus sumite atque habetote momentis. Vultis vera esse quæ in vestris comprehensa sunt scriptis? et quæ in nostris consignata sunt litteris confiteamini necesse est esse vera. Falsitatis arguitis res nostras? et nos vestras arguimus falsitatis.

XXII. Sed antiquiora, inquitis, nostra sunt, ac per hoc fidei et veritatis plenissima. Quasi vero errorum non antiquitas plenissima mater sit, et non ipsa pepererit res eas quæ turpissimas diis notas ignominiosis concinnaverunt in fabulis. Ante millia enim annorum decem non potuerunt falsa et audiri et credi? aut non simillimum veri est fidem vicinis et finitimis quam spatiorum inesse longinquitate distantibus? Testibus enim hæc, illa opinionibus asseruntur : et proclivius multo est, minus esse in recentibus fictionis quam in antiqua obscuritate submotis. Sed ab indoctis hominibus et rudibus scripta sunt, et idcirco non sunt facili auditione credenda. Vide ne magis hæc fortior causa sit cur illa sint nullis coïnquinata mendaciis, mente simplici prodita, et ignara lenociniis ampliare. Trivialis et sordidus sermo est : nunquam enim veritas sectata est fucum, nec

quod exploratum et certum est circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta quibus fides quæritur assertionis suspicantes adjuvant, non veritatis lineamenta demonstrant. Cæterum qui scit quid sit illud quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia sectatur artificia verborum, quibus capi consueti sunt audientes, et ad consensum rei circumscriptionis necessitate traduci. Barbarismis, solœcismis obsitæ sunt, inquit, ves restræ, et vitiorum deformitate pollutæ. Puerilis sane atque angusti pectoris reprehensio : quam si admitteremus ut vera sit, abjiciamus ex usibus nostris quorumdam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur et purgamentis aliis, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo quod principaliter antecedit, et saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit, o quæso, aut quam præstat intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirsuta cum asperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti? aut qui animus id quod dicitur verum est, si in numero peccetur, aut casu, præpositione, participio, conjunctione? Pompa ista sermonis et oratio missa per regulas concionibus, litibus, foro judiciisque servetur, deturque illis imo qui, voluptatum delinimenta quærentes, omne suum studium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur; nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates : maxime cum sciamus etiam quosdam sapientiæ deditos non tantum abjecisse sermonis cultum, verum etiam, cum possent ornatius atque uberius eloqui, trivialem studio humilitatem secutos, ne corrumperent scilicet gravitatis rigorem, et sophistica se potius ostentatione jactarent. Enimvero dissoluti est pectoris in rebus seriis quærere vo-

luptatem; et cum sit ratio cum male se habentibus atque ægris, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovere. Quanquam, si verum spectes, nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quænam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex scripta, ut *hic* paries dicatur, et *hæc* sella? cum neque sexus habeant fœmininis generibus masculinisque discretos, neque quisquam docere doctissimus me possit, *ipsum, hic* et *hæc* quid sint, aut cur ex his unum sexum virile designet, fœmininis generibus id quod sequitur applicetur. Humana ista sunt placita, et ad usum sermonis faciendi non sane omnibus necessaria? nam et *hæc* paries forsitan, et *hic* sella dici sine ulla reprehensione potuissent, si ab initio sic dici placuisset, et a sequentibus sæculis communi esset in sermocinatione servatum. Et tamen, o isti qui pollutas res nostras vitiorum criminamini fœditate, stribiligines et vos istas libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis? Nonne alius *hæc utria,* alius dicitis *hos utres? cælus,* et *cælum?* non item *filus,* et *filum?* non item *crocus,* et *crocum?* non item *fretus,* et *fretum?* non item apud vos est positum *hoc pane,* et *hic panis? hic sanguinis, hoc sanguen? candelabrum* et *jugulum* ratione eadem *jugulus* et *candelaber?* Nam si singula nomina non possunt genera plura habere quam singula, neque eadem possunt hujus esse generis et illius, genus enim transire genus in alterum non potest; tam peccat qui genera masculina fœmininis pronuntiat legibus, quam ab eo peccatur qui articulos masculinos fœmininis generibus anteponit. Atqui vos conspicimus et res masculinas fœminine, et fœmineas masculine, et quas esse dicitis neutras et illo et hoc modo sine ulla discretione depromere. Aut igitur nulla est culpa indifferenter his uti, et frustra nos dicitis solœcismorum obscœnitate deformes: aut si certum est singula quibus debeant rationibus

explicari, in similibus vitiis vos quoque versamini : quamvis Epicadios omnes, Cæsellios, Verrios, Scauros teneatis et Nisos.

XXIII. Sed si Deus, inquiunt, fuit Christus, cur forma est in hominis visus? et cur more est interemptus humano? An aliter potuit invisibilis illa vis, et habens nullam substantiam corporalem, inferre et commodare se mundo, conciliis interesse mortalium, quam ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret, quod oculorum susciperet injectum, et ubi se figere inertissimæ posset contemplationis obtutus? Quis est enim mortalium qui quiret eum videre, quis cernere, si talem voluisset inferre se terris qualis ei primigenia natura est, et qualem se ipse in sua esse voluit vel qualitate, vel numine? Assumpsit igitur hominis formam, et sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit, ut et videri posset et conspici, verba faceret et doceret; atque omnes exequeretur res eas propter quas in mundum venerat faciendas, summi Regis imperio et dispositione servatis. Quid enim, dicit, Rex summus ea quæ in mundo facienda esse decreverat, sine homine simulato non quibat efficere? si oporteret ita fieri quemadmodum dicitis, ita fortasse fecisset; quia non oportuit, aliter fecit. Quare isto voluit et illo genere noluit, latent taliter involutæ et vix ullis comprehensibiles causæ, quas accipere fortasse potuisses si non esses jamdudum ad nos accipiendum paratus, et prius te formares ad non credendi frontem quam tibi esset expositum id quod nosse atque audire conquireres. Sed more est hominis interemptus. Non ipse : neque enim cadere divinas in res potest mortis occasus, nec interitionis dissolutione dilabi id quod est unum et simplex nec ullarum partium congregatione compactum. Quis est ergo visus in patibulo pendere, quis mortuus est? homo, quem induerat et secum ipse portabat.

XXIV. Incredibile dictu est, et cæcis obscuritatibus involutum. Si velis, non cæcum est, et similitudine proxima constitutum. Si quo tempore Sibylla, præsaga oracula illa depromens fundebat vi, ut dicitis, Apollinis plena, ab impiis esset cæsa atque interempta latronibus; numquid Apollo diceretur in ea esse occisus? Si Bacis, si Helenus, Martius, aliique similiter vates hariolantes essent vita et luce privati, numquid aliquis diceret, lege eos humanitatis exstinctos qui, illorum per ora loquentes, vias rerum postulantibus explicabant? Mors illa, quam dicitis, assumpti hominis fuit, non ipsius; gestaminis, non gestantis: quam nec ipsam perpeti succubuisset, tanta si non agenda res esset, et inexplicabilis ratio fati clausis patefacienda mysteriis. Quæ sunt ista, inquies, clausa atque obscura mysteria? Quæ nulli nec homines scire, nec ipsi qui appellantur dii mundi, parte queunt aliqua suspicionis atque opinationis attingere, nisi quos ipse dignatus est cognitionis tantæ impertire muneribus, et in abditos recessus thesauri interioris inducere. Vides enim si nollet inferri sibi a quoquam manus, summa illi fuisse contentione nitendum ut hostes ab se suos vel potestate inversa prohiberet? Qui cæcis restituerat lumina, is efficere si deberet non poterat cæcos? Qui debilibus integritatem, is debiles reddere difficultati habuit aut labori? Qui claudos præcipiebat incedere, is motus alligare membrorum nervorum duritia nesciebat? qui extrahebat a tumulis mortuos, huic arduum fuerat letum cui vellet indicere? Sed quia fieri ratio ea quæ fuerant destinata poscebat, et hic in ipso mundo, nec modo quam gestum est alio, inæstimabilis illa atque incredibilis lenitas injurias in se hominum, puerilibus pro ineptiis ducens, manus in se porrigi ab immanibus passa est durissimisque latronibus, nec imputandum putavit quid illorum dissignasset audacia, dummodo suis ostenderet quid ab sese

expectare deberent. Cum enim de animarum periculis multa, mala de illarum contra insinuator, magister atque auctor, ad officiorum convenientium fines, suas leges et constituta direxit : non superbiæ fastum comminuit? non libidinum extinxit flammas; non hiatum compressit aviditatis? non tela extorsit e manibus, atque omnia seminaria totius vitiositatis abscidit? Ipse denique non lenis, non placidus, non accessu facilis, non familiaris affatu, non humanas miserias indolescens, omnes omnino crucibus et corporalibus affectos malis unica illa benignitate miseratus reddidit et restituit sanitati?

XXV. Quid ergo vos subigit, quid hortatur maledicere, conviciari, inexpiabiles cum eo conserere simultates quem redarguere, quem tenere nemo hominum possit ullius facinoris in reatu? Tyrannos ac reges vestros, qui postposito deorum metu donaria spoliant populanturque templorum; qui proscriptionibus, exiliis, cædibus nudant nobilitatibus civitates; qui matronarum pudorem ac virginum vi subruunt atque eripiunt licentiosa, appellatis indigetis atque divos : et quos odiis acrioribus conveniebat a vobis carpi, pulvinaribus, aris, templis, atque alio mactatis cultu, ludorum et celebritate natalium : nec non et illos omnes qui conscriptione voluminum multiformi maledictis mordacibus carpunt publicos mores; qui luxurias ac vitas vestras secant, urunt, dilacerant; qui in temporis posteris notas scriptorum perpetuitate prolatant; qui matrimonia persuadent habenda esse communia; qui cum pueris cubitant formosis, lascivientibus, nudis; qui pecudes vos esse, qui fugitivos, qui exules, qui vilissimæ servos notæ, furiosos prædicant et insanos : admirantes, plaudentes ad cœli sustollitis sidera, bibliothecarum repositis in arcanis, quadrigis et statuis muneramini, et quantum est in vobis velut quadam æternitate donatis immorta-

lium testificatione titulorum. Solum Christum convellere, dilacerare, potestis si Deum, vultis; imo solum, si liceat, belluarum agrestium ritu cruentis oribus mandere, comminutis cum ossibus transvorare. Quodnam quæso ob meritum, dicite; cujus ob peccati culpam? quid ab eo commissum est quod tenorem inflecteret recti, et in odia vos aspera furialibus stimulis concitaret? Quia animarum vestrarum custodem se missum solo indicavit ab Rege? quia vobis immortalitatem ferre, quam vos habere confiditis humanis paucorum asseverationibus suasi? Quod si esset apud vos certum falsa illum dicere, spes etiam vanissimas polliceri, nec sic video fuisse causam, eumdem deberetis odisse, cur hostili animadversione damnare. Imo, si animus vobis clemens fuisset et mitis, vel propter id solum eum deberetis amplecti quod optabilia vobis sponderet et prospera; quod bonarum esset nuntius rerum; quod ea prædicaret quæ nullius animum læderent : securioris quinimo expectationis impleret. O ingratum et impium sæculum! o in privatam perniciem incredibili pectoris obstinatione paratum! Si aliquis ad vos medicus ex summotis venisset et nunquam vobis regionibus cognitis, medicamen pollicens tale quod a vestris corporibus omnia omnino prohiberet morborum et valetudinum genera; non certatim omnes accurreretis? non blanditiis omnibus atque honoribus fotum familiaria susciperetis in mœnia? non illud medicaminis genus optaretis esse certissimum, non verum, quod immunes vos fore ab tam innumeris vexationibus corporum, usque ad ultimos fines sponderet ætatis? et licet ambigua res esset, committeretis vos tamen, nec potionem incognitam dubitaretis haurire spe salutis proposita, atque amore incolumitatis incensi. Eluxit atque apparuit Christus rei maximæ nuntiator, auspicium faustum portans et præconium salutare credentibus. Quænam est ista crudelitas,

inhumanitas quæ tanta, quinimo, ut verius loquar, fastidium, supercilium, nuntiatorem muneris et portitorem tanti, non tantum verborum maledictionibus scindere, verumetiam bello gravi atque omnibus persequi telorum effusionibus et ruinis? Non placent ea quæ dicit, et cum offensionibus audiuntur a vobis? pro ludicris ea vaticinationibus computate. Stolidissimas res loquitur, et fatua dona promittit? ridete ut sapientes vos viri, et in suis erroribus fatuitatem relinquite volutari. Quænam est hæc feritas, ut repetamus quæ dicta sunt sæpius, quæ libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito? Dilacerare si detur, eum velle per viscera, qui non modo nullum intulerit malum nulli, sed æqualiter benignus hostibus diceret quidnam his salutis Deo portaretur a principe : quid esset facto opus ut interitum fugerent, et immortalitatem consequerentur ignotam? Cumque novitas rerum, et inaudita promissio audientium turbaret mentes, et credulitatem faceret hæsitare, virtutum omnium Dominus, atque ipsius mortis extinctor hominem suum permiserit interfici, ut ex rebus consequentibus scirent in tuto esse spes suas quas jamdudum acceperant de animarum salute, nec periculum mortis alia se posse ratione vitare?

LIBER SECUNDUS.

I. Hoc in loco tribui si ulla facultas posset[1], vellem cum his omnibus quibus nomen invisum est Christi, ab instituta principaliter defensione diverticulo paulisper facto, talia verba miscere. Si nullam esse ducitis contumeliam respondere aliquid interrogatos, edissertate nobis et dicite quid rei, quid causæ est quod tam gravibus insectamini Christum bellis : vel quas ejus continetis offensas, ut ad ejus nominis mentionem rabidorum pectorum effervescatis ardoribus? Numquid regiam sibi vindicans potestatem, terrarum orbem cunctum legionibus infestissimis occupavit, et pacatas ab exordio nationes alias delevit ac sustulit, alias sibi parere cervicibus compulit subjugatis? Numquid ardoribus avaritiæ flagrans universas opes illas quibus se genus humanum studiose contendit impleri, possessionis suæ mancipio vindicavit? Numquid libidinum cupiditatibus gestiens pudicitiæ repagula vi fregit, aut alienis furtim insidiatus est matrimoniis? Numquid arrogantiæ supercilio tumidus injurias et contumelias passim sine ullius personæ discriminibus irrogavit? Qui si dignus non esset cui auscultare deberetis et credere, vel hoc ipso fuerat non asperandus a vobis, ostenderent quod vias vobis ad cœlum et vota immortalitatis optaret, ut non in cunctos lumen et prætenderit vitæ, et periculum ignorationis amoverit?

II. At enim odio dignus est quod ex orbe religiones ex-

[1] Vide D. Guillon, tom. III, p. 342 et seqq.

pulit, quod ad deorum cultum prohibuit accedi. Ergone qui veram in orbem religionem induxit; qui hominibus cæcis, et revera in impietate degentibus, pietatis aperuit januas, et cui se submitterent indicavit? An ulla est religio verior, officiosior, potentior, justior, quam Deum principem nosse, scire Deo principi supplicare, qui bonorum omnium solus caput et fons est, perpetuarum pariter fundator et conditor rerum, a quo omnia terrena cunctaque cœlestia animantur, motu irriganturque vitali; et qui si non esset, nulla profecto res esset quæ aliquod nomen substantiamque portaret? Nisi forte dubitatis an sit iste de quo loquimur, imperator : et magis esse Apollinem creditis, Dianam, Mercurium, Martem. Da verum judicium, et hæc omnia circumspiciens quæ videmus, magis an sint dii cæteri dubitabit, quam in Deo cunctabitur : quem esse omnes naturaliter scimus, sive cum exclamamus, O Deus! sive cum illum testem Deum constituimus improborum, quasi nos cernat, faciem sublevamus ad cœlum. Sed minoribus supplicare diis homines vetuit. Dii enim minores qui sint, aut ubi sint, scitis? Perstrinxit vos aliquando suspicio eorum aut mentio, ut merito feratis indigne abrogatos his cultus, et honoris impertitione viduatos. Quod si non mentis elatio, et typhus qui appellatur a Græcis, obstaret atque officeret vobis, jamdudum scire potuissetis quid aut quare prohibuerit fieri, intra fines quos stare voluerit religionem veram, quantum vobis periculum nasceretur ex eo quod putaretis obsequio, vel ex quibus malis emergeretis si insidioso renuntiaretis errori. Verum hæc omnia illustrius commemorabuntur et planius, cum ulterius prorsus fuerimus evecti; monstrabimus enim Christum non impietatem docuisse nationes, sed ab latronibus pessimis miserorum hominum imprudentiam vindicasse.

III. Non credimus, inquitis, vera esse quæ dicit. Quid

enim? quæ vos negatis vera esse apud vos liquent, cum imminentia et nondum cassa nullis possint rationibus refutari? Sed et ipse quæ pollicetur non probat. Ita est. Nulla enim, ut dixi, futurorum potest existere comprobatio. Cum ergo hæc sit conditio futurorum, ut teneri et comprehendi nullius possint anticipationis attactu; nonne purior ratio est, ex duobus incertis et in ambigua expectatione pendentibus, id potius credere quod aliquas spes ferat, quam omnino quod nullas? In illo enim periculi nihil est, si quod dicitur imminere cassum fiat et vacuum: in hoc damnum est maximum, id est, salutis amissio, si cum tempus advenerit aperiatur non fuisse mendacium. Quid dicitis, o nescii, etiam fletu et miseratione dignissimi? Ita non extimescitis ne forte hæc vera sint, quæ sunt despectui vobis et præbent materiam risus? nec saltem vobiscum sub obscuris cogitationibus volvitis, ne quod hoc die credere obstinata renuitis perversitate, redarguat serum tempus, et irrevocabilis pœnitentia castiget? Nonne vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras, in tam brevi temporis spatio, immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt? quod nulla jam natio est tam barbari moris et mansuetudinem nesciens, quæ non ejus amore versa molliverit asperitatem suam, et in placidos sensus assumpta tranquillitate migraverit? quod tam magnis ingeniis præditi oratores, grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiæ etiam secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant? quod ab dominis se servi cruciatibus affici, quibus statuerint, malunt, solvi conjuges matrimoniis, exhæredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere Christianam, salutaris militiæ sacramenta deponere? quod cum genera pœnarum tanta sint a vobis proposita religionis hujus sequentibus leges, augeatur res magis, et contra omnes minas

atque interdicta formidinum animosius populus obnitatur, et ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur? An numquid hæc fieri passim et inaniter creditis? fortuitis incursibus assumi has mentes? Itane istud non divinum et sacrum est, aut sine Deo, eorum tantas animorum fieri conversiones, ut cum carnifices unci, aliique innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant credituris, veluti quadam dulcedine atque omnium virtutum amore correpti, cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus proponant amicitias Christi? Nisi forte obtusi et fatui videntur hi vobis, qui per orbem jam totum conspirant, et coëunt in istius credulitatis assensum.

IV. Quid ergo? vos soli sapientiæ conditi atque intelligentiæ vi mera, nescio quid aliud videtis et profundum? soli esse nugas intelligitis hæc omnia, soli verba et pueriles ineptias, ea quæ nobis promittimus principali ab Rege ven tura? Unde, quæso, est vobis tantum sapientiæ traditum? unde acuminis et vivacitatis tantum? vel ex quibus scientiæ disciplinis tantum cordis assumere, divinationis tantum potuistis haurire? Quia per casus et tempora declinare verba scitis et nomina? quia voces barbaras solœcismosque vitare? quia numerosum et instructum, compositumque sermonem, aut ipsi vos nostis efferre, aut incomptus cum fuerit scire? quia Fornicem Lucilianum, et Marsyam Pomponii obsignatum memoria continetis? quia quæ sint in litibus constitutiones, quot causarum genera, quot dictionum, quid sit genus, quid species, oppositum a contrario quibus rationibus distinguatur: idcirco vos arbitramini scire quid sit falsum, quid verum, quid fieri possit aut non possit; quæ imorum summorumque natura sit? Nunquamne illud vulgatum perstrinxit aures vestras, sapientiam hominis, stultitiam esse apud Deum? Primum ecquid ipsi penitus perspicitis vos ipsos, si quando de rebus disceptatis obscuris, et naturalia

pergitis reserare secreta, et ipsa quæ dicitis, quæ asseveratis, quæ capitali plerumque contentione defenditis, nescire, et unumquemque suspiciones suas pro probatis et comprehensis pertinaci obluctatione tutari? Quid enim, si verum perspiciamus, etiam si omnia sæcula in rerum investigatione ponantur, scire per nos possumus, quos ita cæcos et superbos nescio quæ res protulit, et concinnavit invidia, ut cum nihil sciamus omnino, fallamus nos tamen, et in opinionem scientiæ subinflati pectoris tumore tollamur? Ut enim divina præteream, et naturali obscuritate res mersas, potest quisquam explicare mortalium id quod Socrates ille comprehendere nequit in Phædone : homo quid sit, aut unde sit, anceps, varius, mobilis, pellax, multiplex, multiformis? in quos usus prolatus sit? cujus sit excogitatus ingenio? quid in mundo faciat? cur malorum tanta experiatur examina? utrumne illum tellus uliginis alicujus conversa putrore, tanquam vermes animaverit, tanquam mures? an fictoris alicujus et fabricatoris manu lineamenta hæc corporis, atque oris acceperit formam? Potest, inquam, scire in medio hæc posita, atque in sensibus constituta communibus, quibus causis mergamur in somnos, quibus evigilemus, quibus modis fiant insomnia, quibus visa? imo quod ambigit in Theæteto Plato vigilemus aliquando, an ipsum vigilare, quod dicitur, somni sit perpetui portio? et quid agere videamur insomnium cum videre nos dicimus? Radiorum et luminis intentione videamus, an rerum imagines advolent, et nostris in pupillis sidant? utrum sapor in rebus sit, an palati contagionibus fiat? quibus ex causis pili nigrorem ingenitum ponant, neque omnes pariter, sed paulatim adjiciendo canescant? quid sit quod humores universi unum corpus efficiant mixtione, solum oleum respuat immersionem in se pati, sed in suam naturam impenetrabilem semper perspicue colligatur? ipse denique animus,

qui immortalis a vobis et deus esse narratur, cur in ægris æger sit, in infantibus stolidus, in senectute defessus, delira, et fatua, et insana? Quorum infirmitas et inscientia miserabilis hoc magis est, quod cum fieri possit ut veri aliquid aliquando dicamus, et hoc ipsum nobis incertum sit, an veri aliquid dixerimus.

V. Et quoniam ridere nostram fidem consuestis, atque ipsam credulitatem facetiis jocularibus lancinare, dicite o festivi, et meraco sapientiæ tincti et saturi potu, estne operis in vita negotiosum aliquod atque actuosum genus, quod non fide præeunte suspiciant, sumant atque aggrediantur actores? Peregrinamini, navigatis: non domum vos credentes peractis negotiationibus remeaturos? Terram ferro scinditis, atque oppletis seminum varietate: non credentes vos frugem percepturos esse vicibus temporariis? Conjugalia copulatis consortia: non futura esse credentes casta, et officiosi fœderis in maritos? Liberorum suscipitis prolem: non incolumem credentes fore, et per gradus ætatis venturam senectutis ad metas? Ægritudines corporum medicorum committitis manibus: non credentes morbos posse mitigata asperitate leniri? Bella cum hostibus geritis: non victoriam vos credentes præliorum successionibus relaturos? Veneramini deos et colitis: non credentes illos esse, et propitias aures vestris supplicationibus accommodare? Quid illa de rebus ab humana cognitione sepositis, quæ conscribitis ipsi, quæ lectitatis, oculata vidistis inspectione, et manibus tractata tenuistis? Nonne vestrum quicumque est, huic vel illi credit auctoribus? non quod sibi persuaserit quis verum dici ab altero, velut quadam fidei astipulatione tutatur? Qui cunctorum originem esse dicit ignem aut aquam, non Thaleti aut Heraclito credit? qui causam in numeris ponit, non Pythagoræ Samio, non Architæ? qui animam dividit, et incorporales constituit formas, non Platoni Socra-

tico? qui quintum elementum principalibus applicat causis, non Aristoteli Peripateticorum patri? qui ignem minatur mundo, et venerit cum tempus, arsurum, non Panætio, Chrysippo, Zenoni? qui individuis corporibus mundos semper fabricatur et destruit, non Epicuro, Democrito, Metrodoro? qui nihil ab homine comprehendi, atque omnia cæcis obscuritatibus involuta, non Archesilæ, Carneadi? non alicui denique Academiæ veteris recentiorisque cultori? Ipsi denique principes et prædictarum patres sectarum, nonne ipsa ea quæ dicunt suis credita suspicionibus dicunt? vidit enim Heraclitus res ignium conversionibus fieri? concretione aquarum Thales? Pythagoras numeros ire? incorporales formas Plato? individuorum Democritus concursiones? aut illi qui autumant nihil posse omnino comprehendi, an sit verum quod dicunt, sciunt? aut ipsum quod definiunt, veritatis esse intelligunt pronuntiatum? Cum igitur comperti nihil habeatis et cogniti, omniaque illa quæ scribitis et librorum comprehenditis millibus, credulitate asseveretis duce, quænam hæc est judicatio tam injusta, ut nostram derideatis fidem, quam vos habere conspicitis nostra in credulitate communem? Sed sapientibus vos viris omnibusque instructis disciplinarum generibus creditis? nempe illis qui nihil sciscunt, nec pronuntiant unum; qui pro suis sententiis bella cum adversantibus conserunt, et pervicacia semper digladiantur hostili; qui dum alter alterius labefactant, destruunt convelluntque decreta, cuncta incerta fecerunt, nec posse aliquid sciri ex ipsa dissensione monstrarunt. Sed officiant hæc nihil, nihilque impediant quo minus eis credere atque auscultare debeatis: et quid est quod in hac parte aut vos plurimum habeatis, aut nos minus?

VI. Vos Platoni, vos Cronio, vos Numenio, vel cui libuerit creditis: nos credimus et acquiescimus Christo. Iniqui-

tas hæc quanta est, ut cum utrique auctoribus stemus, sitque nobis et vobis unum et socium credere, vobis velitis dari, quod ita ab illis dicatur, accipere, vos ea quæ proferuntur a Christo audire et spectare nolitis? Atqui si causas causis, partes partibus voluerimus æquare, magis nos valemus ostendere quid in Christo fuerimus secuti, quam in philosophis quid vos. Ac nos quidem in illo secuti hæc sumus : opera illa magnifica, potentissimasque virtutes quas variis edidit exhibuitque miraculis, quibus quivis posset ad necessitatem credulitatis adduci, et judicare fideliter non esse quæ fierent hominis, sed divinæ alicujus atque incognitæ potestatis. Vos in philosophis virtutes secuti quas estis, ut magis vos illis quam nos Christo oportuerit credere? Quisquamne illorum aliquando verbo uno potuit, aut unius imperii jussione, non dicam maris insanias aut tempestatum furores prohibere, compescere; non cæcis restituere lumina, aut sine luminibus natis dare; non ad vitam revocare defunctos, non annosas dissolvere passiones : sed quod levissimum multo est, fervunculum, scabiem, aut inhærentem spinulam callo una interdictione sanare? Non quo illos negemus aut morum esse integritate laudabiles, aut non omni genere studiorum et disciplinarum peritos : nam et verbis eos luculentissimis scimus loqui, et compositionibus fluere levigatis, concludere acutissime syllogismos, ordinare sequaciter inductiones suas, reddere definitionibus formulas, partiri, dividere, multa dicere de numerorum generibus, multa de musicis; geometricas res etiam suis scitis et præceptionibus explicare. Sed quid istud ad causam? numquid enthymemata, syllogismi, resque aliæ similes, scire illos veritatem spondent; aut ea re digni sunt, quibus necessario debeat rebus de obscurissimis credi? Personarum contentio non est eloquentiæ viribus, sed gestorum operum virtute pendenda. Ille non est dicendus auctor bonus, qui

sermonem candidule prompsit; sed qui, quod pollicetur, divinorum operum prosequitur sponsione.

VII. Argumenta vos nobis et suspicionum argutias profertis, quibus ipse si Christus, cum pace hoc ejus et cum venia dixerim, populorum in conventibus uteretur, quis ac quiesceret, quis audiret, quis eum promitteret aperte aliquid judicare? aut quis cassa et nuda jactantem, quamvis esset imprudens et facilitatis stolidæ, sequeretur? Virtutes sub oculis positæ, et inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipso fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto : ea subdidit appetitionum flammas, et ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes et populos fecit, et moribus dissimillimas nationes. Enumerari enim possunt, atque in usum computationis venire ea quæ in India gesta sunt, apud Seras, Persas et Medos, in Arabia, Ægypto, in Asia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas, in Achaïa, Macedonia, Epiro, in insulis et provinciis omnibus quas sol oriens atque occidens lustrat, ipsam denique apud dominam Romam, in qua cum homines sint Numæ regis artibus atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, et veritati coalescere Christianæ. Viderant enim currum Simonis magi et quadrigas igneas Petri ore difflatas, et nominato Christo evanuisse. Viderant, inquam, fidentem diis falsis, et ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse præfractis; post deinde perlatum Brundam, cruciatibus et pudore defessum, ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio. Quæ omnia vos gesta neque scitis, neque scire voluistis, neque unquam vobis necessaria judicastis : ac dum vestris fiditis cordibus, et quod typhus est sapientiam vocatis, dedistis circumscriptoribus locum, illis inquam noxiis quorum nomen interest obsolefieri Christianum, superfundendi caligines, atque obscurandi res tan-

tas, eripiendæ vobis fidei, subjiciendique contemptus : ut, quia sibi præsentiunt finem pro meritis imminere, vobis quoque immitterent causam per quam periculum adire possetis, et viduari benignitate divina.

VIII. Interea tamen, o isti qui admiramini, qui stupetis doctorum et philosophiæ scita, ita non injustissimum ducitis inequitare, illudere tanquam stulta nobis et bruta dicentibus; cum vel ea, vel talia reperiamini et vos dicere, quæ a nobis dici pronuntiarique ridetis? Nec mihi cum his sermo est qui, per varia sectarum diverticula dissipati, has atque illas partes opinionum diversitate fecerunt. Vos, vos appello qui Mercurium, qui Platonem Pythagoramque sectamini, vosque cæteros qui estis unius mentis, et per easdem vias placitorum inceditis unitate. Audetis ridere nos, quod patrem rerum ac Deum veneramur et colimus, quoque illi dedamus et permittamus spes nostras? Quid Plato vester in Theæteto, ut eum potissimum nominem? nonne animo fugere suadet e terris, et circa illum semper, quantum fieri potis est, cogitatione ac mente versari? Audetis ridere nos quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram? quam quidem nos dicere confitemur, sed a vobis aliter quam sentiamus audiri. Quid in Politico idem Plato? nonne cum mundus occœperit ab occiduis partibus exoriri, et in cardinem vergere qui orientis est solis, rursus erupturos homines telluris e gremio scribit, senes, canos, decrepitos, et cum anni cœperint accedere longiores, per eosdem gradus quibus hodie crescitur, ad incunabula infantiæ exituros? Audetis ridere nos quod animarum nostrarum provideamus saluti, id est, ipsis nobis? Quid enim sumus homines, nisi animæ corporibus clausæ? Vos enim non omnes pro illarum geritis incolumitatibus curas? non quod vitiis omnibus et cupiditatibus abstinetis, metus ille vos habet ne, velut trabalibus clavis affixi, corporibus hæreatis? Quid illi sibi vo-

lunt secretarum artium ritus, quibus affamini nescio quas potestates ut sint vobis placidæ, neque ad sedes remeantibus patrias obstacula impeditionis opponant? Audetis ridere nos cum gehennas dicimus, et inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hostibus inimicisque cognovimus? Quid? Plato idem vester in eo volumine quod de animæ immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum fluvios, et Pyriphlegetontem nominat, in quibus animas asseverat volvi, mergi, exuri? Et homo prudentiæ non pravæ, et examinis judiciique perpensi, rem inenodabilem suscipit, ut cum animas dicat immortales, perpetuas, et corporali soliditate privatas, puniri eas dicat tamen et doloris afficiat sensu. Quis autem hominum non videt, quod sit immortale, quod simplex, nullum posse dolorem admittere? quod autem sentiat dolorem, immortalitatem habere non posse? Nec tamen ejus auctoritas plurimum a veritate declinat. Quamvis enim vir lenis et benevolæ voluntatis inhumanum esse crediderit capitali animas sententia condemnare, non est tamen absone suspicatus jaci eas in flumina torrentia flammarum globis et cœnosis voraginibus tetra. Jaciuntur enim, et ad nihilum redactæ, interitionis perpetuæ frustratione vanescunt. Sunt enim mediæ qualitatis, sicut Christo auctore compertum est, et interire quæ possint Deum si ignoraverint, vitæ et ab exitio liberari si ad ejus se minas atque indulgentias applicarint.

IX. Et ut quod ignotum est pateat, hæc est hominis mors vera, hæc nihil residuum faciens. Nam illa quæ sub oculis cernitur, animarum est a corporibus dijugatio, non finis abolitionis extremus. Hæc, inquam, est hominis mors vera, cum animæ nescientes Deum per longissimi (9) temporis cruciatum consumentur igni fero, in quem illas jacient crudeliter sævi, et ante Christum incogniti, et ab solo

sciente detecti. Quare nihil est quod nos fallat, nihil quod nobis polliceatur spes cassas, id quod nobis a quibusdam dicitur viris immoderata sui opinione sublatis, animas immortales esse, Deo, rerum ac principi gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas, divinas, sapientes, doctas, neque ulla corporis attrectatione contiguas. Quod quia verum et certum est, et a perfecto sumus inemendabili perfectione prolati, inculpabiles, et ideo irreprehensibiles vivimus, boni, justi et recti, vitiositatis nullius rei. Nulla cupiditas nos vincit, nulla libido dehonestat, virtutum omnium servamus atque integramus tenorem. Et quia uno ex fonte omnium nostrum defluunt animæ, idcirco unum conveniensve sentimus : non moribus, non opinionibus discrepamus : Deum omnes novimus, nec quot in orbe sunt homines sunt sententiæ totidem, neque infinita varietate discretæ. At dum ad corporal abimur et properamus humana, ex mundanis circulis sequuntur nos causæ, quibus mali fimus et pessimi, cupiditatibus atque iracundia ferveamus, exerceamus in flagitiis vitam, et in libidinem publica venalium corporum prostitutione damnemus. Et quemadmodum se possunt incorporalibus corpora conjungere; aut a Deo principe res factæ, ab infirmioribus causis ad vitiorum dehonestamenta traduci? Vultis homines istum typhum, superciliumque deponere, qui Deum vobis asciscitis patrem, et cum eo contenditis immortalitatem habere vos unam? Vultis quærere, pervestigare, rimari quid sitis vos ipsi, cujus sitis, censeamini quo patre, quid in mundo faciatis, quanam ratione nascamini, quo pacto prosiliatis ad vitam? Vultis, tumore deposito, cogitationibus tacitis pervidere animantia nos esse aut consimilia cæteris, aut non plurima differitate distantia? Quid est enim quod nos ab eorum indicet similitudine discrepare? vel quæ in nobis eminentia tanta est, ut animantium numero dedignemur

ascribi? Ossibus illis fundata sunt corpora, et nervorum colligatione devincta : et nobis comparili ratione ex ossibus fundata sunt corpora, et nervorum colligatione devincta. Auras accipiunt naribus, et per anhelitum reciprocatas reddunt : et nos spiritum consimiliter ducimus, et respiramus commeatibus crebris. Fœmininis generibus masculinisque distincta sunt : in totidem et nos sexus nostro sumus ab auctore formati. Edunt per uteros fœtus, et corporalibus conciliis procreant : et nos corporum conjugationibus nascimur, et ex alvis fundimur atque emittimur matrum. Cibo sustentantur et potu, et superfluas fœditates inferioribus egerunt abjiciuntque posticis : et nos cibo sustentamur et potu, et quod natura jam respuit, per eosdem effundimus tramites. Cura illis est omnibus famem prohibere mortiferam, et necessario invigilare pro victu : quid aliud nos tantis egimus in occupationibus vitæ, nisi ut ea quæramus quibus famis periculum devitetur, et infelix sollicitudo ponatur? Morbos illa et inedias sentiunt, et ad ultimum senectute solvuntur : quid enim? nos immunes malis ab his sumus, et non eadem ratione morborum incommoditatibus frangimur, et senectutis destruimur tabe? Quod si et illud verum est quod in mysteriis secretioribus dicitur, in pecudes atque alias belluas ire animas improborum postquam sunt humanis corporibus exemptæ, manifestius comprobatur vicinos nos esse, neque intervallis longioribus disparatos : siquidem res eadem nobis et illis est una, per quam esse animantia dicimur, et motum agitare vitalem.

X. Sed rationales nos sumus, et intelligentia vincimus genus omne mutorum. Crederem istud verissime dici, si cum ratione et consilio cuncti homines viverent, servarent officiorum tenorem, abstinerent ab illicitis sese, negotia turpia non adirent, neque quisquam pravitate consilii atque ignorantiæ cæcitate contraria sibimet atque inimica depo-

sceret. Vellem tamen scire quænam sit hæc ratio, per quam sumus potiores animalium generibus cunctis: quia nobis domicilia fecimus quibus possimus hiemalia frigora et æstatis flagrantias evitare? Quid? animantia cætera hujus rei providentiam non habent? Nonne alia cernimus opportunissimis sedibus nidulorum sibi construere mansiones, alia saxis et rupibus tegere et communire suspensis; excavare alia telluris sola, et in fossilibus foveis tutamina sibimet et cubilia præparare? Quod si ministras manus illis etiam donare parens natura voluisset, dubitabile non foret quin et ipsa construerent mœnium alta fastigia, et artificiosa excuderent novitate. Tamen in his ipsis quæ rostris atque unguibus faciunt multa inesse conspicimus rationis et sapientiæ simulacra, quæ homines imitari nulla meditatione possumus, quamvis sint nobis opifices manus, atque omni genere perfectionis artifices. Vestem illa non norunt, sellas, naves, atque aratra compingere; nec denique supellectilem cæteram quam familiaris usus exposcit: non sunt ista scientiæ munera, sed pauperrimæ necessitatis inventa. Neque cum animis artes cœli ex penetralibus ceciderunt; sed exquisitæ et natæ sunt in terris hic omnes, et cum processu temporum paulatim meditatione conflatæ. Quod si haberent scientias animæ, quas genus et habere divinum atque immortale condignum est, ab initio homines cuncti omnia scirent, nec sæculum esset ullum quod artis esset ignarum alicujus, aut rerum experientia non paratum. Nunc vero inops vita, et multarum indigens rerum, fortuita conspiciens quædam commodule provenire, dum imitatur, experitur et tentat, dum labitur, reformat, immutat, ex assidua reprehensione, parvas et concinnavit scientiolas artium, et ad unum exitum temporibus plurimis coëmendata perduxit.

XI. Quod si homines penitus aut ipsos se nossent, aut

intellectum Dei suspicionis alicujus acciperent aura, nunquam sibi asciscerent divinam immortalemque naturam : nec existimarent quiddam magnificum se esse quia sibi craticulas trulleos, craterasque fecerunt; quia subuculas, suppara, lænas, lacernulas, trabeas, cultros, loricas et gladios; quia rastra, securiculas, vomerem. Nunquam, inquam, crederent, typho et arrogantia sublevati, prima esse se numina, et æqualia Principis summitati, quia grammaticam, musicam, oratoriam pepererunt et geometricas formulas. In quibus artificiis quidnam insit admirabile non videmus, ut ex eorum inventione credatur esse animas potiores et sole et sideribus cunctis, et hunc totum cujus membra sunt hæc, mundum et dignitate et substantia prætcrire. Quid enim aliud se spondent vel insinuare posse, vel tradere, quam ut regulas nominum differentiasque noscamus? ut intervalla in vocum sonis? ut loquamur suadenter in litibus? ut terrarum continentias metiamur? Quæ si secum animæ divinis ex regionibus attulissent, aut esset necessarium scire, omnes ea jamdudum in omni orbe tractarent; neque ullum hominum reperiretur genus, quod non esset his omnibus æqualiter atque uniformiter eruditum. Nunc vero in mundo quotus quisque est musicus, dialecticus et geometres? quotus orator, poëta, grammaticus? Ex quo apparet, ut sæpius dictum est, inventa hæc esse locorum necessitate ac temporum, neque divinas, eruditas advolavisse huc animas; quod neque omnes doctæ sint, neque discere omnes possint, et sint in his plurimæ acuminis obtusioris et bardi, et ad discendi studium plagarum coërcitione cogantur. Quod si ea quæ discimus reminiscentias esse constaret, ut antiquis opinionibus scitum est, conveniebat nos omnes ab una veritate venientes unum nosse unumque reminisci; non habere diversas, non plurimas dissidentesque sententias. Nunc vero cum singuli

aliud atque aliud asseramus, manifestum et promptum est nihil nos attulisse de cœlo, sed hic nata addiscere, et suspicionibus coalita vindicare.

XII. Et ut vobis clarius manifestiusque monstremus cujus sit pretii homo, quem simillimum creditis potentiæ superioris existere, concipite animis hanc imaginem vestris, et quod fieri si aggrediamur potest, tanquam si simus aggressi, similitudinis assumptione teneamus. Sit igitur nobis tellure in effossa locus habitabilis, formam cubilis efficiens, tecto et parietibus clausus, non algidus in frigore, non fervoris nimius in calore; sed ita temperatus et medius, ut nec frigoris hiemalis sensum, nec ardorem validum perpetiatur æstatis : in hunc sonus omnino nullius incidat vocis, non avis, non bestiæ, non tempestatis, non hominis, non denique fragoris alicujus, aut concrepantis terribiliter cœli. Excogitemus deinde quemadmodum lumen accipiat, non ex illato igni, neque ex sole conspecto; sed nothum aliquid fiat, quod imaginem luminis caligine interposita mentiatur : janua non una sit, nec sit introitus rectus; sed adeatur inflexibus flexuosis : nec recludatur aliquando, nisi cum necessaria ratio postularit. Nunc quoniam imagini præparavimus sedem, accipiamus deinceps mox aliquem natum in loci illius hospitium, quod habeat rem nullam, et sit inane ac vacuum : Platonica licet aut Pythagorea progenie, aut horum alicujus qui acuminis perhibentur fuisse divini, aut ex deum responsis sapientissimi nuncupati. Quod cum actum fuerit, nutriri ut debeat sequitur, ut alimoniis convenientibus educari. Adhibeamus igitur et nutricem quæ semper ad eum nuda, semper silens accedat, verbum nullum faciens, nec in sermones aliquos ora et labra diducat; sed cum mammas dederit, et consequentia supplerit officia, datum quieti linquat, et ante fores clausas dies noctesque continuet : poscit enim plerumque

res nutritias adesse curas, et observare temporarios motus. At vero cum cœperit solidioribus cibis infans debere fulciri, nutrice inferantur ab eadem, veste ut diximus posita, et tenore reticentiæ servato. Ipse autem qui infertur cibus sit unus atque idem semper, nihil materia differens, nec per varios redintegratus sapores; sed aut fitilla de milio, aut sit panis ex farre, aut ut sæcula imitemur antiqua ex cinere caldo glandes, aut ex ramis agrestibus bacculæ. Potio autem vini sit prorsus incognita, nec sedandæ aliud admoveatur siti quam liquor purus e fontibus, caldore ignis intactus, et, si fieri potis est, manibus subministratus cavis. Fiet enim familiaris e more consuetudo in naturam versa; nec appetitio porrigetur ulterius, esse amplius nesciens quod petatur. Quorsum igitur hæc spectant? Ut, quoniam creditum est animas divinas a Deo, immortales esse, et ad hominum corpora disciplinis cum omnibus advolare, experiamur ex isto quem hoc genere voluimus educari, capiatne res fidem, an sit leviter credita et frustrabili expectatione præsumpta. Procedat igitur nobis solitudine in operta nutritus, quot vultis annos agens? vultis vicenarius? vultis tricenarius? Imo cum annos fuerit quadraginta permensus, mortalium conciliis inferatur: et si verum est illum principalis esse substantiæ portionem tam lætam, ex fontibus vitæ derivatum hic agere, antequam notitiam rei sumat alicujus, aut sermone imbuatur humano, det responsum rogatus, quisnam sit ipse, aut quo patre, quibus sit in regionibus editus, quo pacto aut quanam ratione nutritus, quid operis aut negotii celebrans anteacti temporis decurrerit ævitatem. Ita ille non omni pecore, ligno, saxo obtusior atque hebetior stabit? non missus in res novas et nunquam sibi ante cognitas, ipsum sese est ante omnia nesciturus? Poteritne, si quæras, sol quid sit ostendere, terra, maria, sidera, nubes, nebula, pluviæ, tonitrua, nix, grando? Poterit arbores scire quid

sint, herbæ aut gramina, taurus, equus aut aries, camelus, elephantus aut mulus? Esurienti si dederis uvam, mustacium, cæpe, carduum, cucumerem, ficum, sciet posse sedari omnibus ex his famem; aut quo genere singula esse debeant esui? Ignem si plurimum feceris, aut venenatas circumposueris bestias, nonne ibit per medias flammas, viperas, solifugas esse noxias nesciens, et timere ipsum quid sit ignorans? Jam vero si vestem, si supellectilem ponas in medio tam urbanam quam rusticam, eritne idem ut possit discriminare cui negotio res quæque conveniat? cujus muneris accommodata sint usui? Indicet in quos habitus vestis stragula facta sit, mitra, strophium, pulvinus, fascia, muccinium, læna, calautica, mantele, mastruca, soccus, solea, calceus? Quid si adjicias rota quid sit aut tribula, vannus, dolium, cupa, trapetum, vomis aut cribrum, mola, buris aut sarculum? quid arquata si sellula, acus, strigilis, polubrum, siliquastrum, trulla, lancicula, candelabrum, batiaca, scopæ, scyphus, saccus? quid si cithara, tibia, argentum æs, aurum, codex, radius, liber? quid instrumenta si cætera, quibus vita succingitur et continetur humana? Ita, ut diximus, ille non bovis ritu aut asini, porci, aut si ullum est animal tardius, conspiciet hæc quidem, formaturæ varia res spectans, sed quæ sint singula nesciens, et quam in causam possideantur ignorans? nonne vocem, si fuerit necessitate aliqua coactus emittere, ut solemne est mutis, inarticulatum nescio quid ore hiante clamabit?

XIII. Quid in Menone, o Plato, quædam rationibus numeri admota ex puerculo sciscitaris, et ex ejus niteris responsionibus comprobare quæ discamus non discere, sed in eorum memoriam quæ antiquitus noveramus redire? Qui si tibi vere respondet, non enim nos convenit fidem rebus abjudicare quas dicis, non rerum scientia, sed intelligentia ducitur: et ex eo quod aliquos numeros quotidia-

nis habet ex usibus notos, fit ut sequatur rogatus, et ipsa illum semper multiplicationis adducat accessio. Quod si vere confidis immortales huc animas et plenas scientiæ pervolare, adolescentulum istum rogare desinito, quem esse conspicis gnarum rerum, et humanitatis in finibus constitutum. Quadragenarium istum ad te voca, et ex eo percontare, non abstrusum aliquid, non volutum, non de triangulis, non de quadratis, quid sit cubus aut dynamis, sesquioctavus aut sesquitertius ultimo; sed quod in medio situm est, bis bina, bis terna quam efficiant summulam quærito. Volumus videre, volumus scire, quid rogatus respondeat, an inquisitam expediat quæstionem. Ita ille sensurus est, quamvis ei pateant aures, an aliquid dicas, an aliquid quæras, an tibi ab sese responderi aliquid postules : et non stipes ut aliquis, aut Marpesia, ut dictum est, rupes, stabit elinguis et mutus, hoc ipsum ignorans et nesciens, secum potius an cum altero colloquaris, cum altero sermocineris an secum; oratio sit ista, quam promis, an sonitus vocis nihil rerum significans, sed inani continuatione pertractus? Quid dicitis, o viri plusquam satis est vobis ex aliena generositate tribuentes? Hæc est anima docta illa quam dicitis, immortalis, perfecta, divina, post Deum principem rerum et post mentes geminas locum obtinens quartum, et affluens ex crateribus vivis? Hic est ille pretiosus et rationibus homo augustissimis præditus, mundus minor qui dicitur, et totius in speciem similitudinis fabricatus atque formatus : nullo melior, ut apparuit, pecore, obtusior ligno, saxo. Qui nesciat homines, et in mutis semper solitudinibus degat, idem erit iners, valeat manere quamvis annis vivus innumeris, et nunquam nodis corporeis eximatur. Sed cum scholas attigerit, et magistrorum fuerit institutionibus eruditus, efficietur prudens, doctus, et quam nuper habuerat, imperitiam ponet. Et asellus, et bos æque usu atque as-

siduitate cogente, discit arare ac molere; equus jugum subire, et agnoscere in curriculo flexiones; camelus sese submittere, sive cum sumit onera, sive cum ponit; columba manu missa revolare ad dominicas sedes; canis cum invenerit prædam, cohibere et continere latratum; verba psittacus integrare, et nomina corvus expromere. Sed ego cum audio nescio quid præstans animam dici, Deo vicinum et proximum, scientem huc omnia superioribus adventare de sæculis : nolo illam discere, sed docere; nec ex docta, ut dicitur, elementariam fieri, sed retinentem res suas corporibus semet circumligare terrenis. Nisi enim sese habuerit res ita, discerni qui poterit utrumne illud quod audit reminiscatur an discat? cum multo facilius sit credere discere illam quod nesciat, quam oblitam quod paulo ante sciebat; et oppositu corporis amitti repetentiam priorum.

XIV. Et ubi est illud quod dicitur, incorporales animas substantiam non habere? Quod enim nullius est corporis, oppositione alterius non impeditur, nec potest aliquid suaderi perdere id quod non potest tactum rei oppositæ sustinere. Ut enim numerus in corporibus constitutus, quamvis mille corporibus obruatur, intactus et inviolabilis constat; ita necesse est animas, si sunt, ut perhibetur, incorporeæ, oblivionem priorum nullam pati : quamvis eas solidissimæ corporum circumligaverint junctiones. Quid, quod eadem ratio non tantum incorporeas indicat eas non esse, verum etiam privat immortalitate has omni, et ad fines applicat quibus vita consueta est terminari. Quidquid enim causa ingruente nonnulla ita mutatur et vertitur ut integritatem suam retinere non possit, id necesse est judicari natura esse passivum. Quod autem est promptum atque expositum passioni, corruptibile esse ipsa passibilitate interveniente denuntiatur. Ergo, si et animæ perdunt omne quod noverant, corporalibus vinculis occupatæ, patiantur necesse est aliquid

quod eas efficiat oblivionis induere cæcitatem. Neque enim nihil omnino perpessæ, aut integritatem conservantes suam, possunt rerum scientiam ponere, aut in alios habitus sine sui mutabilitate transire. Atqui nos arbitramur, quod est unum, quod immortale, quod simplex, quacumque in re fuerit, necessario semper suam retinere naturam, nec debere aut posse aliquid perpeti, si modo esse perpetuum cogitat, et in finibus propriæ immortalitatis hærere. Omnis enim passio leti atque interitus janua est, ad mortem ducens via, et inevitabilem rebus afferens functionem : quam si sentiunt animæ, et tactui ejus atque incursionibus cedunt, usu et illis est vita non mancipio tradita; quamvis aliter quidam inferant, et rei tantæ fidem suis in argumentationibus ponant. Ac ne tamen instructi non plenius abeamus, scire avemus a vobis quemadmodum dicitis animas, cum terrenis fuerint corporibus involutæ, priorum reminiscentiam non habere ; cum in ipsis corporibus positæ, et prope insensibiles eorum commixtione perfectæ, pertinaciter et fideliter teneant ea quæ ante annos plures, si velis dicere vel octoginta, vel hoc amplius, vel fecerunt, vel passæ sunt, vel locutæ sunt, vel audierunt ? Si enim obstaculo perficitur corporis ne meminerint eorum quæ jamdudum et ante hominem sciebant, magis est ut ea debeant oblivisci quæ conclusæ in corporibus factitarunt, quam quæ foris positæ, nondum hominibus conjugatæ. Quod enim rebus ingressis priorum repetentiam detrahit, et intra se gesta irrecordabili debet obliteratione deperdere. Una enim causa res duas efficere ac sibi contrarias non potest, ut aliorum memorias sopiat, alia patiatur actoris in recordationem venire. Quod si animæ, quas vocatis, membrorum impediuntur obstaculo quo minus artes suas antiquas reminiscantur, in corporibus ipsis quemadmodum constitutæ meminerunt et sciunt animas se esse, et corporalem substantiam non habere, immortali-

tatis conditione mactatas? quem teneant in rebus gradum? quo sint ordine a Deo patre discretæ? ad infima hæc mundi quanam ratione pervenerint? quas ex quibus circulis qualitates, dum in hæc loca labuntur, attraxerint? Quemadmodum, inquam, sciunt doctissimas se fuisse, et obstructione corporum amisisse quæ noverant? Et hoc ipsum enim nescire debuerant, si aliquid eis labis corporalis invexisset adjunctio. Nam scire quid fueris, et quid hodie non sis, non est signum memoriæ perditæ, sed comprobatio indiciumque servatæ.

XV. Quæ cum ita se habeant, desinite, quæso, desinite res parvas atque exigui nominis immanibus pretiis æstimare. Desinite hominem, proletarius cum sit, classicis; et capite cum censeatur, ascribere ordinibus primis; cum sit inops, pauper lare, et tugurii pauperis, nec patris clari, tantis cum meritis nuncupare. Cum enim vos oporteret viros recti atque integritatis auctores, typhum et arrogantiam frangere, quorum malis cuncti extollimur, et inanium distendimur vanitate; non tantum accidere mala ista censetis, verum, quod gravius multo est, addidistis causas quibus et vitia crescerent et inemendabilis nequitia permaneret. Quis est enim hominum, quamvis ille sit indolis infamia semper atque ignominiosa fugientis, qui, cum dici exaudiat, viris ab sapientibus maxime, immortales animas esse, nec fatorum esse obnoxias legibus, non in omnia flagitia præceps se ruat? non securus, intrepidus res obeat atque aggrediatur illicitas? non denique omnia suis cupiditatibus largiatur quæ libido impotens jusserit, impunitatis præterea etiam libertate munita? Quid enim prohibebit quo minus hæc faciat? metus supernæ potestatis, judiciumque divinum? Et qui poterit territari formidinis alicujus horrore, cui fuerit persuasum tam se esse immortalem quam ipsum Deum primum? nec ab eo judicari quidquam de se posse, cum

sit una immortalitas in utroque, nec in alterius altera conditionis possit æqualitate vexari? Sed memoratæ apud inferos pœnæ, et suppliciorum generibus multiformes? Ecquis erit tam brutus et rerum consequentias nesciens, qui animis incorruptibilibus credat aut tenebras tartareas posse aliquid nocere, aut igneos fluvios, aut cœnosis gurgitibus paludes, aut rotarum volubilium circumactus? Quod enim contiguum non est, et ab legibus dissolutionis tutum est, licet omnibus ambiatur flammis torrentium fluminum, volvatur in cœno, saxorum imminentium casibus, et immanium montium operiatur ruinis, illibatum necesse est permaneat et intactum, neque ullum sensum mortiferæ passionis assumere. Quid quod ista persuasio non tantum est incitatrix ad vitia, libertate ex ipsa peccandi, verum etiam philosophiæ ipsius causam tollit, et inaniter eam suscipi supervacanei operis difficultate declarat. Nam si verum est animas nullius esse participes finis, et cum omnibus sæculis ævorum perpetuitate procedere; quid periculi res habet, contemptis prætermissisque virtutibus, quibus est contractior atque horridior vita, voluptatibus se dare, ac per omnia libidinum genera effrenatum spargere immensæ cupiditatis ardorem? Ne deliciis marceat, et corrumpatur mollitudine vitiorum? Et qua poterit ratione corrumpi id quod immortale, quod semper est, et nulli obnoxium passioni? Ne sordescat et polluatur actionum turpium fœditate? Et qui poterit pollui corporalem quod substantiam non habet? aut ubi sedem contaminatio ponere, ubi spatium nullum est in quo nota se possit ipsius contaminationis affigere? Rursus vero si animæ leti adeunt januas, Epicuri ut sententia definitur, nec sic causa est competens cur expeti philosophia debeat: etiamsi verum est purgari hac animas, atque ab omni puras vitiositate præstari.

XVI. Nam si communiter obeunt, et in ipsis corporibus

sensus eis deperit extinguiturque vitalis; non tantum est erroris maximi, verum stolidæ cæcitatis, frenare ingenitos appetitus, cohibere in angustiis vitam, nihil indulgere naturæ, non quod cupidines jusserint atque instigaverint facere; cum nulla te præmia tanti laboris expectent cum dies mortis advenerit, et corporalibus fueris vinculis exolutus. Medietas ergo quædam, et animarum anceps ambiguaque natura, locum philosophiæ peperit, et causam cur appeteretur invenit : dum periculum scilicet ex malis iste formidat admissis; alter concipit spes bonas, si nihil sceleris faciat, et cum officio vitam justitiaque traducat. Inde est quod inter doctos viros, et ingeniorum excellentia præditos, de animarum qualitate certamen est : et eas alii dicunt mortali esse natura, nec divinam posse substantiam sustinere; alii vero perpetuas, nec in naturam posse degenerare mortalem. Quod istud ut fiat, medietatis efficitur lege : quod et illis argumenta sunt præsto, quibus eas passivas atque interibiles invenitur; et his contra non desunt, quibus esse divinas immortalesque monstratur. Hæc cum ita se habeant, et cum ab summo traditum teneamus Auctore non esse animas longe ab hiatibus mortis et faucibus constitutas; posse tamen longævas (10) summi Principis munere ac beneficio fieri, si modo illum tentent ac meditentur agnoscere, ejus enim cognitio fermentum quoddam est vitæ, ac rei dissociabilis glutinum, tum deinde feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora, ut ad illud quod dabitur esse possint paratæ : quid est quod a vobis tanquam bruti et stolidi judicemur, si propter hos metus liberatori dedimus et mancipavimus nos Deo? Adversus ictus noxios et venenatos colubrarum morsus remedia sæpe conquirimus, et protegimus nos laminis, Psyllis, Marsis vendentibus, aliisque institoribus atque planis; ac ne nobis frigora solesque incommodent rapidi, munimenta domorum ac vestium

sollicitæ præparamus diligentia cautionis: mortis nobis cum proponatur metus, id est, animarum interitus, quid non ex communi facimus sensu quo amamus nos omnes, quod eum qui nobis spondet tali a periculo liberaturum retinemus, amplectimur, animisque ipsis nostris, si modo justa est vicissitudo, præponimus? Vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis, fierique vos deos vestro fiditis intestinoque conatu : at vero nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus, naturam intuentes nostram virium esse nullarum, et ab suis affectibus in omni rerum contentione superari. Vos cum primum soluti membrorum abieritis e nodis, alas vobis affuturas putatis, quibus ad cœlum pergere atque ad sidera volare possitis : nos tantam reformidamus audaciam, nec in nostra ducimus esse positum potestate sedes superas petere, cum et hoc ipsum habeamus incertum, an vitam accipere mereamur et ab lege mortalitatis abduci. Vos in aulam dominicam tanquam in propriam sedem remeaturos vos sponte, nullo prohibente, præsumitis : at vero nos istud rerum sine Domino fieri neque speramus posse, neque ulli hominum tantum potestati attribui licentiæque censemus. Cum igitur hæc ita sint, quænam injustitia tanta est ut fatui vobis credulitate in ista videamur, cum vos et similia credere, et in eadem videamus expectatione versari? Si irrisione existimamur digni, quod spem nobis hujusmodi pollicemur; et vos eadem expectat irrisio, qui spem vobis immortalitatis asciscitis. Si tenetis aliquam sequiminique rationem, et nobis aliquam portionem ex ista ratione concedite. Si nobis hæc gaudia, hoc est, viam fugiendæ mortis, Plato in Phædro promisisset, aliusve ex hoc choro, possetque eam præstare atque ad finem pollicitationis adducere, consentaneum fuerat ejus suscipere nos cultus a quo tantum doni expectaremus et muneris : nunc cum eam Christus non tantum promiserit,

verum etiam virtutibus tantis manifestaverit posse compleri; quid alienum facimus, aut stultitiæ crimen quibus rationibus sustinemus, si ejus nomini majestatique substernimur a quo speramus utrumque, et mortem cruciabilem fugere, et vitæ æternitate donari?

XVII. Sed si animæ, inquiunt, mortales et qualitatis sunt mediæ, immortales quemadmodum fieri mediis ex qualitatibus possunt? Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentiore credidisse, ubi nostra videbitur credulitas lapsa, si omnipotenti credidimus Regi nihil esse difficile, nihil arduum? si quod impossibile nobis est factu, illi possibile atque admodum executioni paratum? Est enim quod obstare ejus voluntatibus possit, aut quod esse voluerit non necessario sequatur ut fiat? An numquid nostris ex divisionibus colligemus quid aut fieri possit, aut non possit; nec rationes considerabimus nostras tam esse mortales quam sumus nos ipsi, et nullius apud Principem nominis? Et tamen, o isti qui mediæ qualitatis animas esse non creditis, et in medio limite vitæ atque interitus contineri; nonne omnes omnino quos esse opinatio suspicatur, dii, angeli, dæmones, aut nomine quocumque sunt alio, qualitatis et ipsi sunt mediæ, et in ambiguæ sortis conditione mutabiles? Nam si omnes concedimus unum esse rerum Patrem, immortalem atque ingenitum solum, nihilque omnino ante illum, quod alicujus vocaminis fuerit, invenitur: sequitur ut hi omnes quos opinatio credidit deos esse mortalium, aut ab eo sint geniti, aut eo jubente prolati. Si sunt prolati et geniti, et ordinis sunt posterioris et temporis: si ordinis posterioris et temporis, ortus necesse est habeant, et exordia nativitatis et vitæ. Quod autem habet introitum et vitæ incipientis exordium, necessario sequitur ut habere debeat et occasum. Sed immortales perhibentur dii esse: non ergo natura, sed voluntate Dei patris, ac mu-

nere. Quo igitur pacto immortalitas largitoris est donum Dei circa prolatos, et animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamvis eas mors sæva posse videatur extinguere, et ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere. Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia sentiens multitudini, in eo sermone ac libro cui nomen Timæus inscribitur, deos dicit et mundum corruptibiles esse natura, neque esse omnino dissolutionis expertes; sed voluntate Dei regis ac principis vinctione in perpetua contineri: quod enim recte sit vinctum et nodis perfectissimis colligatum, Dei bonitate servari; neque ullo ab alio, nisi ab eo qui vinxit, et dissolvi si res poscat, et salutari vinctione donari. Ergo si res est ita, nec aliud convenit vel existimare vel credere, quid animas admiramini mediæ dici qualitatis a nobis, cum numinibus ipsis dicat Plato medias esse naturas, sed ad continuam et inocciduam vitam principali benevolentia subrogari?

XVIII. Si enim forte nescitis, et antea vobis incognitum propter rei novitatem fuit, accipite sero, et discite ab eo qui novit et protulit in medium, Christo, non esse animas Regis maximi filias, nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas cœpisse se nosse, atque in sui nominis essentia prædicari; sed alterum quempiam genitorem his esse, dignitatis et potentiæ gradibus satis plurimis ab Imperatore dijunctum, ejus tamen ex aula et eminentium nobilem sublimitate natalium. Quod si essent, ut fama est, Dominicæ prolis, et potestatis animæ generatio principalis, nihil eis ad perfectionem defuisset virtute perfectissima procreatis: unum omnes intellectum habuissent, unumque consensum; aulam semper incolerent regiam, nec prætermissis beatitudinis sedibus, in quibus augustissimas noverant retinebantque doctrinas, imprudenter appeterent terrena hæc loca, tenebrosis ut corporibus involutæ inter pituitas et sanguinem

degerent, inter stercoris hos utres et saccati obscœnissimas serias. Sed habitari oportuit et has partes, et idcirco huc animas, tanquam in colonias aliquas, Deus omnipotens misit. Et quid homines prosunt mundo, aut ob rei cujus sunt necessarii causam, ut non frustra debuisse credantur parte in hac agere, et terreni esse corporis inquilini? Ad consummandam molis hujus integritatem, partem aliquam conferunt : et nisi fuerint additi, imperfecta et clauda est universitatis hæc summa? Quid ergo? si homines non sint, ab officiis suis cessabit mundus? vicissitudines suas non peragent sidera? æstates atque hiemes non erunt? ventorum flamina conticescent? nec ex coactis et pendentibus nubilis ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi? Atqui necesse est cuncta suos ire per cursus, nec ab ordinis dati continuatione discedere, etiam si nomen in mundo nullum hominis audiatur, orbisque iste terrarum solitudinis vacuæ silentio conticescat. Quemadmodum ergo jactatur habitatorem debuisse regionibus his addi, cum ab homine liqueat nihil ad mundi perfectionem redire, omniaque ejus studia commoditatem semper spectare privatam, nec a finibus propriæ utilitatis abscedere? Quid enim prodest mundo, ut ab rebus incipiam seriis, maximos reges hic esse? quid tyrannos, quid dominos, quid innumeras alias atque amplissimas potestates? quid rei militaris experientissimos duces, capiendarum urbium peritos; in equestribus præliis aut in pedestri pugna immobiles atque invictissimos milites? quid oratores, grammaticos, poetas? quid scriptores, dialecticos, musicos? quid pantomimos, quid mimulos, histriones, cantores; tuba, tibia, calamoque flatantes? quid cursores, quid pugiles, quadrigarios, desultores, grallatores, funiambulos, præstigiatores? quid cybiarios, salinatores, bolonas, unguentarios, aurifices, aucupes, vannorum sipiarumque vitores? quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panchristarios, mu-

liones, lenones, lanios, meretrices? Quid institorum alia genera, quid professorum et artium, quibus enumerandis omnis ætas angusta est, rationibus conferunt et constitutionibus mundi, ut sine hominibus condi non potuisse credatur, nec obtenturus integritatem sui, nisi ei conditio animalis miseri et supervacui jungeretur? Nisi forte Rex mundi, quod temeritatis est maximæ humano ex ore depromere, idcirco ex se genitas huc animas misit, ut quæ fuerant apud se deæ, corporei tactus et metariæ circumscriptionis expertes, humana immergerentur in semina, fœminarum ex genitalibus prosilirent, ineptissimos ederent continuarentque vagitus, exugerent fellitantes mammas, proluvie linerent et madidarent se sua, tum ad silentium pavidæ nutricis motibus et crepitaculis adducerentur auditis. Idcirco animas misit ut, quæ fuerant simplices et bonitatis nuper innoxiæ, simulare in hominibus discerent, dissimulare, mentiri, circumscribere, fallere, adulatoria humilitate captare, mente aliud volvere, aliud in facie polliceri; illaqueare, decipere dolis atque insidiis nescios, per innumeras artes malitiarum venena conquirere, et ad usum temporis pellaci mobilitate formare? Idcirco animas misit ut, in pacata et placita tranquillitate degentes, assumerent ex corporibus causas quibus feræ fierent et immanes, simultates atque inimicitias gererent, consererent inter se bella, expugnarent atque everterent civitates, servitutis opprimerent et manciparènt se jugo, et ad ultimum fierent alterius altera potestatis natalium conditione mutata? Idcirco animas misit ut, immemores veritatis effectæ et quidnam esset Deus oblitæ, simulacris inertibus supplicarent, ligna, æra et lapides divina alloquerentur ut numina, auxilia poscerent eos cæsorum animantium cruore, nullam sui facerent mentionem; quinimo ex his aliæ ut dubitarent se esse, aut ullum esse penitus abnegarent? Idcirco animas misit ut, quæ in

sedibus propriis mente fuerant una, intellectu et scientia paribus, postquam formas induere mortales, opinionum discriminibus dissiderent, aliud aliis justum, aliud utile videretur et rectum; de appetendis rebus fugiendisque certarent, malorum ac bonorum alios aliæ constituerent fines; veritatem cupientibus noscere rerum opponeretur obscuritas, et velut oculorum luminibus viduæ, nihil certum viderent, et per ancipites semitas suspicionum inducerentur errore? Idcirco animas misit ut, cum animantia cætera sponte natis alerentur et nulla satione prolatis, neque domorum aut vestium tutamina sibi aut velamenta conquirerent, miserabilis istis necessitas adderetur ut cum impendiis maximis perpetuisque sudoribus domos sibi construerent, membrorum conficerent tegmina, supellectilem variam diurnorum contraherent egestati, imbecillitatis auxilia animalibus mutuarentur a mutis, vim facerent terris ut non sua sufficerent gramina, sed imperatas extollerent fruges, et cum sanguinem totum in subigenda tellure fudissent, rubigine, grandine, siccitate spem laboris amitterent, et ad ultimum vi famis humanis cadaveribus incubarent, et ab hominum formis tabifica macie dissociarentur abjunctæ? Idcirco animas misit ut, quæ secum commorantes possessionis alicujus nullum unquam habuissent amorem, avarissimæ hic fierent, et in habendi studium inexaturabili pectoris ardescerent appetitu; effoderent altos montes, et viscera ignota terrarum in materias verterent alieni nominis atque usus; penetrarent abditas discrimine cum capitis nationes, et translatis mercibus caritatem semper vilitatemque captarent; exercerent avidum atque injustissimum fœnus, et miserorum e sanguine supputandis se angerent insomnia nominibus? possessionum semper producerent fines, et quamvis provincias totas rus facerent unum? pro arbore una, pro sulco, forum litibus tererent? cum amicis

et fratribus inexpiabiles susciperent simultates? Idcirco animas misit ut, quæ dudum fuerant mites et feritatis affectibus nesciæ commoveri, macella sibi et amphitheatra constituerent, loca sanguinis et publicæ impietatis : ex quibus in altero mandi homines cernerent et bestiarum laniatibus dissipari, interficere se alios nullius ob meriti causam, sed in gratiam voluptatemque sessorum, ipsosque illos dies quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis communibus ducerent et festa hilaritate sacrarent; at in altero vero animalium miserorum discerperent viscera, alias aliæ raperent, ut canibus mos est et vulturiis, portiones subigerent dentibus et crudelissimo ventri darent, et in tam sævis atque horridis moribus sortem suam flerent quas ab talibus mensis paupertatis angustiæ vindicarent, pro beatis ac felicibus viverent quarum ora et faciem tam crudeles polluerent apparatus? Idcirco animas misit ut, divini ponderis et gravitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas, castitatis dispendio compararent, innecterent his colla, laminas pertunderent aurium, conficiendis quærerent corporibus fucos, imminuerent frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent, nec in formis erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem, cutem corporis levigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis et exponere, et in habitum fœminarum deliciasque molliri? Idcirco animas misit, ut viarum aliæ infestarent meatus, aliæ circumscriberent nescios, testamenta supponerent falsa, venenatas conficerent potiones, domos ut effringerent noctibus, sollicitarent, abigerent, prævaricarentur et proderent; saporum fastidia ut exculerent palato, ut in coquendis alitibus pinguitudinem nossent retinere labentem, ut spirulas et botulos facerent, isicia, catillamenta, lucanica, suminatam cum his carnem, et glaciali conditione tuccta? Idcirco animas misit, ut res sancti atque augustissimi nominis symphonicas

agerent et fistulatorias hic artes, ut inflandis bucculas distenderent tibiis, cantionibus ut præirent obscœnis, numerosos iterarent scabillorum concrepationibus sonores, quibus animarum alia lasciviens multitudo incompositos corporum dissolveretur in motus, saltitaret et cantaret, orbes saltatorios verteret, et ad ultimum clunibus et coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret? Idcirco animas misit, ut in maribus exoleti, in fœminis fierent meretrices, sambucistriæ, psaltriæ, venalia ut prosternerent corpora, vilitatem sui populo publicarent, in lupanaribus promptæ, in fornicibus obviæ, nihil pati renuentes, ad oris sacri comparatæ stuprationem? Quid dicitis, o soboles ac primi progenies numinis? Ergone sapientiæ illæ, atque ex causis principalibus proditæ genera hæc animæ turpitudinum, criminum, malitiarumque noverunt? atque ut exercerent, ut gererent, ut percelebrarent hæc mala, habitare jussæ sunt has partes, et humani corporis circumjectione vestiri? Et mortalium quisquam est, rationis alicujus accipiens sensum, qui ordinatum existimet mundum propter has esse, ac non potius sedem ac domicilium constitutum in quo omne quotidie perpetraretur nefas, maleficia cuncta confierent, insidiæ, fraudes, doli, avaritia, rapinæ, vis, scelus, audacia, obscœnitas, turpitudo, flagitium, mala omnia cætera, quæ in orbe homines toto mente noxia pariunt et labem machinantur in mutuam?

XIX. Sed sua, inquitis, voluntate, non Regis jussione venerunt. Et ubi Pater omnipotens fuit, ubi regiæ sublimitatis auctoritas, ut eas prohiberet abscedere, nec in præcipites labi permitteret voluptates? Si enim degeneres futuras locorum immutationibus sciebat, scire autem debuerat causarum ut omnium constitutor, aut extrinsecus aliquid accessurum his esse quod eas faceret oblivisci suæ dignitatis et decoris; millies ut ignoscat oraverim; universorum non

alius quam ipse est causa : siquidem perpessus est evagandi eas habere jus liberum, quas retenturas non esse integritatis suæ habitum prævidebat. Atque ita perficitur ut nihil intersit omnino voluntarie venerint, an illius obtemperaverint jussioni; cum non prohibendo quod oportuerat prohiberi, cessatione crimen fecerit proprium, et retentionis dissimulatione permiserit prius. Sed procul hæc abeat sceleratæ opinionis immanitas, ut Deus credatur omnipotens, magnarum et invisibilium rerum sator et conditor, procreator, tam mobiles animas genuisse, gravitatis ac ponderis constantiæque nullius, in vitia labiles, in peccatorum genera universa declives; cumque eas tales atque hujusmodi sciret, in corpora ire jussisse, quorum inductæ carceribus sub procellis agerent tempestatibusque quotidie fortunæ, et modo turpia facerent, modo paterentur obscœna : naufragiis, ruinis, incendiorum conflagrationibus ut perirent; pauperies alias, alias ut mendicitas premeret; ut ferarum paterentur aliæ laniatus, muscularum aliæ ut interirent veneno; claudæ ut incederent aliæ, ut aliæ lumen amitterent, ut articulis sederent aliæ colligatis; morbis denique objectarentur ut cunctis quos infelix et miseranda mortalitas diversarum sustinet dilaceratione pœnarum : tum deinde oblitæ unius esse se fontis, unius genitoris et capitis, germanitatis convellerent atque abrumperent jura, urbes suas everterent, popularentur hostiliter terras, servos de liberis facerent, insultarent virginibus et matrimoniis alienis, odissent invicem sese, aliorum gaudiis et felicitatibus inviderent; tum deinde se omnes maledicerent, carperent, et sævorum dentium mordacitate laniarent. Sed procul hæc abeat, ut eadem rursus frequentiusque dicamus, tam immanis et scelerata persuasio, ut ille salus rerum Deus, omnium virtutum caput, benignitatis et columen; atque ut eum laudibus extollamus humanis, sapientissimus, justus,

perfecta omnia faciens et integritatis suæ conservantia mansiones; aut aliquid fecerit claudum et quod minus esset a recto, aut ulli rei fuerit miseriarum aut discriminum causa, aut ipsos actus quibus vita transigitur et celebratur humana ordinaverit, jusserit, et a sua fluere constitutione præceperit. Minora hæc illo sunt et magnitudinis ejus destruentia potestatem : tantumque est longe ut istarum auctor rerum esse credatur, ut in sacrilegæ crimen impietatis incurrat quisquis ab eo conceperit hominem esse prognatum, rem infelicem et miseram, qui esse se doleat, qui conditionem suam detestetur et lugeat; qui nulla alia de causa sese intelligat procreatum, quam ne materiam non haberent per quam diffunderent se mala, et essent miseri semper quorum cruciatibus pasceretur nescio qua vis latens et humanitati adversa crudelitas.

XX. Sed si parens, etiam genitor animarum, inquitis, Deus non est, quo auctore progenitæ, et qua sunt ratione prolatæ? Si infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis ostentatione deducta, item confitemur nos istud ignorare, nescire; scientiamque tantæ rei non tantum nostram ducimus infirmitatem fragilitatemque transire, verum etiam potestatum quæ in mundo sunt omnium, et quæ numina se esse opinionibus usurpavere mortalium. Sed quas Dei negamus, cujus sint debemus ostendere? Nihil istud necessario sequitur. Non enim si negemus muscas, scarabæos et cimices, nitedulas, curculiones et tineas omnipotentis esse opus Regis, sequaciter postulandum a nobis est ut quis ea fecerit institueritque dicamus. Possimus enim nulla cum reprehensione nescire quis et illis originem dederit, et obtinere non esse Deo a superiore prolata tam supervacua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes, quinimo aliquando et noxia, et necessariis importantia læsiones. Consimiliter hic quoque cum animas renuamus Dei esse prin-

cipis prolem, non continuo sequitur ut explicare debeamus quonam parente sint editæ, et causis cujusmodi procreatæ. Quis enim nos prohibet, aut unde enatæ sint prodierintque nescire, aut eas non esse Dei progeniem scire ? Quanam, inquitis, ratione, qua via ? Quia omni vero verissimum est, certoque certissimum, nihil rerum a Principe, sicut sæpius dictum est, agi, fieri, statui, nisi quod oporteat et conveniat fieri, nisi quod sit plenum et integrum, et in suæ integritatis perfectione finitum. Porro autem conspicimus homines, id est, animas ipsas (quid enim sunt homines nisi animæ corporibus illigatæ?) sævitate innumerabili vitiorum ipsos se indicare non esse patricii generis, sed ex mediocribus familiis procreatos. Namque alios videmus immites, facinorosos, audaces, temerarios, præcipites, cæcos, fictos, dissimulatores, mendaces, superbos, arrogantes, avaros, cupidos, libidinosos, inconstantes, invalidos, et sua ipsos decreta conservare nequeuntes. Quod utique non essent, si generositas eos assereret principalis, et ab rerum capite descendentium ducerent honestamenta natalium. Sed et boni, dicetis, sunt in rebus humanis viri, sapientes, justi, inculpatis atque emendatissimis moribus. Nullam referimus quæstionem an ulli aliquando fuerint tales, in quibus omnino nihil ista ipsa, quæ dicitur, desideraret integritas. Sint licet perhonesti, fuerintque laudabiles, tenuerint apicem perfectionis summum, nec in aliquo lapsu eorum aliquando claudicaverit vita : sed audire deposcimus quot sint aut fuerint numero, ut ex multitudinis magnitudine metiamur an oppositio justa sit facta, et an æqualitatis compensatione librata. Unus, duo, tres, quatuor, decem, viginti, centum : certe numero definiti, et nominum forsitan comprehensionibus terminati. At genus humanum non ex bonis pauculis, sed ex cæteris omnibus æstimari convenit et ponderari; in toto enim pars est; non totum in parte

et universitas applicari. Quid enim si hominem dicas, captum membris omnibus et ejulantem ex cruciatibus asperis, idcirco esse sanum quod unius unguiculi nullum perpetiatur dolorem? aut esse auream terram, quod in verrucula collis unius insint exiguæ miculæ quibus nascitur colliquefactis aurum, et admiratio congregatione conquiritur? Qualitatem materiæ universitas elementi probat, non pulvisculi flabiles : nec mare continuo dulce est, si mitioris aquæ guttas alicujus adjeceris atque immiseris numeri; consumitur enim minuties ista immenso, et modo non parvi sed esse nullius existimandum est nominis, quod per omnia diffusum perit et in magni corporis intercipitur vastitate. Vos humano in genere bonos esse dicatis viros, qui ut esse credantur, comparatio forsitan efficiat pessimorum? Quinam isti sunt? dicite. Philosophi, credo, qui se esse solos sapientissimos autumant, et vi hujus mominis supercilium sustulerunt : nempe illi qui cum suis quotidie cupiditatibus pugnant, et affectus ex animis insitos proturbare, pellere, pertinaci moliuntur obluctatione virtutum; qui ne in vitia proritari facultatis possint alicujus instinctu, patrimonia et divitias fugiunt, et causas sibi afferant lapsus. Quod cum faciunt et curant, apertissime animas esse indicant labiles, et infirmitate ad vitia proclives. Nostra autem sententia, quod bonum natura est emendari neque corrigi se poscit; imo ipsum debet quid sit malum nescire, si generis forma cujusque in sua cogitat integritate perstare : neque enim contrarium insitum esse contrario potis est, aut in impari paritas, aut dulcedo in amaritudine contineri. Qui ergo luctatur animorum ingenitas corrigere pravitates, is apertissime monstrat imperfectum, probabilem se esse quamvis omni conatu et pervicacia contendat.

XXI. Sed risui vobis est nostra responsio, quod cum regias soboles esse animas abnegemus, non referamus contra

ex quibus sint causis atque originibus procreatæ. Quod est enim criminis genus, aut rei esse alicujus ignarum, aut ipsum quod nescias, sine aliqua profiteri dissimulatione nescire? Aut uter magis videtur irrisione esse dignissimus vobis, qui sibi scientiam nullam tenebrosæ rei alicujus assumit, an ille qui retur se ex se apertissime scire id quod humanam transiliat notionem, et quod sit cæcis obscuritatibus involutum? Si penitus spectetur rei cujusque natura, in simili et vos estis, quam in nobis reprehenditis, causa. Non enim, quia dicitis ab ipso animas Rege descendere, ac succedere in hominum formas, exploratum aliquid dicitis, et in luce positum manifestissimæ veritatis. Conjicitis enim, non scitis : suspicamini, non tenetis. Nam si scire est illud quod ipse tu videris aut cognoveris animo continere, nihil eorum quæ asseritis potestis vos dicere aliquando vidisse; id est, animas sede ab supera et regione descendere. Suspicione ergo utimini, non cognitionis expressæ fide. Quid est autem suspicio, nisi opinatio rerum incerta, et in nil expositum jaculatio mentis illata? Ergo qui suspicatur non tenet, nec in lumine positus cognitionis incedit. Quod si verum et fixum est apud rectos et sapientissimos judices; et ista vestra, qua fiditis, pro ignoratione est habenda suspicio. Ac ne tamen vobis tantummodo censeatis conjecturis uti ac suspicionibus licere, et nos easdem possumus, quoniam commune est quod interrogatis, expromere. Unde inquitis homines, et ipsorum hominum quid aut unde sunt animæ? Unde sunt elephanti, tauri, cervi, muli, asini? unde leones, equi, canes, lupi, pantheræ? Eorumque quæ vivunt, quid aut unde sunt animæ? Neque enim fidem res habet ut Platonico ex illo cratere, quem conficit miscetque Timæus, aut horum animæ venerint, aut locusta, mus, sorex, blatta, rana, centipeda, animata esse credantur et vivere, quia eadem ex elementis ipsis causa est illis atque origo nas-

cendi. Si ad animalia gignenda quæ in singulis his degunt insunt abditæ atque obscurissimæ rationes; nam et videmus alios ex sapientibus dicere tellurem esse hominum matrem, aquam cum ea alios, aërium spiritum alios his jungere, solem vero nonnullos esse horum opificem, et ex ignibus animatos ejus vitali agitatione motari : quod si et hæc nonsunt, et est aliqua res alia, alia causa, alia ratio, potestas alia denique inauditi nobis atque incogniti nominis, genus quæ hominum finxerit, et rerum constitutionibus applicarit; nonne fieri potis est ut exorti homines ita sint, nec ad Deum primum nativitatis eorum referatur auctoritas? Quid enim putamus habuisse rationis Platonem illum magnum, pie sancteque sapientem, cum hominis fictionem Deo removit a maximo, et ad minores nescio quos transtulit; cumque ejusdem noluit sinceritatis esse mixturas humani animarum generis, cujus animam fecerat universitatis istius : quam quod hominis fabricam indignam esse rebatur Deo, nec rei flaccidæ fictionem magnitudini ejus et eminentiæ convenire? Ergo cum hæc ita sint, non absone neque inaniter credimus, mediæ qualitatis esse animas hominum, utpote ab rebus non principalibus editas, juri subjectas mortis, parvarum et labilium virium; perpetuitate donari, si spem muneris tanti Deum ad principem conferant, cui soli potestas est talia corruptione exclusa largiri. Sed stulte istud credimus. Quid ad vos? Ineptissime, fatue. Ubi vobis nocemus, vel quam vobis facimus aut irrogamus injuriam, si omnipotentem confidimus Deum habiturum esse rationem nostri cum abire a corporibus cœperimus, et ab orci faucibus, quemadmodum dicitur, vindicari?

XXII. Ergone, inquiet aliquis, sine Dei voluntate quidquam potis est fieri? Considerandum est nobis sollicite, et cura inspiciendum non parva, ne dum honorare nos Deum tali interrogatione censemus, in contrarium labamur nefas,

majestatis ejus eminentiam destruentes. Qua ratione, qua causa? Quoniam si cuncta ejus voluntate conficiuntur, nec citra ejus nutum quidquam potest in rebus vel provenire, vel cadere, necessario sequitur ut mala etiam cuncta voluntate ejus intelligantur enasci. Sin autem dicere voluerimus contra, pessimorum ab eo rejicientes causas, mali esse conscium generatoremque nullius (11); incipient videri, aut eo invito res pessimæ fieri, aut, quod sit immane dixisse, nesciente, ignaro ac nescio. Rursus autem (12) si dicere nulla esse voluerimus mala, sicut esse nonnullis opinatum et placitum reperimus, reclamabunt cunctæ gentes universæque nationes, cruciatus nobis ostentantes suos, et discriminum species multiformes, quibus puncta per singula genus uritur et laceratur humanum. Tum deinde a nobis exquirent: Cur, mala si nulla sunt, ab operibus vos certis et facinoribus abstinetis? cur non omnia facitis quæ impatiens jusserit atque imperaverit libido? cur in noxios denique terribilibus pœnas constituitis legibus? Nam stoliditas inveniri quæ major potest, quam mala esse nulla contendere, et tanquam malos perdere et condemnare peccantes? Quæ cum esse consenserimus victi, et universa his scatere nominaliter annuerimus humana, consequetur ut rogitent: Cur ergo hæc mala Deus omnipotens non aufert, sed esse perpetitur, et cum omnibus sæculis pertinaci continuatione procedere? Si intellectus nobis affuerit Dei regis ac principis, nec per impias vagari suspicionum voluerimus insanias, respondeamus necesse est nescire nos ista, nec quæ nullis possent facultatibus comprehendi expetisse aliquando aut studuisse cognoscere; meliusque ducentes, quinimo potius, magis in inscientiæ finibus atque ignorantiæ permanere, quam sine Dei dicere nihil fieri voluntate, ut simul intelligatur et malis eum causas dare, et miseriarum esse innumerabilium conditorem. Mala ergo, dicetis, unde sunt

hæc omnia? Ex elementis, inquiunt, et ex eorum inæqualitate, sapientes. Quod fieri qui possit, ut quæ sensum et judicium non habent, malitiosa esse perhibeantur et noxia; aut non ille sit potius malitiosus et noxius qui res pessimas et nocentissimas futuras in alicujus operis assumpsit effectum: eorum est qui asserunt, pervidere. Quid ergo nos, unde? Responsionis necessitas nulla est. Sive enim possumus dicere, sive minus valemus, nec possumus, utrumque apud nos parvum est; nec in magnis ponderibus ducimus, vel ignorare istud, vel scire: unum solum posuisse contenti (13), nihil a Deo principe quod sit nocens atque exitiabile proficisci. Hoc tenemus, hoc novimus, in hac una consistimus cognitionis et scientiæ veritate, nihil ab eo fieri, nisi quod sit omnibus salutare, quod dulce, quod amoris et gaudii lætitiæque plenissimum; quod infinitas habeat atque incorruptibiles voluptates, quod sibi quisque contingere votis omnibus expetat, forisque ab his esse exitiabile ac mortiferum ducat. Cætera quæcumque sunt alia, quæ in quæstionibus assolent controversiisque versari, quibus genitoribus orta sint, vel quibus auctoribus fiant, neque nosse contendimus, neque inquirere aut vestigare curamus. Suis omnia relinquimus causis, nec ad id quod expetimus, esse nobis adjuncta atque applicata judicamus.

XXIII. Quid est enim quod humana ingenia labefactare, dissolvere studio contradictionis non audeant, quamvis illud quod infirmare moliuntur sit purum et liquidum et veritatis obsignatione munitum? Aut quid rursus asserere verisimilibus argumentis non queunt, quamvis sit apertissime falsum, quamvis evidens manifestumque mendacium? Cum enim sibi persuaserit quis esse aliquid, aut non esse, amat quod opinatur asserere, et acumine alios anteire; maxime si agatur res summota, et abdita, et caligine involuta naturæ. Mundum quidam ex sapientibus æstimant neque

esse natum, neque ullo esse in tempore periturum; immortalem nonnulli, quamvis eum conscribant esse natum et genitum : tertiis vero collibitum dicere est, et esse natum, et genitum, et ordinaria necessitate periturum. Et cum ex istis opinionibus trinis unam esse necesse sit veram, cunctis tamen argumenta non desunt, quibus et sua decreta confirment, et aliorum subrumpant et labefaciant scita. Eumdem hunc alii elementis ex quatuor tradunt et pronuntiant stare, ex geminis alii, ex singulis tertii. Sunt qui ex his nullo, sed individua corpora ejus esse materiem et primam originem dicant. Cumque ex his vera sit una sententia, aut nulla ex his certa, similiter hic quoque argumenta omnibus præsto sunt, quibus et ea quæ dicunt vera esse constituant, et redarguant positas in aliorum sententiis falsitates. Sic et deos nonnulli esse abnegant : prorsus dubitare se alii an sint uspiam dicunt; alii vero existere, neque humana curare : imo alii perhibent, et rebus interesse mortalium, et terrenas administrare rationes. Cum ergo hæc ita sint, neque aliter fiat quin sit unum ex omnibus verum, pugnant tamen argumentis omnes, neque singulis deest id quod probabiliter dicant, sive cum suas res asserunt, sive cum alienis opinionibus contradicunt. Non alia neque absimili ratione de animarum ab his conditione disseritur : hic enim eas retur et esse perpetuas, et superesse mortalium functioni : superesse ille non credit, sed cum ipsis corporibus interire : alterius vero sententia est, nihil eas continuo perpeti, sed post hominem positum aliquid eis ad vitam dari; mortalitatis deinde in jura succedere. Et cum omnia nequeant veri esse consortia, ita tamen fortibus et validissimis probationibus omnes agunt, ut reperire non possis quidnam tibi videatur falsum; quamvis ex omni parte diversa dici aspicias, et rerum contrarietatibus dissona. Quod utique non fieret si certum aliquid tenere curiositas posset

humana, vel quod videretur inventum, aliorum omnium comprobaretur assensu. Inanissima igitur res est et supervacui operis, tanquam scias aliquid promere, aut velle scire contendere quod, etsi sit verum, posse videas destrui; aut acceptare pro vero id quod forsitan non sit, et ex more allucinantium proferatur. Et merito res ita est. Non enim divina divinis, sed rationibus pendimus et conjectamus humanis : atque, ut fieri meruisse quid remur, ita esse oportere contendimus.

XXIV. Quid ergo? Nos soli ignoramus, nescimus, quisnam sit animarum conditor, quisnam constitutor? quæ causa hominem finxerit? mala unde proruperint? vel cur ea Rex summus et esse patiatur et confici, neque a rebus propellat humanis? Vos enim horum quidquam exploratum habetis et cognitum? Si suspicionum exponere volueritis audaciam, potestis explicare ac promere, mundus iste, qui nos habet, utrum non sit genitus, an tempore in aliquo constitutus? Si constitutus et factus est, quonam operis genere, aut rei cujus ob causam, potestis inducere atque expedire rationem? cur non fixus atque immobilis maneat, sed orbico semper circumferatur in motu? sua ipse se sponte et voluntate circumagat, an virtutis alicujus impulsionibus torqueatur? locus ipse ac spatium in quo situs est ac volutatur, quid sit; infinitus, finitus; inanis, an solidus? axis cum sustineat extremis cardinibus nitens, an ipse se potius vi propria sufferat, et spiritu interiore suspendat? Potestis interrogati planum facere, scientissimeque monstrare quid nivem in plumeas subaperiat crustulas? quidnam fuerit rationis et causæ ut non ab occiduis partibus dies primus exurgeret, et lucem in oriente finiret? quemadmodum sol ipse uno eodemque contactu tam varias res efficiat, quinimo contrarias? quid sit luna, quid stellæ? cur una specie aut illa non maneat, aut per omne mundi corpus frustilla hæc

ignea convenerit atque oportuerit figurari? alia ex his parva, ampliora et majora sint alia? obtusi hæc luminis, acutioris illa et fulgidæ claritatis? Si præsto est quod libuerit scire, et in aperto rerum est scientia constituta, edissertate nobis et dicite quibus modis fiant et rationibus pluviæ, ut in superis partibus atque in aëris hoc medio suspensa aqua teneatur, natura res labilis, et ad fluorem semper decursionemque tam prona. Edissertate, inquam, et dicite quid sit quod grandinem torqueat, quod guttatim faciat pluviam labi; quod imbres, quod nives plumeas et fulgora dilatarit; ventus unde oriatur, et quid sit; cur temporum vicissitudines institutæ, cum statui unum posset et una esse species cœli, nihil ut rerum desideraret integritas. Quæ est causa, quæ ratio, ut maria salsa sint, aut terrarum hæ dulces, aliæ sint amaræ vel frigidæ? Quo ex materiæ genere humanorum corporum concreta et stabilita sunt viscera? unde ossa solidata? Quid intestina, quid venas fistulatas et commeabiles fecerit? Cur cum esset utilius oculis nos illuminare compluribus ad periculum cæcitatis, duorum sumus angustiis applicati? Belluarum et anguium tam infinita atque innumerabilia genera, cujus rei sunt causa vel informata, vel prodita? Quid in mundo faciunt bubones, immussuli, buteones? quid alites et volucres cæteræ? quid formicarum et vermium genera, in varias labes perniciesque nascentia? quid pulices? quid impudentes muscæ, araneæ, sorices, mures, sanguisugæ, tippulæ? quid spinæ, quid sentes, quid avenæ, quid lolium? quid herbarum aut fruticum suaveolentia naribus, aut tristitia in odoribus semina? Imo, si aliquid sciri, comprehendi aut aliquid si posse censetis, quid sit triticum dicite, far, hordeum, milium, cicer, faba, lenticula, melo, cuminum, porrina, ulpicum, cepe: non enim si fructui vobis sunt, et ciborum mediis in generibus constituta, expeditum aut promptum est quid

sint singula scire, cur talibus figurata sint formis; fuerit necessitas aliqua ut non alios sapores, alios odores, alios colores quam quos habent singulæ res habere debuerint, an et alios potuerint sumere; ipsa deinde hæc quid sint, sapor dico ut est sapor, et cætera qualitatum distantias quibus ex rationibus ducant. Ex elementis, inquitis, et ex principalibus originibus rerum. Amara sunt enim elementa vel dulcia, odoris sunt alicujus vel coloris, ut ex eorum concretione credamus partitas esse in nascentibus qualitates, quibus aut suavitas nascitur, aut sensibus offensio comparatur? Cum igitur et vos ipsos tantarum ac tot rerum fugiant origines, fugiant causæ, fugiant rationes, neque dicere neque explanare possitis quid sit aut factum, aut quare aut cur oportuerit non esse, verecundiam convellitis et dilaceratis nostram, qui quæ nequeunt sciri nescire nos confitemur, neque ea conquirere aut investigare curamus quæ comprehendi liquidissimum est non posse, quamvis mille per corda suspicio se porrigat atque intendat humana.

XXV. Et ideo Christus, licet vobis invitis Deus, Deus inquam Christus, hoc enim sæpe dicendum est ut infidelium dissiliat et dirumpatur auditus, Dei principis jussione loquens sub hominis forma, cum mortalium sciret cæcam esse naturam, neque ullam posse comprehendere veritatem positarum nec ante oculos rerum, pro comperto habere et cognito quidquid sibi esse suasisset, et prorsus suspicionibus hæsitare, litigiosas serere atque intendere quæstiones: omnia ista nos linquere et posthabere præcepit, neque in res eas quæ sint a nostra procul cognitione dimotæ, infructuosas immittere cogitationes; sed quantum fieri potis est, ad Dominum rerum tota mente atque animo proficisci, sustolli ab his locis, atque in eum traducere suspensas pectoris conversiones, memoriam ejus habere perpetuam; et licet nulla possit imaginatione formari, auras tamen nescio quas ejus

sibi contemplationis affingere : rebusenim ex omnibus quæ augustæ continet divinitatis obscuritas, solum esse indubitabilem, solum verum, et de quo nullus ambigere, nisi amens possit et desperationis insanæ; quem satis sit scire, ut nihil aliud noveris; sisque veram et maximam scientiam consecutus, in Deo rerum capite et cognitione defixus. Quid est, inquit, vobis investigare, conquirere quisnam hominem fecerit? animarum origo quæ sit? quis malorum excogitaverit causas? orbe sit sol amplior, an pedis unius latitudine metiatur? alieno ex lumine, an propriis luceat fulgoribus luna? quæ neque scire compendium, neque ignorare detrimentum est ullum. Remittite hæc Deo, atque ipsum scire concedite quid, quare, aut unde sit; debuerit esse, aut non esse; semper natum sit aliquid, an ortus primigenios habeat; aboleri conveniat, an reservari; exuri, dissolvi, an repetita integritate renovari. Vestris non est rationibus liberum implicare vos talibus, et tam remota ab utilitate curare. Res vestra in ancipiti sita est, salus dico animarum vestrarum, et nisi vos applicatis Dei principis notioni, a corporalibus vinculis exolutos expectat mors sæva, non repentinam afferens extinctionem, sed per tractum temporis cruciabilis pœnæ acerbitate consumens. Neque illud obrepat, aut spe vobis aëria blandiatur, quod a sciolis nonnullis et plurimum sibi arrogantibus dicitur : Deo esse se gnatos, nec fati obnoxios legibus; si vitam restrictius egerint, aulam sibi ejus patere, ac post hominis functionem, prohibente se nullo, tanquam in sedem referri patritam : neque quod magi spondent, commendatitias habere se preces quibus emollitæ nescio quæ potestates, vias faciles præbeant ad cœlum contendentibus subvolare : neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato, divinas animas fieri, et ab legibus mortalitatis educi. Blandimenta

hæc cassa sunt, et inanium fomenta votorum. Servare animas alius, nisi Deus omnipotens non potest : nec præterea quisquam est qui longævas facere perpetuitatis possit et spiritum subrogare, nisi qui immortalis et perpetuus solus est, et nullius temporis circumscriptione finitus. Cum enim dii omnes, vel quicumque sunt veri, vel qui esse rumore atque opinione dicuntur, immortales et perpetui voluntate ejus sint et beneficii munere; qui fieri potis est ut alii præstare id quod ipsi sunt valeant, cum alienum id habeant et majori ex potentia commodatum? Cædat licet hostias quantaslibet Etruria; humana sibi omnia sapientes negent; magi cunctas emolliant et commulceant potestates : nisi a Domino rerum datum fuerit animis id quod ratio postulat, idque per mandatum, multum postea pœnitebit fuisse irrisui, cum ad sensum cœperit interitionis accedi.

XXVI. Sed si, inquiunt, Christus in hoc missus a Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid sæcula commeruerunt priora, quæ ante ipsius adventum mortalitatis conditione consumpta sunt? Potestis enim scire quid sit cum eis animis actum priscorum veterrimorumque mortalium? subventum et his an sit ratione aliqua, consultum atque provisum? Potestis, inquam, scire id quod Christo potuit docente cognosci; infinita an finita sint sæcula, ex quo in terris esse genus hominum cœpit? quando primum animæ corporibus alligatæ? quis auctor vinctionis istius; quinimo, ipsius quisnam hominis fabricator? quo priorum abcesserint animæ? quibus in mundi partibus aut regionibus fuerint corruptibiles, an contra? potuerintne accedere ad periculum moriendi, nisi tempore necessario conservator occurrisset Christus? Exponite has curas, et incognitas vobis relinquite quæstiones : miseratio et illis impertita est Regia, et æqualiter per omnes divina beneficia cucurrerunt : conservatæ sunt, liberatæ

sunt, et mortalitatis sortem conditionemque posuerunt. Quo genere, quæ, quando? Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset a vobis, jamdudum hoc eo scire potuistis auctore. Sed si generis Christus humani, ut inquitis, conservator advenit, cur omnino non omnes æquali munificentia liberat? Non æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat? aut ab indulgentia principali quemquam repellit aut despuit, qui sublimibus, infimis, servis, fœminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit? Patet, inquit, omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, ut oblati respuas beneficium muneris; quinimo si tantum sapientia prævales, ut ea quæ offeruntur a Christo ludum atque ineptias nomines : quid invitans in te peccat, cujus solæ sunt hæ partes ut sub tui juris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi nulli est, inquit Plato, Deus causa, neque alterius voluntas ascribi potest cuiquam recte, cum voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate, qui voluit. An numquid orandus es, ut beneficium salutis ab Deo digneris accipere; et tibi aspernanti, fugientique longissime, infundenda in gremium est divinæ benevolentiæ gratia? Vis sumere quod offertur, atque in tuos usus convertere? consulueris tu tibi. Aspernaris, contemnis, et despicis? tu te muneris commoditate privaveris. Nulli Deus infert necessitatem; imperiosa formidine nullum terret. Neque enim necessaria nostra illi salus est, ut compendii aliquid dispendiive patiatur, si aut deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis dissolutione permiserit.

XXVII. Imo, inquit, si Deus est potens, misericors, conservator, convertat nobis mentes, et invitos faciat suis pollicitationibus credere. Vis ergo est ista, non gratia; nec Dei liberalitas principis, sed ad vincendi studium puerilis atque animi contentio. Quid est enim tam injustum quam

repugnantibus, quam invitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint et quod refugiant animis? prius noscere quam prosis? et priore detracto, in alienum habitum sententiamque traducere? Tu qui te verti et vim desideras perpeti, ut id quod nolis efficias atque arripias coactus; cur respuis assumere voluntate id quod versus desideras atque immutatus efficere? Nolo, inquit, et voluntatem non habeo. Qui ergo criminaris Deum, tanquam tibi desit? Opem desideras tibi ferre, cujus dona et munera non tantum asperneris et fugias, verum inania verba cognomines, et jocularibus facetiis prosequaris? Christianus ergo ni fuero, spem salutis habere non potero? Ita est, ut ipse proponis. Partes enim salutis dandæ, conferendique animis quod tribui convenit necessariumque est applicari, solus a Deo patre injunctum habet et traditum, ita se habentibus remotis atque interioribus causis. Ut enim dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id quod ejus non sit potestatis ac licentiæ postulatis: ita unius pontificium Christi est, dare animis salutem et spiritum perpetuitatis apponere. Si enim patrem creditis Liberum dare posse vindemiam, medicinam non posse; si Cererem fruges, si Æsculapium sanitatem; si Neptunum aliud, aliud posse Junonem, Fortunam, Mercurium, Vulcanum, rerum esse singulos certarum ac singularum datores: et hoc necesse a nobis est ut debeatis accipere, a nullo animas posse vim vitæ atque incolumitatis accipere, nisi ab eo, quem Rex summus huic muneri officioque præfecit. Hanc omnipotens Imperator esse voluit salutis viam; hanc vitæ, ut ita dixerim, januam. Per hunc solum est ingressus ad lucem, neque alias datum est vel irrepere, vel invadere, cæteris omnibus clausis atque inexpugnabili arce munitis. Licet ergo tu purus et ab omni fueris vitiorum contaminatione purgatus, conciliaveris illas atque inflexeris potestates,

ad cœlum redeunti ne vias claudant atque obsepiant transitum, ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmium, nisi quod ipsam immortalitatem facit Christo attribuente perceperis, et veram fueris admissus ad vitam.

XXVIII. Nam quod nobis objectare consuestis, novellam esse religionem nostram, et ante dies natam propemodum paucos, neque vos potuisse antiquam et patriam linquere, et in barbaros ritus peregrinosque traduci; ratione istud intenditur nulla. Quid enim si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquissimis sæculis, quod inventis frugibus glandes spreverint, et repudiaverint arbuta? quod corticibus contegi et amiciri desierint pellibus, postquam vestis excogitata est textilis, usu et commoditate succinctior? aut quod structis domibus et lautioribus successibus institutis, non antiquas adamaverint casulas, nec sub rupibus et cavernis præoptaverint ut belluæ permanere? Commune est omnibus, et ab ipsis pene incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus utilia præponere, et quod esse constiterit pretiosius, lætius, id consectari et petere; in eoque defigere spem priorum, salutis, et salutarium commodorum. Itaque cum nobis intenditis aversionem a religione priorum, causam convenit ut inspiciatis, non factum; nec quid reliquerimus opponere, sed secuti quid simus potissimum, contueri. Nam si mutare sententiam culpa est ulla vel crimen, et a veteribus institutis in alias res novas voluntatesque migrare; criminatio ista et vos spectat, qui toties vitam consuetudinemque mutastis, qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione transistis. Numquid enim quinque in classes habetis populum distributum, vestri olim ut habuere majores? Numquid magistratus per populum creatis? militaria, urbana, communia quæ sint comitia, scitis? servatis de cœlo, aut otiosas

facitis obnuntiationibus actiones? Cum paratis bella, signum monstratis ex arce? aut fetialia jura tractatis? Per clarigationem repetitis res raptas? aut Martium discrimen obeuntes spem prælii sumitis, et ex acuminibus auspicatis? In potestatibus obeundis leges conservatis annarias? in donis, in muneribus Cincias? in cohibendis Censorias sumptibus? In penetralibus coliginis perpetuos fovetis focos? Sacras facitis mensas salinorum apposito, et simulacris deorum? Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, et maritorum genios advocatis? Nubentium crinem cælibari hasta mulcetis? Puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem? Matresfamilias vestræ in atriis operantur domorum, industrias testificantes suas? potionibus abstinent vini? affinibus et propinquis osculari eas jus est, ut sobrias comprobent atque abstemias se esse? In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quam nivei tauros immolare candoris : nonne istum morem religionemque mutastis, atque ut rufulos liceret dari Senatus constitutum sanctione? Cum, Romulo Pompilioque regnantibus, percocta plane ac madida concremarentur diis exta, nonne rege sub Tullio semicruda cœpistis et leviter animata porricere, prisca observatione contempta? Ante adventum in Italiam Herculis, cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus supplicaretur; et hunc similiter morem non fraude callidula et nominum ambiguitate mutastis? Cum igitur et vos ipsi modo illos mores, modo illas leges fueritis secuti, multaque, vel erroribus cognitis vel animadversione meliorum, sint a vobis repudiata, contempta; quid est a nobis factum contra sensum judiciumque commune, si majora et certiora delegimus, nec sumus nos passi falsorum religionibus attineri?

XXIX. Sed novellum nomen est nostrum, et ante dies paucos religio est nata quam sequimur. Ut interim conce-

dam id quod nobis objicitur intentionis esse non falsæ : quid est enim in negotiis hominum, quod vel opere corporis et manibus fiat, vel solius animi disciplina et cognitione teneatur, quod non aliquo cœperit tempore, et in usum exierit experientiamque mortalium? Ede an philosophia, musica, cæteræque omnes artes, quibus vita est et culta et expolita communis, cum hominibus natæ sunt, et non potius nuper, quinimo pene paulo ante, agitari, intelligi celebrarique cœperunt? Antequam Tages Thuscus oras contingeret luminis, quisquam hominum sciebat, aut esse noscendum condiscendumque curabat an fulminum casibus aut extorum aliquid significaretur in venis? Quando siderum motus aut ratio cœpta est genethliaca sciri? non post Theutin Ægyptium, aut post Atlantem, ut quidam ferunt, gestatorem, bajulum, tibicinem illum ac destinam cœli? Sed quid ego hæc parva? ipsi dii immortales, quorum modo aditis templa, et numina suppliciter adoratis, sicut vestris litteris atque opinionibus traditur, non esse, non sciri ab temporibus cœperunt certis, et impositis nominum appellationibus nuncupari? Nam si verum est ex Saturno atque ejus uxore Jovem suis cum fratribus procreatum, ante nuptias et partus Opis nusquam fuerat Jupiter tam supremus quam Stygius, nusquam sali dominus, nusquam Juno; quinimo alius nullus, genitoribus duobus exceptis, cœli habitabat in sedibus : sed ex eorum concubitu concepti et nati sunt, et spiritum hausere vitalem. Certo ergo a tempore deus esse Jupiter cœpit, certo cultus et sacrificia commereri, certo fratribus in potestatibus anteponi. Rursus vero si Liber, Venus, Diana, Mercurius, Apollo, Hercules, Musæ, Tyndaridæ Castores, ignipotensque Vulcanus, Jove patre sunt proditi, et genitore Saturnio procreati, antequam Memoria, quam Alcmena, Maïa, Juno, Latona, Leda, Dione, tum et Semela Diespitri factæ sunt compressionibus fœtæ,

nusquam et hi gentium, nec in aliqua parte rerum fuere naturæ; sed ex conventu Jovis inseminati et nati sunt, et aliquem sensum sui habere cœperunt. Et hi quoque a tempore esse cœperunt certo, et in numero numinum, sacrorum ad cæremonias invocari. Quod ipsum similiter dicere translatum in Minervam licebit. Si enim Jovis, ut asseveratis, ex cerebro sine ullius seminis emicuit jactu; antequam est Diespiter genitus, et in utero matris corporeæ formam circumscriptionis accepit, certum est utique Minervam non fuisse, neque rerum in numero aut ulla esse in substantia computatam. Sed ex quo capite Jovis enata est, et esse res cœpit nonnulla in essentia constituta. Habet ergo primigenios ortus, et a certo cœpta est tempore dea dici, sacris in ædibus statui, et inviolabili religione sanciri. Quod cum ita se habeat, cum de novitate loquimini religionum nostrarum, vestræ vobis in mentem non veniunt, nec curatis inspicere quando sint exorti dii vestri, quas origines habeant, quas causas, vel ex quibus proruperint emicuerintque radicibus. Cujus est autem pudoris, quinimo inverecundiæ cujus, quod agere te videas in eo alterum reprehendere? maledicti et criminis loco dare ea quæ in te possint reciprocata vicissitudine retorqueri?

XXX. Sed quod agimus nos novum est; quod autem vos, priscum est et nimiæ vetustatis. Et quid istud aut vos juvat, aut nostram causam rationemque contristat? Nova res est quam gerimus? quandoque et ipsa vetus fiet. Vetus quam vos agitis? sed temporibus quibus cœpit nova fuit ac repentina. Religionis autem auctoritas non est tempore æstimanda, sed numine : nec colere qua die, sed quid, cœperis, convenit intueri. Ante quadringentos annos religio (14), inquit, vestra non fuit. Et dii vestri non fuerunt ante millia annorum duo. Quibus istud rationibus colligi, aut quibus supputationibus potest? Non difficilibus, non obscuris, sed

quas possit videre qui volet, et contrectare, quemadmodum dicitur, manibus. Quis Jovem cum fratribus genuit? Genialibus Opis adjunctus Saturnus, ut vos fertis, Cœlo atque Hecata procreatus. Quis Picum, Fauni patrem atque avum Latini? Saturnus, ut vos iidem vestris scriptis atque auctoribus traditis. Ergo si hæc ita sunt, sequitur ut Picus et Jupiter germanitatis sibi sociati sint jure, utpote uno ex sanguine unoque ex semine procreati. Consentaneum est ita esse quod dicitur. Ab Jove et Pico quot sunt generis usque ad Latinum gradus? Trini, ut indicat series. Vultis Faunus, Latinus et Picus annis vixerint vicenis atque centenis? ultra enim negatur posse hominis vita produci. Æstimatio justa et liquida est. Trecenti ergo sunt pleni, et sexaginta post hos anni. Res ita est, ut indicat supputatio. Cujus socer Latinus fuit? Æneæ. Genitor is Ascanii, cujus? Albani oppidi conditoris. Quot apud Albam regnatum est annis? quadringentis et prope bis denis. Ætatis urbs Roma cujus esse in annalibus indicitur? Annos ducit quinquaginta et mille, aut non multum ab his minus. Ergo ab Jove, qui frater est Pici, quique pater est minorum et reliquorum deorum, anni ad hæc tempora prope millia duo sunt, aut pleni, ut largiamur ætati. Quod cum redargui non possit, non tantum recens nata religio ostenditur quam obitis; sed infantes et parvulos esse ipsos adhuc deos quibus tauros atque alias hostias cum periculo corruptionis suggeritis, quos oportebat adhuc mammis atque stillato lacte nutriri.

XXXI. At religiones vestræ multis annis præcedunt nostram, et eo sunt veriores quod vetustatis auctoritate munitæ sunt. Et quid eas prodest annis quamplurimis anteire, cum a certo cœperint tempore? aut spatii cujus sunt millia annorum duo, sæculorum tantis comparata cum millibus? Ac tamen ne causam tam longa prodere dissimulatione vi-

deamur, nisi molestum est, dicite, omnipotens et primus Deus novella vobis videtur res esse; et qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atque inducere religiones? Estne illo antiquius quidquam? aut quod eum præcedat re, tempore, nomine, potest aliquid inveniri? Nonne solus ingenitus, immortalis et perpetuus solus est? Quis caput ac fons rerum est? non ipse? Cui debet æternitas hoc ipsum quod nuncupatur æternitas? non ipsi? Infinita ut prodeant sæcula, non ex ejus perpetuitate perficitur? Indubitabile istud et verum. Non ergo quod sequimur novum est, sed nos sero addidicimus quidnam sequi oporteat et colere, aut ubinam convenire, et spem salutis affigere, et salutaria subsidia collocare. Nondum enim affulserat qui viam monstraret errantibus, et caligine in altissima constitutis cognitionis lumen immitteret, et ignorationis discuteret cæcitatem. Sed causa in hujusmodi vertimur soli? Quid? vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Pisonem et Gabinium consules in numerum vestrorum retulistis deorum? Quid? Phrygiam matrem, cujus esse conditor judicatur vel Midas, vel Dardanus, non, cum Hannibal Pœnus res Italas raperet et terrarum exposceret principatum, et nosse et scire cœpistis, et memorabili religione sancire? Sacra Cereris matris, non quod vobis incognita essent, adscita paulo ante, obtentum est ut Græca dicantur, novitatem ipsam testificante cognomine? Non doctorum in litteris continetur, Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta nescire? Ex quo apparet et liquidum est, et hunc vobis fuisse incognitum, post autem aliquando cœpisse esse et notum. Si quis igitur vos interroget cur eorum numinum quorum modo fecimus mentionem, tam sero susceperitis cultum, responsuros vos certum est, aut : Quia illos nuper deorum esse in numero nesciebamus; aut, Quia nunc sumus a vatibus moniti; aut, Quia in rebus asperrimis bene-

ficiis eorum sumus auxiliisque servati. Quod si a vobis recte existimabitis dici, et ex nostris partibus ratione consimili existimatote esse responsum. Religio nostra nunc nata est: nunc enim missus advenit qui eam nobis ostenderet, qui in ejus induceret veritatem, qui Deus monstraret quid sit, qui ad ejus nos cultum ab rebus opinabilibus avocaret.

XXXII. Et quid, inquit, est visum Deo regi atque principi, ut ante horas, quemadmodum dicitur, pauculas sospitator ad vos Christus cœli ex arcibus mitteretur? Interrogamus et vos contra : Quæ causa, quæ ratio est, ut non suis aliquando reddantur mensibus tempora, sed serius hiems, serius æstas, atque autumnitas fiant? Cur post messes arefactas atque extincta frumenta, nonnunquam decidant pluviæ, quas rebus oportuit incolumibus labi, atque temporis opportunitatibus ministrari? Imo illud exquirimus potius : Cur si Herculem oportuit nasci, si Æsculapium, Mercurium, Liberum, aliosque nonnullos, qui et conciliis adjungerentur deorum, et mortalibus aliquid utilitatis afferrent, tam sero a Jove sint proditi, ut sola illos posteritas sciret, superiorum vero ignoraret antiquitas? Rationem aliquam fuisse dicetis? Ratio ergo et hic fuit cur non nuper, sed hodie sospitator nostri generis adveniret. Quænam igitur ratio est? Non imus inficias nescire nos. Neque enim promptum est cuiquam Dei mentem videre, aut quibus modis ordinaverit res suas. Homo animal cæcum et ipsum se nesciens, nullis potest rationibus consequi quid oporteat fieri, quando, vel quo genere. Ipse rerum cunctarum Pater, moderator et dominus scit id solus. Nec si ego nequivero causas vobis expromere cur aliquid fiat illo vel hoc modo, continuo sequitur ut infecta fiant quæ facta sunt, et amittat res fidem quæ generibus virtutum tantis et potestatum indubitabilis esse monstrata est. Tu opponas et referas : Cur tam sero emissus est Sospitator? In infinitis perpetuis sæculis nihil omnino di-

cendum est serum. Ubi enim finis et initium nullum est, nihil præmaturum est, nihil tardum. Tempus enim a finibus et extremitatibus noscitur, quæ habere non potest series et immoderata continuatio sæculorum. Quid enim si res ipsæ quibus opem conveniebat ferri, opportunitatem istam temporis exigebant? quid si alterius conditionis antiqua, alterius fuere sequentia? quid si priscis aliter subveniri, aliter debuit posterioribus consuli? Nonne litteras auditis commemorantes vestras, fuisse homines olim semideos, heroas, cum immanibus corporibus atque vastis? non infantes sub uberibus matrum Stentoreos legitis edidisse vagitus, quorum ossa variis in regionibus eruta, vix repertoribus fecerunt fidem humanorum reliquias esse membrorum? Potest ergo fieri ut tum demum emiserit Christum Deus omnipotens, Deus solus, postquam gens hominum fractior, et infirmior cœpit nostra esse natura. Si quod hodie factum est ante millia fieri oportuisset annorum, fecisset istud Rex summus : aut si post totidem millia id quod hodie factum est debuisset impleri, nihil Deum cogebat necessarias temporum non expectare mensuras. Rationibus fixis peraguntur res ejus, et quod semel decretum est fieri nulla potest novitate mutari.

XXXIII. Cum ergo, inquitis, omnipotenti servitis Deo, et cum habere confiditis salutis atque incolumitatis vestræ curam, cur persecutiones patitur perpeti vos tantas, atque omnia genera pœnarum et suppliciorum subire? Requirimus et nos contra : Cur et vos, cum tantos et tam innumeros colatis deos, cumque illis sedes constituatis sacras, simulacra effingatis ex auro, animantium mactetis greges, acerras omnes thuris plenis conjiciatis altaribus; cur non immunes agitis tot discriminibus et procellis, quibus quotidie vos agunt exitiabiles multiplicesque fortunæ? Cur, inquam, dii vestri cessant a vobis avertere tot morborum et valetudinum

genera, naufragia, ruinas, incendia, pestilentias, sterilitatem, amissionem pignorum et proscriptionem bonorum, discordias, bella, simultates, captivitates urbium, et sublatis ingenuitatibus servitutes? Sed et nobis in hujusmodi casibus minime auxiliatur Deus. Prompta et manifesta causa est. Nihil enim est nobis promissum ad hanc vitam, nec in carunculæ hujus folliculo constitutis opis aliquid sponsum est auxiliique decretum. Quinimo edocti sumus minas omnes, quæcumque sunt, parvi ducere atque æstimare fortunæ; ac si quando ingruerit vis quæpiam gravior, qua finem necesse sit consequi vitæ, eam nec timere nec fugere, quo facilius exui corporalibus possimus ex vinculis, et tenebrosam evadere cæcitatem. Itaque ista, quam dicitis, persecutionis asperitas, liberatio nostra est, non persecutio : nec pœnam vexatio infert, sed ad lucem libertatis educet. Ut si aliquis brutus ac stolidus in carcerem hominem datum quæstionum nunquam afficere se gravibus atque immanibus existimet pœnis, nisi in ipsum sæviat carcerem, materiam ejus comminuat atque urat, tectum, parietem, januas, partesque alias operis renudet, dejiciat, affligat, nesciens hoc facto ei cui videatur officere, dari ab se lucem et sceleratam eripi cæcitatem : itidem et vos flammis, exiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis et diu vexatis nostra, non vitam eripitis nobis, sed pelliculis relevatis et cutibus vos nescii; et quantum instatis et pergitis in effigies has nostras speciesque sævire, tantum atris et gravibus relevatis nos vinculis, et ad lumen efficitis circumcisis nexibus evolare. Quare, homines, abstinete quæstionibus vacuis impedire spes vestras : nec, si aliter quam vos putatis aliquid se habet, vestris potius opinionibus credere, quam rei debetis augustæ. Urgent tempora periculis plena, et exitiabiles imminent pœnæ : confugiamus ad salutarem Deum, nec rationem muneris exigamus oblati. Cum de animarum agitur salute, ac de

respectu nostri, aliquid et sine ratione faciendum est; ut Epictetum dixisse approbat Arrianus. Dubitamus, ambigemus, nec esse quod dicitur plenum fidei suspicamur : committamus nos Deo, nec plus apud nos valeat incredulitas nostra, quam illius nominis et potentiæ magnitudo; ne dum ipsi nobis argumenta conquirimus quibus esse videatur falsum id quod esse nolimus atque abnutemus verum, obrepat dies extremus, et inimicæ mortis reperiamur in faucibus.

LIBER TERTIUS.

I. Jamdudum quidem criminibus his omnibus [1], maledictionibus potius, ut vera dicamus, ab excellentibus parte in hac viris, et veritatem istam commeritis nosse, satis plane accurateque responsum est : neque apex ullus ullius prætermissus est quæstionis, qui non sit modis mille et rationibus validissimis refutatus. Non est igitur necessarium parte in hac causæ diutius immorari. Neque enim res stare sine assertoribus non potest et religio Christiana; aut eo esse comprobabitur vera, si astipulatores habuerit plurimos et auctoritatem ab hominibus sumpserit. Suis illa contenta est viribus, et veritatis propriæ fundaminibus nititur : nec spoliatur vi sua, etiamsi nullum habeat vindicem; imo si linguæ omnes contra faciant contraque nitantur, et ad fidem illius abrogandam consensionis unitæ animositate conspirent. Nunc ad ordinem revertamur, a quo sumus necessario paulo ante digressi : ne diutius interrupta defensio palmam criminis comprobati calumniatoribus concessisse dicatur.

II. Subjiciunt enim hæc : Si vobis divina res cordi est, cur alios nobiscum neque deos colitis neque adoratis, nec cum vestris gentibus communia sacra miscetis, et religionum conjungitis ritus? Possumus interim dicere : Ad cultum divinitatis obeundum satis est nobis Deus primus; Deus, inquam, primus, pater rerum ac dominus, constitutor mode-

[1] Vide D. Guillon, tom. III, p. 353 et seqq.

ratorque cunctorum : in hoc omne quod colendum est colimus; quod adorari convenit, adoramus; quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis ipsius teneamus caput, a quo ipsa divinitas divorum omnium, quicumque sunt, ducitur, supervacuum putamus personas ire per singulas : cum et ipsi qui sint et quæ habeant nomina nesciamus; et cujus sint præterea numeri, neque liquidum, neque comprehensum, neque exploratum habere possimus. Atque ut in terrestribus regnis necessitate nulla compellimur regalibus in familiis constitutos nominatim cum principibus adorare, sed in regum ipsorum cultu, quidquid illis annexum est, tacita et se sentit honorificentia comprehendi : non alia ratione quicumque hi dii sunt quos esse nobis proponitis, si sint progenies regia, et principali oriantur e capite, etiam si nullos accipiant nominatim a nobis cultus, intelligunt se tamen honorari communiter cum suo rege, atque in illius venerationibus contineri.

III. Et hoc quidem a nobis fuerit ita prolatum, si modo liquet et constat præter ipsum Regem et Principem esse alia etiamnum capita, quæ, digesta et separata per numerum, velut quemdam populum plebeiæ multitudinis faciant. Neque nobis in ædibus sacris effigies pro diis et illa simulacra velitis ostendere : quæ intelligitis vos quoque, at recusatis et renuitis confiteri, vilissimi esse formas luti, et fabrorum figmenta puerilia. At cum de re loquimur divina vobiscum, hoc ut ostendatis exposcimus, esse deos alios natura, vi, nomine; non in simulacris propositos quos videmus, sed in ea substantia in qua conveniat æstimari tanti esse nominis oportere virtutem. Sed consilium non est parte in hac causæ diutius immorari, ne lites maximas concitare, ac tumultuosa conserere videamur velle certamina. Sit ista, ut prædicatis, plebs numinum; sint deorum

innumeræ gentilitates : adstipulamur, acquiescimus, connivemus, nec in aliqua quæstione dubitabile istud ambiguumque configimus. Illud tamen a vobis audire exposcimus et rogamus, unde vobis compertum est, vel quibus rationibus comprehensum, hinc dii sint in cœlo quos esse existimatis et colitis; an nescio qui alii, opinionis et nominis inauditi? Potest enim fieri ut hi sint quos esse non remini; et quos esse confiditis, in nulla inveniantur parte naturæ. Neque enim cœli aliquando subvolastis ad sidera, singulorum facies atque ora vidistis; et quos esse memineritis illic deos, eosdem hic colere, tanquam notos instituistis ac visos. Sed et illud rursus desideramus audire a vobis, impositane habeant hæc nomina quibus eos vocatis, an ipsi hæc sibi diebus imposuerint lustricis? Si divina hæc sunt et cœlestia nomina, quis detulit ad vos ea? Sin autem a vobis appositas appellationes has habent, quemadmodum potuistis vocabula his dare quos neque videbatis aliquando, neque quales aut qui essent in ulla cognitione noratis? Sed ut vultis et creditis, atque ut vobis persuasum est, hi dii sint; nominibus appellentur his etiam quibus eos populares censeri popularis vulgaritas ducit : unde tamen vobis scire quot nominis hujus censum compleant, etsi sint aliqui vobis in cognitionem, in usum aliquando notitiamque perlati? Neque enim sciri est facile, definita et certa sit eorum numeri multitudo; an sine ulla populositas summa sit, nec computationis alicujus rationibus terminata. Fingamus enim vos deos mille percolere, vel millia potius quinque : at in rerum natura potest forsitan fieri ut deorum millia centum sint; potest ut hoc amplius; immo, quod diximus paulo ante, potest deorum summa esse nulla, nec numerabili circumscriptione finita. Aut igitur et vos impii, qui præter deos paucos reliquorum officia non obitis : aut si vobis veniam cæterorum ignorantiæ postulatis, eamdem et nobis

conciliabitis veniam, si pro parte consimili eorum religionibus abstinemus, quos esse omnino nescimus.

IV. Et tamen, ne nos quisquam pervicaciter arbitretur sacramenta nolle suscipere cæterorum, quæcumque sunt, numinum; devotas etenim mentes et manus protendimus supplices, neque aspernamur quocumque invitaveritis accedere : si modo discamus quinam isti sint divi quos nobis ingeritis, et quos par sit adjungi summi Regis ac Principis venerationi. Saturnus, inquit, et Janus, et Minerva, Juno, Apollo, Venus, Triptolemus, Hercules, Æsculapius, et cæteri, quibus magnificas ædes cunctis pene in urbibus religiosa consecravit antiquitas. Invitare nos forsitan ad istorum numinum potuissetis cultum, si non ipsi vos primi opinionum turpium fœditate talia de illis confingeretis quæ non modo illorum polluerent dignitatem, sed minime illos esse qualitatibus comprobaretis adjunctis. Adduci enim primum hoc ut credamus non possumus, immortalem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, et esse partem unam mares, partem esse alteram fœminas. Quem quidem locum plene jamdudum homines pectoris vivi, tam Romanis litteris explicavere, quam Græcis : et ante omnes Tullius, Romani disertissimus generis, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter, et libere quid super tali opinatione sentiret, pietate cum majore monstravit. A quo si res sumere judicii veritate conscriptas, non verborum luculentias pergeretis, perorata esset et hæc causa; nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet. Sed quid aucupia verborum splendoremque sermonis peti ab hoc dicam, cum sciam esse non paucos qui aversentur et fugiant libros de hoc ejus, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum præsumpta vincentem? cumque alios audiam mussitare indignanter, et dicere oportere statui per Senatum aboleantur ut hæc scripta, quibus Chri-

stiana religio comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas? Quinimo si fiditis exploratum vos dicere quicquam de diis vestris, erroris convincite Ciceronem, temeraria et impia dictitare refellitote, redarguite, comprobate. Nam intercipere scripta, et publicatam velle submergere lectionem, non est deos defendere, sed veritatis testificationem timere. Ac ne tamen et nobis inconsideratus aliquis calumniam moveat, tanquam Deum quem colimus marem esse credamus, ea scilicet causa quod eum, cum loquimur, pronuntiamus genere masculino : intelligat non sexum, sed usu et familiaritate sermonis appellationem ejus et significantiam promi. Non enim Deus mas est, sed nomen ejus generis masculini est : quod idem vos dicere religione in vestra non quitis. Nam consuestis in precibus sive, Tu deus es, sive dea, dicere : quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum dijunctione ex ipsa declarat. Adduci ergo non possumus ut corpora credamus Deum : nam necesse est corpora, si sunt mares ac fœminæ, in significatu esse e generum distinctione. Quis enim vel exigui sensus nescit terrenorum ab illo animantium conditore non alia de causa generis diversi sexus institutos esse atque formatos, nisi ut per coïtus et connubia corporum res caduca et labilis, successionis perpetuæ innovatione duraret? Quid ergo? dicemus deos procreare, deos nasci? et idcirco his additas genitalium membrorum partes, ut sufficere prolem possent, et nova quaque suboriente fœtura, quidquid prior ætas abstulisset, recidiva substitutio subrogaret? Ergo si hæc ita sunt, id est, si dii procreant superi, et si per has leges experiuntur se sexus, suntque immortales, nec frigoribus fiunt senectutis effœti; sequitur ut debeant plena esse diis omnia, neque innumeros cœlos eorum capere multitudinem posse; siquidem et ipsi perpetuo generant, et per soboles sobolum multiplicata semper innumerabilitas ampliatur. Aut si obscœnitas co-

eundi, ita ut decet, ab diis abest, quæ causa ratioque monstrabitur cur insigniti sint his locis quibus sexus se solent libidinum propriarum admonitionibus recognoscere? Neque enim veri est simile haberi hæc frustra, aut improvidam in illis suave ludere voluisse naturam, ut eos his partibus aggeraret quibus utendum non est. Ut enim ad usus certos manus, pedes, oculi, cæteraque constructio membrorum sua quæque in officia constituta est; ita convenit credere in sui muneris functionem has esse partes comparatas: aut confidendum est in deorum corporibus esse aliquid vacuum, quod sit frustra atque inaniter fabricatum. Quid dicitis, o sancti atque impolluti antistites religionum?

V. Habent ergo dii sexus, et genitalium membrorum circumferunt fœditates, quas etiam ex oribus verecundis infame est suis appellationibus promere? Quid ergo jam superest, nisi ut eos credamus immundorum quadrupedum ritu, in libidinum furias gestire, cupiditatibus rabidis ire in mutuas complexiones, et ad postremum fractis dissolutisque corporibus, voluptatis enervatione languescere? Et quoniam quædam sunt fœminarum generis propria, sequitur ut eas quoque credamus circumactis persolvere suas mensibus leges, fastidiosos ducere atque habere conceptus, aboriri, perferre, et præpropero partu septimanas edere aliquando fœturas. O pura, o sancta, atque ab omni turpitudinis labe disparata atque abjuncta divinitas! Avet animus atque ardet in chalcidicis illis magnis atque in palatiis cœli deos deasque conspicere intectis corporibus atque nudis, ab Iaccho Cererem, musa ut prædicat Lucretii, mammosam; Hellespontiacum Priapum inter deas virgines atque matres circumferentem res illas, præliorum semper in expeditione paratas. Avet, inquam, videre deas gravidas, deas fœtas, gliscentibusque per dies alvis intestini ponderis morositate cunctari, parturire alias tractu longo, et manus obstetri-

cias quærere; alias telis gravibus et dolorum acuminibus fixas ejulare, tortari, et inter hæc omnia suppetias Junonis implorare Lucinæ. Nonne multo est rectius maledicere, conviciari, atque alia ingerere diis probra, quam obtentu pio talia de his monstra opinionum indignitate præsumere? Et audetis ascribere causam nobis offensionis deorum, cum si judicatio fiat certissima, in vobis reperiatur hæc esse, et in contumelia, quam opinamini stare? Nam si dii, ut dicitis, afficiuntur ira, et animorum indignationibus incalescunt; cur eos non putemus ægre atque acerrime sustinere dari sibi a vobis sexus, quibus canes porcique formati sunt? et cum ita credatis, non aliter se fingi, et ignominiosa cum ostentatione proponi? Ergo cum hæc ita sint, miseriarum omnium causa vos estis, vos deos impellitis, vos excitatis infestare omnibus malis terras, et nova quæque quotidie struere quibus ulcisci se possint, tot a vobis injuriis et maledictionibus exasperati. Maledictionibus, inquam, et injuriis, quas partim fabulis turpibus, partim opinionibus indecoris, quas vestri theologi, quas poëtæ, quas ipsi vos quoque ignominiosis celebratis in ritibus, res perditas invenietis humanas, et abjecisse clavum deos, si modo illorum curam spectat mortalium regere atque administrare fortunas. Nam nobis quidem cur irascantur non habent, quos vident et sentiunt neque se colere neque deridere, quod dicitur, et honestius quam vos multo de sui nominis dignitate existimare, credere. De sexu hactenus.

VI. Nunc ad speciem veniamus et formas quibus esse descriptos deos superos creditis, quibus imo formatis, et templorum amplissimis collocatis in sedibus. Neque quisquam Judaicas in hoc loco nobis opponat et Sadducæi generis fabulas, tanquam formas tribuant atque os Deo. Hoc enim putatur in eorum litteris dici, et ut vel re certa atque auctoritate firmari, quæ aut nihil ad nos attinent, nec

ex aliqua portione quidquam habent commune nobiscum: aut si sunt, ut creditur, sociæ, quærendi sunt vobis altioris intelligentiæ doctores, per quos possitis addiscere quibus modis conveniat litterarum illarum nubes atque involucra relaxare. Nostra de hoc sententia talis est : naturam omnem divinam, quæ neque esse cœperit aliquando, nec vitalem ad terminum sit aliquando ventura, lineamentis carere corporeis, neque ullas formarum effigies possidere quibus extima circumscriptio membrorum solet coagmenta finire. Quidquid enim tale est, mortale esse arbitramur et labile : nec obtinere perpetuam posse credimus ævitatem, quod extremis coërcitum finibus necessaria circumcludit extremitas. At vero vos deos parum est formarum quod amplectimini mensione, filo et adterminatis humano; et quod indignius multo est, terrenorum corporum circumcæsura finitis. Quid ergo? dicemus caput deos gestare tereti rotunditate collectum, retinaculis nervorum dorso illigatum ac pectori, et ad cervicum necessarias flexiones consertionibus verticum atque ossea substructione fulciri? Quod si accipiamus ut verum sit, aures etiam sequitur ut habeant curvis perterebratas anfractibus, oculorum orbiculos mobiles superciliorum marginibus obumbratos, suspensum imbricem narium, munctionibus mucculentis et spiritali commeabilem tractui; subactionibus ciborum dentes trini generis, atque in officia trina compositos; manus ministras operum, articulis, digitis et cubitorum mobilitate tractabiles; corporibus sustinendis pedes, explicandis gressibus, et suggerendis anticipationibus itionum. Quod si ea quæ prompta sunt, consentaneum est et illa portari quæ sub costis, earumque sub cratibus cutes contegunt, atque omentorum membranulæ, gurguliones, ventriculos, lienes, pulmones, vesiculas, jecora, intestinorum volubilium tractus, et per omnia viscera commeantes purpurei sanguinis ve-

nas, cum arteriis spiritalibus conjugatas. An numquid cœlestium corpora fœditatibus his carent; et quoniam cibis mortalibus abstinent, edentulos eos esse parvulorum credendum est ritu, et viduatos interioribus cunctis, tanquam utres sufflatos, turgidorum corporum inanitate pendere?

VII. Quid, quod si hæc ita sunt, erit vobis necessarium contueri, similesne sint dii omnes, an formarum dispari circumscriptione teneantur? Si enim par cunctis atque una est omnibus similitudinis species, non absurdum est credere errare eos fallique cognitionis in mutuæ comprehensione. Sin autem gerunt discrimen in vultibus, sequitur ut intelligi debeat non alia de causa dissimilitudines his datas, nisi ut singuli se possent differentium signorum proprietatibus noscitare. Ergo esse dicendum est quosdam capitones, silunculos, frontones, labeones? in his alios mentones, nævios, atque nasicas; hos displosis naribus, illos resimis; nonnullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione saccibucces; nanos, longos, medios, macilentos, pingues, crassos; hos capillorum intortionibus crispulos, calvitiis alioset glabritatibus rasos? Neque opinari nos falso, vestræ et produnt atque indicant officinæ. Siquidem cum facitis atque informatis deos, hos crinitos effingitis, alios leves, senes, juvenes, pueros, aquilos, cæsios, ravos, seminudos, intectos, aut, ne frigus incommodet, fluidarum vestium superjectione perfusos. Quisquamne est hominum rationis alicujus sapore contactus, qui pilos et lanugines credat in deorum corporibus nasci? qui annorum in illis inesse discrimina? qui et per varias tegminum atque amictuum formas vestitos hos ire, atque ab æstibus sese frigoribusque tutari? Quod qui habet verum, et hoc necesse tanquam verum accipiat esse deos fullones, esse tonsores, qui vel sacras eluant vestes, vel capillos imminuant silvescentium crinium velleribus involutos. Itane istud non turpe, non

impietatis et contumeliæ plenum est, moribundi et caduci animantis liniamenta diis dare? insignire his partibus quas enumerare, quas persequi probus audeat nemo, nec sine summæ fœditatis horrore mentis imaginatione concipere? Hoccine est illud fastidium vestrum, sapientia hæc arrogans, qua despuitis nos ut rudes, atque omnem scientiam remini rerum vobis divinarum patere? Ægyptiorum ridetis ænigmata, quod mutorum animantium formas divinis inseruerint causis, easdemque quod species multo thure accipiant, et reliquo cæremoniarum paratu : vos effigies hominum tanquam deorum veneramini potestates, nec pudet his ora terreni animalis imponere, erroris alios et stultitiæ condemnare, et in erroris ejusdem similitudine ac vitio deprehendi.

VIII. Nisi forte dicetis, alias quidem esse diis formas, sed honoris et dicis causa species vos eis accommodavisse mortalium. Quod majoris multo est contumeliæ, quam erroris aliquid ignoratione fecisse. Nam si vos fateremini id quod vestra suspicio credidisset, formamentis attribuisse divinis, minus erat injuriæ præsumpta in opinatione peccasse : nunc vero, cum aliud creditis et aliud fingitis, et in eos estis contumeliosi quibus id attribuitis quod eos confitemini non esse; et irreligiosi esse monstramini, cum id adoratis quod fingitis, non quod in re esse ipsaque in veritate est censetis. Si aselluli, canes, porci, humanum aliquid saperent, fingendique haberent artes, iidemque nos vellent cultu aliquo prosequi, et statuarum consecrationibus honorare; quantas nobis irarum flammas, indignationum quos turbines concitarent, si suorum corporum formas nostra vellent portare atque obtinere simulacra? Quantas, inquam, irarum flammas suffunderent, excitarent, si urbis conditor Romulus asinina staret in facie, si sanctus Pompilius in canina, si porcina sub specie nomen esset

Catonis aut Marci Ciceronis inscriptum? Ita ergo stoliditatem vestram non rideri, si rident, vestris aut numinibus remini? aut, quoniam censetis affici eos ira, non insanire, non furere, neque pro injuriis et contumeliis tantis ultum ire se velle, jaculari que in vos ea quæ dolor suetus est jacere et offensionis acerbitas comminisci? Quanto fuerat rectius elephantorum his formas, pantherarum aut tigridum, taurorum equorumque donare? Nam quid in homine pulchrum est, quid, quæso, admirabile vel decorum, nisi quod et clurino cum pecore nescio quis auctor voluit esse commune?

IX. Sed si vobis, inquiunt, nostra opinatio displicet, vos demonstrate, vos dicite qua sit Deus præditus forma. Si veram vultis audire sententiam, aut nullam habet Deus formam; aut si informatus est aliqua, ea quæ sit profecto nescimus. Neque enim quod vidimus nunquam, nescire esse ducimus turpe; aut ea re prohibemur aliorum sententias refutare, quia super hoc nostram nullam ipsi sententiam promimus. Ut enim si vitreus esse dicatur mundus, si argenteus, ferreus, vel ex fragili conglobatus et fabricatus testa, non dubitemus falsum esse contendere, quamvis quæ sit ejus materia nesciamus: ita cum de specie agatur Dei, quam perhibetis convincimus non esse, etiamsi quæ sit minus possumus explicare. Quid ergo, inquiet aliquis, non audit Deus? non loquitur? non ante se positas res videt, non intuetur? Suo forsitan genere, non nostro. Neque enim veri aliquid scire tanta in re possumus, aut suspicionibus indagare: quas esse apud nos liquet instabiles, lubricas, et vanorum similitudines somniorum. Si enim dixerimus iisdem illum rationibus videre quibus et nos videmus, sequitur ut intelligi debeat superjectas populis cum habere membranulas, connivere, nictare, radiis aut imaginibus cernere, aut quod oculis commune est omnibus, sine alte-

rius luminis commixtione nihil omnino conspicere. Quod ipsum similiter de auditu, ac de eloquii forma et verborum prolatione, dicendum est. Si per aures audiat, eas quoque habere flexuosis tramitibus perforatas, qua irrepere vox possit sensum nuntiatura sermonis : aut si verba ore funduntur, labia habere cum dentibus, quorum inflictu et mobilitate multijuga lingua sonos articulet, et vocem in verba conformet. Si nostri animi motum non recusatis audire, tantum abest ut nos Deo corporalia lineamenta tribuamus, ut animorum etiam decora ipsasque virtutes, quibus eminere vix concessum est paucis, tantæ rei vereamur ascribere. Quis enim Deum dixerit fortem, constantem, frugi, sapientem? quis probum? quis sobrium? quis imo aliquid nosse? quis intelligere? quis providere? quis ad fines officiorum certos actionum suarum decreta dirigentem? Humana sunt hæc bona, et ex oppositione vitiorum existimationem meruerunt habere laudabilem. Quis est autem tam obtusi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deum esse dicat magnum? aut ideo nominis majestate præcellere, quod vitiorum careat fœditate? Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum transilit et corrumpitur sensum : nec habet propriæ significationis notam quod nostris dicitur verbis, atque ad negotia humana compositis. Unus est hominis intellectus de Dei natura certissimus, si scias et sentias nihil de illo posse mortali oratione depromi. Et hæc vero prima est vestrorum numinum contumelia, quam de formis et sexibus boni scilicet vindices et religiosi constituistis auctores.

X. Illud vero quod sequitur, quale est quod deos nobis inducitis alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, citharistas, aulœdos, venatores, pastores, et quod supererat, rusticos? Ille, inquit, musicus deus est; et hic alter divinus est. Cæteri enim dii non sunt, et ventura prædicere in-

scitia nesciunt atque ignorantia futurorum. Obstetriciis ille informatus artibus, medicorum alius institutus est disciplinis. Ergone singuli sua in re pollent, nec in auxilium vocati alienis possunt in partibus subvenire? Hic in sermone facundus est, atque in verborum continuationibus promptus: bardi enim sunt alii, nec possunt aliquid scitum, si oratio facienda est, eloqui. At, rogo, quæ ratio est, quæ tam dura necessitas, quæ causa, ut artificia hæc superi tanquam viles noverint atque habeant sellularii? In cœlo enim cantatur et psallitur, ut intervalla et numeros vocum novem conserant scitulæ ac modulentur sorores? Sunt in sidereis motibus silvæ, sunt lustra, sunt nemora, ut venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana? Imminentia dii nesciunt, et sortibus vivunt agitanturque fatalibus, ut quid cuique crastinus dies ferat aut hora, Latonius explicet atque aperiat vates? ipse alio impletur deo, et vi numinis premitur exagitaturque majoris, ut merito dicatur habeaturque divinus? Corripiuntur dii morbis, et vulnerari, vexari aliqua ex re possunt, ut, cum exegerit ratio, auxiliator subveniat Epidaurius? Parturiunt, pariunt, ut difficiles puerperiorum tricas Juno mulceat, corripiatque Lucina? Rem rusticam tractant, aut curant militaria munera, ut flammipotens Vulcanus fabricetur his enses, aut ruris ferramenta producat? Vestis indigent tegmine, ut virgo Tritonia curiose iis stamen neat; et qualitate pro temporis, aut trilices tunicas, aut de serico et sine onere imponat? Accusant, et diluunt crimina, ut Atlantea progenies eloquii primas ferat studiosa exercitatione quæsiti?

XI. Erras, inquitis, et falleris: non enim ipsi opifices dii sunt, sed ingeniis hominum subjiciunt has artes, atque ut vita sit instructior, tradunt scienda mortalibus. Sed qui aliquam subjicit ignaro ac nescio disciplinam, solertemque hunc efficere nonnullius operis scientia contendit, sciat ipse

necesse est primus id quod alterum docere constituit. Neque enim traditor alicujus esse scientiæ potis est, ut non ejus quod tradit præcepta habeat cognita, et rationem teneat exercitatissime comprehensam. Dii ergo sunto artifices, primi sunto : sive quod, ipsi ut dicitis, subdunt scientiam mentibus; sive quod immortales et geniti nunquam, genus omne terrenum vetustate temporis antecedunt. Hoc est ergo quod quæritur, cum sit nullus apud superos artibus his locus, neque usus illorum neque natura deposcat ingeniosum aliquid aut sellularium scire; cur esse dicatis in aliis alios perceptionibus gnarures, et habere solertias in quibus singuli emineant, scientiarum cognitione discreti? Nisi forte hoc dicitis, deos artifices non esse, sed eos his artibus præsidere, curare; imo sub illorum posita esse tutela omnia quæ administramus, quæ gerimus; atque, ut bene ac feliciter cedant, illorum procisione curari. Quod quidem merito dici ac probabiliter videretur, si ad voluntatem semper sententiamque procederent ea quæ obimus, quæ gerimus, aut in negotiis periclitamur humanis. Cum vero in contrarium quotidie res vertantur, neque ad propositum voluntatis actionum respondeant fines, ludentis est dicere deos nobis superesse custodes, quos suspicio finxit nostra, non explorata veritas comprehendit. Per maria tutissimas præstat Portunus commeantibus navigationes : et cur insanum mare tam frequentes exposuit crudelium naufragiorum ruinas? Salutaria et fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus : et in contrarios exitus cur assidue vertitur placitorum inopinata mutatio? Armentorum et pecorum gregibus Pales præsunt Inuusque custodes : et cur sæva contagia et pestilentes morbos ab æstivis avertere cessatione inimica non curant? Flora illa genitrix, et sancta obscœnitate ludorum, bene curat ut arva florescant : et cur quotidie gemmulas et pubescentes herbas adurit atque in-

terficit nocentissimum frigus? Puerperiis Juno præposita est, et auxiliatur genitricibus fœtis : et matrum intereunt cur quotidie millia, parricidalibus nixibus interemptæ? In tutela Vulcani est ignis, et materies ejus in illius regimine constituta est : et cur ædes frequentissime sacras, atque urbium portiones, ad cinerem patitur flammarum voracitate collabi? Divinitatis scientiam largitur hariolantibus Pythius : et cur obliqua ac dubia, cur obscuritatis submersa caligine dat sæpius subministratque responsa? Æsculapius officiis et medendi artibus præest : et cur plura morborum et valetudinum genera ad sanitatem nequeunt incolumitatemque perduci, imo sub ipsis fiunt curantium manibus atrociora? Curat Mercurius ceromas, pugillatibus et luctationibus præest : et cur invictos omnes non perficit quibus præest? cur unius in officio præsidatus, hos victoriæ compotes, alios vero perpetitur ignominiosa infirmitate rideri? Tutelaribus, inquit, supplicat diis nemo, et idcirco singuli familiaribus officiis atque auxiliis desunt. Nisi enim thura et salsas accipiant fruges, benefacere dii nequeunt? et nisi pecorum sanguine delibutas suas conspexerint arulas, suos deserunt atque abjiciunt præsidatus? Atquin ego rebar paulo ante, spontaneas esse numinum benignitates, ultroque ab his fluere inexpectata benevolentiæ munera. Numquid enim Rex poli libamine aliquo exambitur aut hostia, ut omnia ista quibus vivitur commoda mortalium generi largiatur? Non fervorem genitalem solis Deus, noctis et tempora, ventos, pluvias, fruges, cunctis subministrat æqualiter bonis, malis, justis, ingenuis, servis, pauperibus, divitibus? Hoc est enim proprium Dei potentis ac veri, inexorata beneficia præbere fessis atque invalidis rebus, et multiformi semper asperitate vallatis. Nam sacrificiis editis id quod poscaris annuere, non est istud postulantibus subvenire, sed benignitatis propriæ munificentiam venditare. Ludimus et lascivimus tanta

in re homines, et quid sit Deus obliti, quid istius magnificentia nominis, quidquid vile vel sordidum suspiciosa potuimus credulitate confingere, divis tutelaribus arrogamus. Unctionibus, inquit, superest Unxia, cingulorum Cinxia replicationi, Victa et Potua sanctissimæ victui potuique procurant. O egregia numinum, et singularis interpretatio potestatum! nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur ab sponsis, nisi virginalia vincula jam ferventes dissolverent atque imminentes mariti, nisi potarent et manderent homines, dii nomina non haberent? Quid quod non contenti tam deformibus subdidisse atque implicuisse deos curis, naturas his etiam feras, truculentas, immanes, malis gaudentes semper, et humani generis attribuitis vastitate.

XII. Non commemorabimus hoc loco deam Lavernam furum, Bellonas, Discordias, Furias; et læva illa quæ constituitis numina, taciturnitatis silentio præteribimus. Martem ipsum ponemus in medio, et speciosam illam Cupidinum matrem : ex quibus unum præficitis præliis, amoribus alteram et cupiditatis ardori. Potestatem, inquit, bellorum Mars habet : utrumne ut mota compescat, an ut cessantia et quieta commoveat? Nam si sedator militaris insaniæ est, cur quotidie bella non desunt? Sin autem conditor illorum est, deum ergo dicemus in voluptatis suæ dulcedinem collidere orbem totum, discordiarum et discriminum causas inter gentes serere terrarum longinquitate dijunctas, conducere ex diverso tot mortalium millia, et intra verbi unius moras campos cadaveribus aggerare, sanguineos præcipitare torrentes, fundatissima delere imperia, æquare urbes solo, libertatem ingenuis abrogare, et servitutis conditionem imponere; dissensionibus gaudere civilibus, commorientium fratrum parricida nece, et ad ultimum filiorum et patrum parricidali congressionis horrere. Quod ipsum licebit in

Venerem pari atque eadem ratione traducere. Nam si amoris hæc flammas, sicut perhibetis et creditis, cogitationibus subdit humanis, sequitur ut intelligi debeat quidquid labis et criminis ab insania proficiscitur tali, id Venereis debere vulneribus imputari. Ergone dea cogente, in vilissimi nominis scorta suam sæpius produnt etiam nobiles dignitatem? disuniuntur tenacium matrimoniorum nexus? in incestas libidines necessitudo sanguinis inardescit? insaniunt in liberos matres? patres virginum suarum vota in se vertunt? contra decus ætatis senes in obscœnos ingemunt curis juvenabus appetitus? sapientes et fortes viri solvunt decreta constantiæ, virilitatis vigore mollito? innectuntur cervicibus laquei, conscenduntur ardentes rogi, et per vastas atque altissimas rupes jaciunt se passim voluntariis saltibus præcipitati? Quisquamne est hominum rationis alicujus primordiis imbutus, qui divinitatis constantiam tam fœdis polluat aut contaminet moribus? qui naturas attribuat diis tales, quas in agrestibus belluis lenitudo sæpe permulsit atque extenuavit humana? Ubinam, quæso, est illud, quod ab omni perturbationis affectu dii procul amoti sunt? quod lenes, placidi, mites, quod in genere virtutis unito perfectionis apicem atque ipsius retinent sapientiæ summitatem? aut cur eos oramus ut a nobis adversa atque inimica propellant, si malorum omnium quibus quotidie carpimur, ipsi esse nobis reperiuntur auctores? Quantumlibet nos impios, irreligiosos vocetis, aut atheos, nunquam fidem facietis esse amorum deos, esse bellorum, esse qui discordias conserant, qui furialibus stimulis animos inquietent. Aut enim verissime dii sunt, et ea quæ commemorastis non faciunt: aut si ea quæ dicitis faciunt, sine ulla dubitatione dii non sunt.

XIII. Et tamen possemus utcumque accipere a vobis has mentes impiarum plenissimas fictionum, si non multa de

diis ipsi tam contraria promentes, dissolventiaque se ipsa, sustinere animi compelleretis assensum. Cum enim in singulis singulos anteire interioris contenditis scientiæ laude, et deos ipsos quos opinamini tollitis, et reponitis alios quos manifestum est non esse, et alios alius deos in eisdem dicitis rebus, et innumeros esse conscribitis quos esse singulos semper consensio accepit humana. Incipiamus ergo solenniter ab Jano et nos patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alii, solem esse prodidere nonnulli. Quod si accipiemus ut verum sit, sequitur ut intelligi debeat nullum unquam fuisse Janum, quem ferunt Cœlo atque Hecata procreatum in Italia regnasse primum, Janiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, Juturnæ maritum : atque ita per vos dei nomen eraditur, quem in cunctis anteponitis precibus, et viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis. Rursus vero si Janus est annus, deus esse nec sic potest : quis enim annum ignorat temporis esse circumscriptionem statam, nec habere vim numinis id quod spatiis mensum, et dierum dinumeratione conclusum est? Quod ipsum licebit in Saturnum non absimili ratione traducere. Nam si tempus significatur hoc nomine, Græcorum ut interpretes autumant, ut quod chronos est habeatur Cronos, nullum est Saturnium numen. Quis est enim tam demens, qui tempus esse dicat deum, quod mensura cujusdam est spatii in continua serie perpetuitatis inclusi? atque ita ex ordine tolletur et iste cœlestium, quem Cœlo esse editum patre, magnorum et esse procreatorem deorum, vitisatorem, falciferum, vetustas edidit prisca, et minorum transmisit ætati. Nam quid de ipso dicemus Jove, quem solem esse dictitavere sapientes agitantem pinnatos currus, turba consequente divorum? æthera nonnulli flagrantem vi flammea, atque nidoris inextinguibili vastitate? Quod si liquet et constat, nullus ergo omnino est vobis

auctoribus Jupiter, qui patre editus Saturno atque Ope matre, ut genitoris evaderet rabiem, in Cretensium finibus memoratur esse celatus. Jam vero Junonem opinatio nonne consimilis deorum tollit e censu? Nam si aër illa est, quemadmodum vos ludere ac dictitare consuestis, Græci nomini præposteritate repetita, nulla soror et conjux omnipotentis reperietur Jovis, nulla Fluviona, nulla Pomona, nulla Ossipagina, nulla Februtis, Populonia, Cinxia, Caprotina : atque ita reperietur inanissima esse istius nominis fictio opinionis vacuæ celebritate vulgata.

XIV. Aristoteles, ut Granius memorat, vir ingenio præpotens atque in doctrina præcipuus, Minervam esse lunam probabilibus argumentis explicat, et litterata auctoritate demonstrat. Eamdem hanc alii ætherium verticem et summitatis ipsius esse summam dixerunt; memoriam nonnulli, unde ipsum nomen Minerva quasi quædam Meminerva formatum est. Quod si accipit res fidem, nulla est ergo Mentis filia, nulla Victoriæ, nulla Jovis enata de cerebro inventrix oleæ, nulla magisteriis artium et disciplinarum varietatibus erudita. Quod aqua nubat terram, appellatus est, inquiunt, cognominatusque Neptunus. Si ergo liquoris obtentio nominis hujus appellatione signatur, nullius Deus est omnino Neptunus : atque ita tollitur, et removetur e medio Stygii frater Jovis Olympiique germanus, tridenti armatus ferro, pistricum dominus atque mænarum, rex falsorum gurgitum, et tremebundi motator sali. Mercurius etiam quasi quidam medicurrius dictus est; et, quod inter loquentes duos media currat et reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata est qualitas. Ergo si hæc ita sunt, non est dei Mercurius nomen, sed sermonis reciprocantis et vocis : atque ita hoc pacto aboletur et extinguitur caducitor ille Cyllenius, in algido fusus monte, verborum excogitator et nominum; nundinarum, mercium, commerciorumque mu-

tator. Terram quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, Matrem esse dixerunt magnam : eamdem hanc aliquot, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant : nonnulli autem Vestam, quod in mundo stet sola, cæteris ejus partibus mobilitate in perpetua constitutis. Quod si ratione profertur et asseveratur certa, trina pariter numina vobis interpretibus nulla sunt : non Ceres, non Vesta deorum esse computabuntur in fastis : non ipsa denique Mater deum, quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni, dea recte poterit nuncupari; siquidem unius terræ hæc sunt omnia nomina, et his sola prædicationibus indicatur. Prætermittimus hoc loco satietatis fuga Vulcanum, quem esse omnes ignem pari vocum pronuntiatis assensu; quod ad cunctos veniat, Venerem; et quod sata in lucem proserpant, cognominatam esse Proserpinam. Qua rursus in parte trium capita numinum tollitis : siquidem primum elementi est nomen, non sentiens vocabulum potestatis; libidinis alterum, per cuncta animantia diffusæ : tertium vero significat attollentia se germina, et frugum subcrescentium motiones. Quid? cum Liberum, Apollinem, Solem, unum esse contenditis numen, vocabulis amplificatum tribus; nonne sententiis vestris deorum imminuitur census, et opinio prædicata dilabitur? Nam si verum est Solem eumdem Liberum esse, eumdemque Apollinem, sequitur ut in rerum natura neque Apollo sit aliquis, neque Liber : atque ita per vos ipsos aboletur, eraditur, Semeleius, Pythius; alter feculentæ hilaritatis dator, Sminthiorum alter pernicies murum.

XV. Non indocti apud vos viri, neque quod induxerit libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunam, caput esse unius dei triviali germanitate pronuntiant; neque, ut sunt trinæ dissimilitudines nominum, personarum differentias tres esse : lunam his omnibus vocari, atque in ejus vocamen

reliquorum seriem coacervatam esse cognominum. Quod si exploratum, si fixum est, atque ita esse rei veritas monstrat, cassum item nomen est Cereris, cassum Dianæ : atque ita perducitur res eo ut et illa frugum, sicut perhibetis, inventrix, vobis ducibus atque auctoribus nulla sit ; expolietur Apollo germana, quam quondam puris in fontibus abluentem membrorum sordes cordiger ille venator inspexit, et pœnam curiositatis invenit. In philosophiæ memorabiles studio, atque ad istius nominis columen vobis laudatoribus elevati, universam istam molem mundi, cujus omnes amplexibus ambimur, tegimur ac sustinemur, animans esse unum, sapiens, rationale, consultum, probabili asseveratione definiunt : quorum si est vera, et fixa, certa sententia, etiam illi continuo desinent dii esse, quos in ejus portionibus paulo ante immutatis nominibus constituebatis. Ut enim homo unus nequit, permanente sui corporis integritate, in homines multos scindi; neque homines rursus multi dijunctionis dissidentia conservata, in unius sensus simplicitatem conflari : ita si mundus unum est animal, et unius mentis agitatione motatur, nec in plura potest numina dissipari; nec, si ejus particulæ dii sunt, in unius animantis conscientiam cogi atque verti. Luna, sol, tellus, æther, astra, membra sunt et mundi partes : quod si partes et membra sunt, animalia utique sui nominis non sunt; neque enim partes hoc ipsum esse quod totum est aliqua in re possunt, aut sibi sapere, sibi sentire, quod sine totius animantis assensu nullis propriis afficiatur e motibus. Quo constituto ac posito, summa omnis illuc redit, ut neque Sol deus sit, neque Luna, neque Æther, Tellus, et cætera : sunt enim partes mundi, non specialia numinum nomina. Atque ita perficitur, omnia vobis turbantibus miscentibusque divina, ut in rerum natura unus Deus constituatur mundus, explosis omnibus cæteris, quinimo inaniter, vacue, et sine ulla

substantia constitutis. Si totidem nos modis totidemque sententiis deorum vestrorum subrueremus fidem, nulli esset dubium quin ira et rabie concitati, ignes, feras et gladios, atque alia postularetis suppliciorum in nos genera, quibus sitim soletis vestram nostri sanguinis appetitione proluere. Cum vero per vos ipsos prope omnis gens numinum sub ostentatione tollatur ingeniorum atque doctrinæ, audetis intendere nostri nominis causa res humanas ab diis premi; cum quidem, si verum est esse illos uspiam, atque incalescere irarum flammis, nihil habeant justius propter quod in vos sæviant, quam quod eos negatis subsistere, neque ulla esse in parte naturæ.

XVI. Musas Mnaseas est auctor filias esse Telluris et Cœli : Jovis cæteri prædicant ex Memoria uxore, vel Mente. Has quidam virgines, alii matres fuisse conscribunt. Libet enim jam paucis etiam illas partes attingere, quibus alius aliud eadem de re dicere opinionum diversitate monstramini. Ephorus has igitur numero esse tres effert; Mnaseas, quem diximus, quatuor : Myrtilus inducit septem : octo asseverat Crates : ad extremum Hesiodus novem cum nominibus prodit, diis cœlum et sidera locupletans. Nisi fallimur, ista dissensio nihil scientium verum est, non ab rei veritate descendens : nam si liquido sciretur quid sit, una esset vox omnium, et in ejusdem sententiæ finem cunctorum pergeret et conveniret assensio. Quonam modo igitur religionis potestis integrare vim plenam, cum circa ipsos erretis deos? aut ad venerabiles invitare nos cultus, cum nihil nos certi de ipsorum numinum comprehensione doceatis? Ut enim de mediis conticescamus auctoribus, aut ille primus eradit atque interficit sex divas Musas, si esse illas constat novem; aut iste ultimus et extremus sex apponit quæ nullæ sunt, tribus solis in veritate constantibus : ut neque sciri possit aut comprehendi, quænam debeant

addi, quæ demi; et in periculum deducatur religionis ipsius susceptio, aut id quod non est colens, aut quod sit fortasse præteriens.

XVII. Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos. Hos Granius Musas putat, consensum accommodans Ælio. Novenarium numerum tradit Varro, quod in movendis rebus potentissimus semper habeatur et maximus. Novitatum Cornificius præsides, quod curantibus his omnia novitate integrentur et constent. Deos novem Manilius, quibus solis Jupiter potestatem jaciendi sui permiserit fulminis. Cincius numina peregrina novitate ex ipsa appellata pronuntiat: nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare; ac ne aliquid deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, brevitatis et compendii causa uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari. Sunt præterea nonnulli qui ex hominibus divos factos hac prædicant appellatione signari, ut est Hercules, Romulus, Æsculapius, Liber, Æneas. Sententiæ, ut apparet, diversæ sunt hæ omnes: neque fieri per rerum naturam potest, ut qui opinionibus differunt, veritatis unius habeantur auctores. Si enim Pisonis sententia vera est, Ælius et Granius mentiuntur: si quod dicitur ab his certum est, peritissimus errat Varro, qui rebus in substantia constitutis inanissima subdit, et re cassa. Si novenarius numerus cognomen Novensilium ducit, Cornificius balare convincitur, qui novitati præsidentibus divis alienæ potentiæ vim donat. Quod si opinio Cornificii vera est, imprudens Cincius invenitur, qui urbium victarum deos potestate afficit Novensilium numinum. Quod si hi sunt quos Cincius prædicat, Manilius dicere reperietur falsum, qui alieni fulminis jaculatores sub istius vocaminis appellatione concludit. Quod si exploratum et verum est id quod Manilius autumat, in errore sunt

hi maximo, qui honoribus divinis auctos consecratosque mortales ab novitate honoris existimant nuncupari. Quod si Novensiles hi sunt, quæ meruerunt ad sidera sublevari, postquam sunt vitæ mortalitate defuncti, nulli prorsus Novensiles dii sunt. Ut enim servi, milites, magistri, non sunt personarum subjacentium nomina, sed officiorum, conditionum, et munerum : ita cum Novensiles dicimus, si nomen est istud deorum qui ex hominibus meruerunt dii esse, manifestum et promptum est non personas specialiter definitas, sed novitatem ipsam cognomine Novensilium nuncupari.

XVIII. Nigidius Penates deos Neptunum esse atque Apollinem prodidit, qui quondam muris Troicum Ilium conditione adjuncta cinxerunt. Idem rursus in libro sexto exponit et decimo, disciplinas Etruscas sequens, genera esse Penatium quatuor, et esse Jovis ex his, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos; inexplicabile nescio quid dicens. Cæsius et ipse id sequens Fortunam arbitratur, et Cererem, Genium Jovialem, ac Palem, sed non illam fœminam quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis ac villicum. Varro, qui sunt introrsus atque in intimis penetralibus cœli deos esse censet quos loquimur, nec eorum numerum nec nomina sciri. Hos Consentes et Complices Etrusci aiunt et nominant, quod una oriantur et occidant una; sex mares et totidem fœminas, nominibus ignotis, et miserationis parcissimæ : sed eos summi Jovis consiliarias, ac principes existimari. Nec defuerunt qui scriberent Jovem, ac Minervam, deos Penates existere, sine quibus vivere ac sapere nequeamus, et qui penitus nos regant ratione, calore ac spiritu. Ut videtis, et hic quoque nihil concinens dicitur, nihil una pronuntiatione finitur, nec est aliquid fidum, quo insistere mens possit veritati suæ

proxima suspicione conjiciens. Ita enim labant sententiæ, alteraque opinio ab altera convellitur, ut aut nihil ex omnibus verum sit; aut si ab aliquo dicitur, tot rerum diversitatibus nesciatur.

XIX. Possumus, si videtur, summatim aliquid et de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos esse, ex eo quod Græci vicos cognominant λαύρας. In diversis Nigidius scriptis modo tectorum domuumque custodes, modo Curetas illos qui occultasse perhibentur Jovis æribus aliquando vagitum, modo Digitos Samothracios, quos quinque indicant Græci Idæos Dactylos nuncupari. Varro similiter hæsitans, nunc esse illos Manes, et ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum : nunc aërios rursus deos, et Heroas pronuntiat appellari : nunc antiquorum sententias sequens, larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios et functorum animas mortuorum. Infinitum est et immensum species ire per singulas, atque ipsis facere promptum libris, nullum esse a vobis deum, neque existimatum neque creditum, de quo non ambiguas discrepantesque sententias opinionum mille varietatibus prompseritis. Sed brevitatis et fastidii causa satis hæc est dixisse quæ dicta sunt; et est operosum nimis coacervare in unum multa, cum ex uno et ex altero manifestum fiat et pateat, hæsitare, labare, nec quidquam vos certi de his rebus quas asseritis scire : nisi forte dicetis, Etiam si personaliter ignoramus qui sunt Lares, qui sunt Novensiles, qui Penates, esse illos tamen consensione ipsa vindicante auctorum, et in numeris cœlitum formam sui generis obtinere.

XX. Et quemadmodum poterit an sit deus aliquis sciri, si ignorabitur et nescietur quid sit? aut postulatio ipsa beneficiorum valere, si exploratum non erit, non certum, quis ad quamque debeat consultationem vocari? Omnis enim qui quærit alicujus numinis impetrare responsum,

debet necessario scire cui supplicet, quem imploret, a quo rebus auxilia et necessitatibus exposcat humanis; maxime cum vos ipsi, et non omnes omnia deos posse præstare, et dissimilibus ritibus singulorum animos referatis offensionesque placari. Etenim si hic atram, ille albam desiderat pellem; huic capite velato, illi sacrificandum est nudo; de matrimoniis ille consulitur, hic medelas incommoditatibus præstat : interesse non potest nihil, an sit ille Novensilis, an ille, cum ignoratio rerum, personarum confusio, et deos offendat, cogat et necessario piaculum contrahi. Finge enim meipsum incommoditatis alicujus et declinandi periculi causa horum cuipiam numinum supplicare dicentem : Adeste, adestote dii Penates, tu Apollo, tuque Neptune; omniaque hæc mala, quibus uror, terreor, vexor, vestri numinis averruncate clementia : eritne spes aliqua referendæ ab his opis, si Ceres, Pales, Fortuna, Jovialis aut Genius, non Neptunus et Apollo Penates dii erunt? Aut si Curetas pro Laribus invocaro, quos Digitos Samothracios pars vestrorum asseverat auctorum; quemadmodum his potero auxiliatoribus et propitiis uti, cum neque his sua, et aliena illis imposuero cognomina? Usque adeo res exigit propriatim deos scire, nec ambigere, nec dubitare de uniuscujusque vi, nomine; ne si alienis ritibus et appellationibus fuerint invocati; et aures habeant surdas, et piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos. Quare si vobis liquet in sublimibus palatiis cœli habitare, consistere multitudinem istam quam enumeratis deorum, in unius proloquii finibus convenit vos stare, nec per varias distractos repugnantesque sententias fidem ipsis rebus quas struitis derogare. Si Janus est, Janus sit : si Liber est, Liber sit : si Summanus, Summanus sit. Hoc est enim confidere, hoc tenere, exploratæ in rei cognitione defigi; non more cæcorum atque errantium dicere : Novensiles Musæ sunt, Trebiani

quinimo dii sunt, imo novenarius numerus, subversarunt potius vel urbium præsides; et in id periculum perducere res tantas, ut dum alios tollitis et reponitis alios, possit jure de cunctis, an sint ulla in parte, dubitari.

LIBER QUARTUS.

I. Interrogare vos libet[1], ipsosque ante omnia Romanos dominos rerum ac principes, utrumne existimatis pietatem, concordiam, salutem, honorem, virtutem, felicitatem, cæteraque hujusmodi nomina, quibus aras videmus a vobis cum magnificis exædificatas delubris, vim habere divinam, cœlique in regionibus degere? an ita ut assolet dici, causa ex ea quod optamus et volumus bona ista nobis contingere, superorum retuleritis in censum? Nam si verba existimantes hæc cassa, et nullius substantiæ nomina, divinis tamen religionibus consecratis; erit vobis videndum, utrumne istud puerile sit ludicrum, an vestrorum numinum delusionem spectans, quibus coæquatis et adjungitis inanium figmenta verborum? Sin autem ex animi certiore sententia deos esse et hæc rati, templis et pulvinaribus honorastis, inscitiam nostram ut doceatis oramus, victoria, pax, æquitas, et cætera quæ in superioribus dicta sunt, quanam ratione, qua via intelligi possunt dii esse, atque ad superorum concilium pertinere? Nos enim, nisi forte communem tollitis nobis atque eripitis sensum, nihil horum sentimus et cernimus habere vim numinis, neque in aliqua contineri sui generis forma; sed esse virtutem viri, salutem salvi, honorem honorati, victoris victoriam, concordis concordiam, pietatem pii, memoriam memoris, feliciter vero viventis ac sine ullis offensionibus felicitatem. Quod a nobis

[1] Vide D. Guillon, tom. III, p. 358 et seqq.

verissime dici ex contrariis promptum est oppositionibus noscitare, infelicitate, discordia, oblivione, iniquitate, impietate, ignavia pectoris, et valetudine corporis minus fausta. Ut enim hæc accidunt, hominumque sunt posita in actionibus, ac effectibus fortuitis : ita quod illis adversum ex qualitatibus benignioribus nominatur, in aliis necesse est hæreat; ex quibus ita formatis figuratio ista concepta est nominum. Nam quod nobis catervas ignotorum alias inducitis deorum, existimare non possumus utrumne istud serio atque ex rei compertæ faciatis fide, an fictionibus ludentes cassis ingeniorum lascivitatis luxu.

II. Quod abjectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca, inquit, dea est auctore appellata Varrone. Ex rerum ergo proventu, non ex vi naturæ dea ista est prodita; et postquam feros morsus immanis prohibuit bellua, et ipsa esse occœpit, et ipsius nominis significantiam traxit. Aut si fuit jamdudum dea, prius quam Romulus nasceretur et frater, cujus fuerit nominis atque appellationis expromite. Præstana est, ut perhibetis, dicta, quod Quirinus in jaculi missione cunctorum præstiterit viribus : et quod Tito Tatio, Capitolinum ut capiat collem, viam pandere atque aperire permissum est, dea Panda est appellata, vel Pantica. Ante facta hæc ergo nunquam fuerant numina; et nisi Romulus tenuisset teli trajectione palatium, nique Tarpeiam rupem rex Sabinus potuisset accipere, nulla esset Pantica, nulla Præstana esset. Si et has dicitis ante sui causam fuisse cognominis, quod in priore quæsitum est capite, cujus et hæ fuerint vocaminis indicate. Pellendorum hostium dea potens Pellonia est : quorumne, nisi molestum est, edite. Confligunt partes, atque inter se cominus armorum collatione decernunt; et hæc illi est pars hostis, et illa huic hostilis : quos ergo Pellonia, cum hinc et inde pugnabitur, pellet ; aut in gratiam concessura est quorum, cum utrique

debeat parti sui nominis vires officiumque præstare? Quod si utique fecerit, id est, partibus si utrisque favorem ac suffragium commodarit, nominis sui vim perdet, quod partis unius in pulsione formatum est. Nisi forte dicetis: Romanorum tantum est dea hæc, et cum solis Quiritibus faciens, gratiosis semper opitulationibus præsto est. Esse quidem hoc ita, quod nomini favemus, optamus : at quæstionem non exiguam res habet. Quid enim? Romani deos possident peculiares, qui aliarum gentium non sint? Et quemadmodum poterunt dii esse, si non omnibus quæ ubique sunt gentes æquabilitatem sui numinis exhibebunt? Et ubi, quæso, jamdudum Pellonia hæc fuit, cum apud Furculas Caudinas decus publicum subjugatum est? cum apud Trasimeni lacum sanguinei cucurrere torrentes? cum Diomedis campi Romanis cadaveribus aggerati sunt? cum mille alia vulnera præliorum innumeris accepta sunt cladibus? dormiebat, stertebat; aut quod vilia facere consueta sunt capita, in hostilia castra defugerat?

III. Dii lævi sinistrarum tantum regionum sunt præsides, et inimici partium dexterarum. Quod quanam istud ratione dicatur, quove animi sensu, neque ipsi nos assequimur, nec a vobis confidimus posse in aliquam lucem communis intelligentiæ perduci. Jam primum enim mundus ipse per se sibi neque dexteras neque lævas, neque superas regiones neque imas, neque antiquas habet neque posticas. Quidquid enim teres est, atque ex omni parte rotunditatis solidæ convexione conclusum, nullum habet initium, nullum finem. Ubi finis et initium nullum est, esse aliqua portio sui nominis et initium non potest. Itaque cum dicimus, Dextera hæc regio est, et illa læva; non ad mundi habitum dicimus, qui sui simillimus totus est, sed ad positionem nostram situmque revocamus, qui informati sic sumus ut alia dextera, alia in nobis dicantur esse læva : quæ tamen hæc ipsa quæ

læva appellamus et dextera, alias in nobis nihil habent perpetuum, nihil fixum; sed prout nos casus atque eventus collocaverit temporis, ita nostris sumunt ab lateribus figurationes. Si orientem solem respexero, cardo mihi frigoris et Septentrio fit lævus : in quem si ora traduxero, erit mihi sinister Occasus, qui ab sole posterganeus habebitur. Rursus vero si jecero plagam in occiduam lumina, in vocabulum sinistri Auster et Meridies transit : in quam si me partem necessaria temporis circumegerit ratio, fit ut oriens lævus immutata corporis conversione dicatur. Qua ex re poterit facillime recognosci, neque læva natura esse ulla, sed positionis et temporis, et prout nostri corporis habuerit se situs, rerum ad circumstantiam collocatus. Quod cum ita se habeat, quanam ratione, quo pacto sinistrarum partium dii erunt, cum easdem constiterit regiones modo dexteras fieri, modo lævas? aut quid dexteræ meruerunt de immortalibus diis partes ut sine ullis præsidibus degerent, quas esse faustas et prosperis semper cum omnibus ediderunt?

IV. Lateranus, ut dicitis, deus est focorum et genius, dictusque hoc nomine, quod ex laterculis crudis ab hominibus caminorum istud exædificetur genus. Quid ergo? si testa aut materia fuerint quacumque alia fabricati foci, genios non habebunt? et ab officio tutelæ quisquis iste est Lateranus abscedet, quod regni sui possessio non luteis constructa est formis? Et quid, quæso, ut faciat, præsidatum focorum deus iste fortuitus est? Per humani generis coquinas currit, inspiciens et explorans quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur : habitudinem fictilibus contribuit vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa : curat ut ad sensum palati suis cum jucunditatibus veniant rerum incorruptarum sapores, et an rite pulmenta condita sint, prægustatoris fungitur atque experitur officio. Itane is-

tud non fœdum, quinimo, ut verius dixerim, non contumeliosum, non impium, ad hoc tantum inducere deorum nescio quas fictiones, non quas dignis honoribus prosequare, sed quas rebus turpibus et infami præficias actioni? Etiamne militaris Venus castrensibus plagiis præsidet et puerorum stupris? Etiamne Persica una est e populo numinum, quæ obscœnas illas et luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensa procedere? Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis? Etiamne Tutunus, cujus immanibus pudendis horrentique fascino vestras inequitare matronas, et auspicabile ducitis et optatis? Quod si minime vos admonent ad intellectum veritatis res ipsæ, nec ex ipsis saltem potestis nominibus noscere inanissimæ superstitionis figmenta hæc esse, et falsorum imaginationes deorum? Putationibus arborum Puta, inquitis, præsto est; rebus petendis, Peta. Deus nemorum Nemestrinus est. Patellana numen est, et Patella: ex quibus una est patefactis, patefaciendis rebus altera præstituta. Nodutis dicitur deus, qui ad nodos perducit res satas; et quæ præest frugibus terendis, Terensis. Ab erroribus viarum dea Vibilia liberat. In tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes; in Næniæ, quibus extrema sunt tempora. Nam quæ durat et solidat infantibus parvis ossa, Ossilago esse memoratur. Mellonia dea est pollens potensque in apibus mellis curans custodiensque dulcedinem. Dicite, o quæso, ita vobis propitiæ faveant Peta, Puta, Patella! si omnino non essent apes ullæ in terris; aut si exos genus humanum, velut quidam vermiculi nasceremur: dea Mellonia non esset; aut Ossilago solidatrix ossium nomen proprium non haberet? Etenim, quæro et rogito, utrumne vobis videantur antiquiores dii esse natura, tempore, vetustate, an homines, an apes, fruges, virgulta, et cætera? Dubitabit hominum nemo quin innumeris dicatis deos ætatibus, sæculis, cuncta

quæcumque sunt anteire. Quod si habet se ita, qui fieri per rerum naturam potest, ut ex rebus postea procreatis acciperent nomina ea quæ sunt priora temporibus? aut tutelas sortirentur earum dii rerum quæ nondum essent genitæ et in usum mortalibus attributæ? An numquid jamdudum sine nominibus dii erant, et postquam res nasci terrisque inesse cœperunt, his a vobis dignati sunt signis atque appellationibus nuncupari? Et unde scire potuistis quæ nomina singulis inderetis, cum esse illos ignoraretis omnino; aut inesse potentias his certas, cum esset vobis similiter nescium quisnam eorum quid posset, et cui rei deberet pro sui numinis potestate præponi?

V. Quid ergo, inquitis, hos deos nusquam esse gentium judicatis, sed falsis opinationibus constitutos? Non istud nos soli, sed veritas ipsa dicit, et ratio, et ille communis, qui est cunctis in mortalibus, sensus. Quis est enim qui credat esse deos Lucrios, et lucrorum consecutionibus præsidere, cum ex turpibus causis frequentissime veniant, et aliorum semper ex dispendiis constent? Quis Libentinam, quis Liburnum libidinum superesse tutelis, quas jubet sapientia fugere, et quas mille per species propudiosa experitur et exercet obscœnitas? Quis Limentinum, quis Limam custodiam liminum gerere, et janitorum officia sustinere; cum fanorum quotidie videamus et privatarum domorum convelli et subrui, nec sine his esse flagitiosos ad lupanaria commeatus? Quis curatores obliquitatum Limos? quis Saturnum præsidem sationis? quis Montinum montium? quis segnium Murcidam? quis ad extremum deam Pecuniam esse credat, quam velut maximum numen vestræ indicant litteræ donare annulos aureos, loca in ludis atque in spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus, et quod maxime pigri ament, securum per opulentias otium? Quod si habere insistitis suos

proprios præsides ossa, mella et limina, cæteraque alia, quæ vel cursim perstrinximus, vel nimietatis non attigimus tædio; licet consimili ratione mille alios inducere qui rebus innumeris debeant suam curam custodiamque præbere. Cur enim Deus præsit melli uni tantummodo, non præsit cucurbitis, rapis, non cunilæ, nasturtio, non ficis, betaceis, caulibus? Cur sola meruerint ossa tutelam, non meruerint ungues, pili, cæteraque alia quæ, locis posita in obscuris et verecundioribus partibus, et sunt casibus obnoxia plurimis, et curam magis deorum diligentiamque desiderant? Aut si et has dicitis partes suis agere sub tutelaribus divis, incipient totidem dii esse quot res sunt; nec explicabitur ratio cur non rebus omnibus divinæ præsideant curæ, si certas res esse quibus præsint numina et provideant, dixeritis. Quid dicitis, o patres novarum religionum, quid potestatum? Hoscine a nobis deos violari, et negligi sacrilego clamitatis quiritaminique contemptu, Lateranum genium focorum, Limentinum præsidem liminum, Pertundam, Perficam, Nodutim, Terensem? et quia non supplices humi Mutuno procumbimus atque Tutuno, ad interitum res lapsas, atque ipsum dicitis mundum leges suas et constituta mutasse? Atquin videte, perspicite, ne dum talia confingitis monstra, taliaque molimini, deos offenderitis certissimos, si modo sunt ulli qui istius nominis mereantur sustinere atque habere fastigium; nec propter aliam causam mala ista quæ dicitis ferveant, et quotidianis accessionibus inolescant.

VI. Cur ergo, e vobis fortasse aliquis dixerit, esse falsum istos deos? Et invocati ab haruspicibus parent, et suis acciti nominibus veniunt, et fidelia reddunt responsa quærentibus. Possumus obtinere falsum esse quod dicitur, vel quod suspicionibus plenissima res tota est; vel quod multas quotidie prædictionum videmus, aut aliter cadere, aut in con-

trarios exitus frustrata expectatione torqueri. Sed sint, ut asseritis, veræ : an iidem tamen facietis fidem Melloniam, verbi causa, vel Limentinum inserere se fibris, et ad rerum quas quæritis significantias aptare? Numquid illorum aliquando vidistis os, habitum, faciem? aut eadem hæc possunt in pulmonibus aut jecusculis conspici? Nonne accidere, fieri, licet astu dissimuletis, potest ut alter pro altero subeat, fallens, ludens, decipiens, atque invocati speciem præstans? Si magi haruspicum fratres suis in accitionibus memorant antitheos sæpius obrepere pro accitis, esse autem hos quosdam materiis ex crassioribus spiritus, qui deos se fingant, nesciosque mendaciis et simulationibus ludant; cum ratione non dispari credamus hic quoque subjicere se alios pro his qui non sunt, ut et vestras opinationes firment, et sibi hostias cædi alienis sub nominibus gaudeant. Aut si sic accipere rei novitate renuitis, unde vobis est scire an sit unus aliquis qui succedat pro omnibus iis quos invocatis, partibus qui se cunctis locorum divisionumque supponens, multorum vobis speciem divorum præbeat et potestatum? Quisnam iste est unus, interrogabit. Forte possumus istum vobis veris auctoribus dicere : sed ne nobis fidem habere nolitis, Ægyptios, Persas, Indos, Chaldæos, Armenios interroget, omnesque illos alios qui in interioribus viderunt et cognoverunt hæc artibus; jam profecto discetis quisnam sit deus unus, vel sub eo qui plurimi qui deos se fingant, et humani generis imprudentiam ludant. Jamdudum nos pudet ad eum locum venire in quo risum tenere non possunt non tantum puerculi et procaces, verum etiam serii atque in moris tetrici asperitatem durati. Nam cum a doctoribus omnes nostris insinuatum acceperimus et traditum, in declinationibus deorum plurativos numeros non esse, quod essent dii singuli, nec communiter ire per plurimos uniuscujusque nominis pro-

prietas quiret : immemores vos facti, et puerilium disciplinarum recordatione composita, et complures subditis vocabulis iisdem deos, et cum sitis alias in eorum numero restrictiores, multiplices eos rursus cognominum societate fecistis : quam quidem olim partem judicii acris viri atque ingenio perspicaci, tam sermone Italo explicuere quam Græco. Et dare nobis compendium potuisset res ista, si non et aliquos videremus litterarum esse istarum expertes, et institutus a nobis sermo nos quoque compelleret nonnihil de his rebus, quamvis ab illis sumptum commemoratumque, depromere.

VII. Aiunt igitur theologi vestri, et vetustatis absconditæ conditores, tres in rerum natura Joves (15) esse : ex quibus unus Æthere sit patre progenitus, alter Cœlo, tertius vero Saturno, apud insulam Cretam et sepulturæ traditus et procreatus. Quinque Soles et Mercurios quinque : ex quibus, ut referunt, Sol primus Jovis filius dicitur, et Ætheris habetur nepos : secundus æque Jovis filius, et Hyperiona proditus genitrice : tertius Vulcano, non Lemnio, sed Nili qui fuerit filius : quartus Ialysi pater, quem Rhodi peperit heroïcis temporibus Achantho : quintus Scythici regis et versipellis habetur Circæ. Jam Mercurius primus, qui in Proserpinam dicitur genitalibus adhinnivisse subrectis, supremi progenies Cœli est. Sub terra est alter, Trophonius qui esse jactatur. Maia tertius matre, et Jove procreatus, sed tertio. Quartus soboles Nili est, cujus nomen Ægyptia gens horret et reveretur expromere. Quintus Argi est interemptor, fugitivus atque exul, et proditor apud Ægyptum litterarum. Sed et Minervæ, inquiunt, sicut Soles et Mercurii, quinque sunt : ex quibus prima non virgo, sed ex Vulcano Apollinis procreatrix : Nili altera proles, et quæ esse perhibetur Ægyptia : stirps Saturni est tertia, et quæ usum excogitavit armorum : Jovis quarta progenies, quam Messenii

Coryphasiam nuncupant : et quæ Pallantem occidit patrem, incestorum appetitorem, est quinta. Ac ne longum videamur et nimium minutatim velle capita ire per singula, aiunt iidem theologi quatuor esse Vulcanos, et tres Dianas, Æsculapios totidem, et Dionysos quinque, ter binos Hercules, et quatuor Veneres, tria genera Castorum, totidemque Musarum, pinnatorum Cupidinum trigas, et quadrigas Apollinarium nominum : quorum similiter genitores, similiter matres, loca quibus nati sunt indicant, et originem singulorum suis cum prosapiis monstrant.

VIII. Quod si verum et certum est, et ex rei cognitæ asseveratione monstratur, aut omnes dii non sunt, quoniam plures sub eodem nomine, quemadmodum accepimus, esse non possunt : aut si aliquis ex his est, ignorabitur et nescietur quid sit, consimilium nominum confusione cæcatus. Atque ita per vos ipsos, quamvis fieri nolitis, efficitur ut hæsitet religio conturbata, neque habeat finem certum in quem dirigere se possit, et nullis elusa ambiguitatis erroribus. Fingite nos enim vel auctoritate commotos, vel violentia terroris vestri, induxisse in animum Minervam, verbi causa, sacris vobis solemnibus et ritu velle adorare vulgato : res si cum divinas apparamus, aggredimurque aris flammantibus sua reddere constituta, Minervæ omnes advolent, ac de istius nominis possessione certantes poscant sibi singulæ apparatum illum sacrorum reddi; quid in medio faciemus nos animal tenue, vel in partes quas potius pii muneris officia transferemus? Dicet enim forsitan prima illa quam diximus : Meum nomen est Minervæ, cum numine, quæ Apollinem genui, quæ Dianam, et ex mei uteri fœtu cœlum numinibus auxi et deorum numerum multiplicavi. Imo, inquiet quinta Minerva, tu tinnis, quæ marita et puerpera toties castitatis puræ imminuta es sanctitate? Nonne vides in Capitoliis omnibus virginales esse species Minervarum, nec nuptarum

his formas ab artificibus cunctis dari? Desiste igitur nomen juris tibi asciscere non tui. Nam Minervam me esse genitore ex Pallante procreatam, testis omnis est poëtarum chorus, qui Palladem me nuncupat, derivato a patre cognomine. Quid dicis? inquiet secunda, hæc audiens : ergone Minervium nomen tu feres, parricida, petulans, et ex amoris incesti contaminatione polluta? quæ dum te fucis atque artibus excolis meretriciis, jam patris in te mentem furialibus plenam cupiditatibus excitasti. Perge igitur aliud tibi quærere signum : nam mea res ista est, quam Nilus maximus fluminum aquis generavit ex liquidis, et in virgineos habitus roris concretione conduxit. Quod si fidem inquiris facti, Ægyptios et ego testes dabo, quorum sum Neith lingua, Platonis testificante Timæo. Quid deinde arbitramur fore? desistetne et illa Minervam se dicere cui Coryphasiæ nomen est, vel ex Coryphæ matris signo, vel quod ex vertice summo Jovis parmam ferens emicuit, atque armorum accincta terroribus? Aut illam quæ tertia est cessuram patienter nomine, et non dictis talibus habituram rationem sui, et primarum arrogantiam refutaturam? Itane tu audes majestatem tibi mei nominis usurpare, ex cœno et ex gurgitibus prodita coagulataque limosis? at tibi tu aliam dignitatem assume, deam quæ de vertice procreatam mentiris te Jovis, et Rationem te esse mortalibus ineptissimis suades? Ex capite conceptos filios procreat? Ut arma quæ gestas procudi possent et fabricari, in verticis ipsius cavo officina fabrilis fuit, incudes, mallei, fornaces, folles, carbones et forcipes? At si verum est quod asseveras, Rationem te esse, desiste tibi nomen id, quod meum est, vindicare : nam, quam dicis ratio non est species numinis certa, sed obscurarum intelligentia causarum. Si ergo, ut diximus, officia nobis adeuntibus religiosa Minervæ adsint quinque, ac de hujus nominis proprietate rixantes, sibi quæque desideret aut thuris

suffimenta libari, aut ex pateris aureis inferia vina defundi : quo disceptatore, quo judice controversias tollemus tantas? aut quis quæsitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter personas hujusmodi, aut vindicias justas dare, aut sacramenta conetur pronuntiare non justa? Nonne potius ibit domum, seseque abstinens ab negotiis talibus, tutius esse arbitrabitur nihil horum contingere, ne aut uni dando quod omnium est, inimicas efficiat cæteras; aut stultitiæ crimen incurrat, si id attribuat cunctis quod esse oportebat unius? Possumus hæc eadem de Mercuriis, Solibus, imo de aliis omnibus, quorum numeros tenditis et multiplicatis, expromere. Sed satis est ex uno rationem in cæteris eamdem esse scire; et ne forte prolixitas fastidium audientiæ pariat, cessabimus ire per singula, ne dum vos arguimus nimietatis, loquacitatis immodicæ suscipiamus et nos culpam. Quid dicitis, o isti qui ad deorum nos cultum membrorum laniatibus invitatis, et suscipere nos cultum vestrorum compellitis numinum? Possumus difficiles non esse, si modo aliquid nobis dignum tanti nominis opinione monstretur. Ostendite nobis Mercurium, sed unum : date Liberum, sed unum; unam Venerem, atque unam similiter Dianam. Nam esse Apollines quatuor aut tres Joves nunquam nobis facietis fidem, nec si testem ipsum citetis Jovem, aut Pythium constituatis auctorem.

IX. Sed ex diverso, nescio quis unde inquit, scimus, an explorata et cognita theologi scriptitarint, an ut visum est atque sedit, libidinosam extulerint fictionem? Nihil istud ad causam, nec sermonis istius in eo est ratio constituta, utrumne res ita sint theologorum ut indicant scripta, an aliter se habeant, et multo dissociatæ discrimine. Nobis enim satis est rebus de publicatis loqui, neque quærere quid sit in vero, sed refutare, convincere id quod in medio positum est atque opinatio concepit humana. Sed si menda-

ces illi, vos veritas quæ sit exponite, et irrefutabile aperite secretum. Et qui fieri potis est, remotis magisteriis litterarum? Quid est enim quod dici de immortalibus diis possit, quod non ex hominum de his scriptis ad humanas pervenerit notiones? Aut quidquam vos ipsi de illorum ritibus potestis cæremoniisque narrare, quod relatum in litteras non sit, et scriptorum commentariis publicatum? aut si ponderis existimatis nullius hæc esse, aboleantur omnes libri quos de diis habetis compositos, theologorum, pontificum, nonnullorum etiam philosophiæ deditorum: quinimo potius fingamus ab exordio mundi nullum aliquando mortalium scripsisse de diis quidquam, experiri volumus, et cupimus scire, an mutire, an hiscere deorum in mentione possitis, an concipere eos mente quos in animis vestris nullius scripti informaverit notio. Cum vero nomina et potentias illorum suggerentibus vobis libris addidicisse vos constet, iniquum est detrahere litteris his fidem, quarum ea quæ dicitis testimonio atque auctoritate firmatis. Nisi forte hæc falsa, et ea quæ a vobis dicuntur erunt vera. Quo argumento, quo signo? Cum enim homines utrique, et qui hæc et illa commentati sunt, fuerint, et de rebus incertis ab utraque sit disputatum parte: arrogantis est dicere, id quod tibi placeat esse verum; quod vero animum lædit, id libidinis et falsitatis arguere.

X. Per humani generis jura, atque ipsius mortalitatis consortia, cum auditis et legitis, Ex illo atque ex illa matre Deus ille est proditus; nonne animi vestri sensum tangit humanum nescio quid dici, et ex terreni generis humilitate proficiscens? Aut cum esse arbitramini vos ita, sollicitudinem concipitis nullam, ne offensionis aliquid apud ipsos, quicumque sunt, contrahatis deos quod ex turpi concubitu creditis atque ex seminis jactu ignoratam sibi ad lucem beneficiis obscœnitatis exisse? Nos enim, ne quis forte

existimet ignorare, nescire quid istius nominis conveniat dignitati, aut nativitatis expertes deos oportere censemus: aut si aliquos ortus habent, ab Domino rerum ac principe, rationibus quas ipse novit, ipsos ducimus atque existimamus esse missos, immaculatos, castissimos, puros, nescientes quæ sit fœditas ista coëundi, et usque ad illos ipsos principali procreatione finita. At vero vos contra, majestatis immemores et sublimitatis tantæ, eas illis adjungitis nativitates, ortusque eos ascribitis quos ingeniis lautioribus homines et execrationi habeant et horrori. Ex Ope, inquitis, matre, et ex genitore Saturno, cum suis est natus Diespiter fratribus. Uxores enim dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis? usu, farre, coëmptione, genialis lectuli sacramenta condicunt? habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas? Et quid de ipsis conjunctionibus loquimur, quando et quosdam nuptias celebrasse, et festas habuisse frequentias dicitis, et lusisse in his deas, et quod participes fescenninorum non essent, perturbasse discordiis omnia, et in humanum in posterum genus exitiorum sevisse discrimina? Sed in cæteris forsitan minus hujus eluceat turpitudinis fœditas. Ergone ille rector poli, pater deorum et hominum, supercilio et nutu totum motans et tremefaciens cœlum, ex viro concretus et fœmina est? et nisi ambo sexus in obscœnas dissolverentur copulatis corporibus voluptates, Jupiter ille maximus non esset, et usque ad hos dies et regem numina non haberent, et cœlum sine domino staret? Et quid Jovem miramur ex fœminæ effusum dictitare vos alvo, quando auctores vestri et nutricem habuisse conscribunt, et ex alieni uberis alimonia mox traditam retinuisse vitam? Quid dicitis, o viri? Ergone, iterum dicam, tonans, fulgurans, et fulminans, et nubila terribilia conducens, suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repsit, atque, ut fletum

exponeret ineptissime tractum, crepitaculis obticuit auditis, et ad somnos inductus est in mollissimis cunis jacens, et vocibus delinitus infractis? O deorum assertio religiosa! o amplitudinis metuendæ venerabilem monstrans atque insinuans dignitatem! Siccine apud vos, quæso, supernarum nascitur eminentia potestatum? His in lucem prodeunt generationibus dii vestri, quibus asini, porci, canes, quibus immunda hæc omnis conceptatur et gignitur terrenarum proluvies bestiarum?

XI. Nec contenti hos cœtus gravitati attribuisse Saturniæ, etiam ipsum Regem mundi flagitiosius liberos procreasse quam ipse est natus atque editus, prædicatis. Ex Hyperiona, inquitis, matre, et ex Jove jaculatore fulminis, Sol aureus et flagrantissimus natus est: ex Latona et eodem arquitenens Delius, et silvarum agitatrix Diana: ex Leda et eodem Castores, Græce Dioscuris nomen est: ex Alcmena et eodem Hercules ille Thebanus, quem clava pellisque tutatæ sunt: ex Semela atque ipso Liber, qui Bromius dicitur, et ex fœmine iterum natus patris: ex ipso rursus et Maia, Mercurius ore facundus, et gestator affabilium colubrarum. Potest ulla gravior contumelia Jovi vestro infligi, aut quidquam est aliud quod labefactet aut destruat deorum principis auctoritatem, quam quod eum creditis voluptatibus aliquando libidinosis victum, et in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluisse fervore? Et quid regi Saturnio matrimoniis fuerat cum alienis rei? Non illi fuerat satis Juno, nec sedare impetum cupiditatum in regina poterat numinum, cum nobilitas eam commendaret tanta, facies, oris dignitas, et ulnarum nivei marmoreique candores? An uxore contentus haud una, concubini, pellicibus atque amiculis delectatus, impatientiam suam spargebat passim, ut babæcali adoscentes solent, salax deus, et canus ex finitis corporibus flaccescentium voluptatum re-

stituebat ardorem? Quid dicitis, o impii, vel quas de vestro Jove opinionum confingitis fœditates? Ita non animadvertitis, non videtis, cujus eum notetis probri? cujus criminis constituatis auctorem? vel quas in eum labes flagitiorum, quantas coacervetis infamias? Ad libidinem homines proni, atque ad voluptatum blanditias naturæ infirmitate proclives, adulteria tamen legibus vindicant, et capitalibus afficiunt eos pœnis quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione jecisse. Subsessoris et adulteri persona cujus esset turpitudinis, notæ cujus, regum maximus nesciebat; et speculator ille, ut fama est, bene meritorum ac pessime, quidnam deceret se velle rationibus pectoris non perspiciebat amissis. Et tolerari forsitan maletractatio hæc posset, si eum saltem personis conjungeretis comparibus, et adulter a vobis immortalium constitueretur dearum. In humanis vero corporibus quidnam, quæso, inerat pulchritudinis, quid decoris, quod irritare, quod flectere oculos posset in se Jovis? Cutes, viscera, pituita, atque omnis illa proluvies intestinorum sub involucris constituta, quam non modo Linceus ille penetrabili acie possit horrescere, verum etiam quivis alter sola vel cogitatione vitare. O egregia merces culpæ! o digna et pretiosa dulcedo, propter quam Jupiter maximus cycnus fieret, et taurus, et candidorum procreator ovorum! Si aperire oculos mentis et veritatem propriam intueri sine ulla vultis gratificatione privata, miseriarum omnium causas quibus genus, ut dicitis, jamdudum afflictatur humanum, ex hujusmodi reperietis opinationibus fluere quas habetis antiquitus de diis vestris, et quas in melius reformare ante oculos posita veritate abnuistis.

XII. Nam nos quidem quidnam de illis aliquando, aut inconveniens sensimus, aut conscriptionibus edidimus indecoris, ut in invidiam jaciantur nostram labores generis

humani, et commoditates quibus vivitur imminutæ? Numquid a nobis dicitur, ut ciconias, ut palumbes, ex ovis esse progenitos quosdam deos? Numquid ex pelagi spuma, et ex Cœli genitalibus amputatis Cythereiæ Veneris concretum coaluisse candorem? Numquid parricidii causa vinctum esse Saturnum, et ablui diebus statis, vinculorum ponderibus et levari? numquid beneficio Curetum ab interitu servatum Jovem? Numquid expulisse regno patrem, et alieni juris imperium violentia et fraude tenuisse? Numquid pulsum a nobis senem Italorum delituisse in finibus, et quod tutus fuisset a filio, nomen Latio imposuisse pro munere? Numquid incestas nuptias cum sorore Jovem ipsum dicimus fecisse nos? aut invitatum ad jus mensæ pro suillis visceribus prolem nescium Lycaoniam pransitasse? Numquid altero claudum pede apud insulam Lemnum fabrilia opera exercuisse Vulcanum? Numquid cupidinis atque avaritiæ causa, sicut canit Bœotius Pindarus, Æsculapium fulminis transfixum esse telo? Numquid Apollinem ditem factum, eos ipsos reges quorum gazis fuerat locupletatus et donis, ambiguitate fefellisse responsi? Numquid furem Mercurium publicavimus? non vos esse Lavernam, atque cum hoc simul fraudibus præsidere furtivis? Numquid ex nobis Myrtilus est auctor, qui Macari filias, Megalconis ancillulas, profitetur fuisse Musas? Numquid rege a Cyprio, cujus nomen Cinyras est, ditatam meretriculam Venerem divorum in numero consecratam? Quis ex reliquis Pelopis compactum esse palladium prodidit? non vos? Quis Spartanum fuisse Martem? non Epicharmus auctor vester? Quis in Thraciæ finibus procreatum? non Sophocles Atticus, cunctis consentientibus theatris? Quis mensibus in Arcadia tribus et decem vinctum? non Melæ fluminis filius? Quis ei canes ab Caribus, quis ab Scythis asinos immolari? non principaliter cum cæteris Apollodorus? Quis dum genialibus

insultat alienis, hæsisse in laqueis involutum? non commentarii vestri, non scenæ? Numquid aliquando a nobis conscriptum est, mercenariam deos servitutem servisse : ut Herculem Sardibus amoris et petulantiæ causa; ut Admeto Apollinem Delium; ut Laomedonti Troïco Jovis fratrem; ut eidem, sed cum paterno, Pythium; ut conjugalia secreta miscentibus, Minervam luminis ministram, et lucernarum moderatricem? Nonne ille vester est vates, qui Martem fecit et Venerem mortalium manibus vulneratos? Non ex vobis Panyasis unus est, qui ab Hercule Ditem patrem, et reginam memorat sauciatam esse Junonem? Non viraginem ab Ornyto cæsam, cruentatam, vexatam, Polemonis vestri indicant scripta? Non ab Hippocoontis liberis ipsum Sosibius Herculem cruciatum retulisse pronuntiat, et illati vulneris, et doloris? Apud insulam Cretam sepulturæ esse mandatum Jovem, nobis editum traditur? In Spartanis et Lacedæmoniis finibus nos dicimus conditos, in cunis coalitos fratres? Noster ille est auctor qui Patrocles Thurius scriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat reliquiasque Saturnias tellure in Sicula contineri? Chæroneus Plutarchus nostrarum esse partium comprobatur, qui in Oëtæis verticibus Herculem post morborum comitialium ruinas dissolutum in cinerem prodidit?

XIII. Nam quid de illis amoribus dicam, quibus in fœminas sanctos incaluisse cœlestes, vestris proditum litteris atque auctoribus continetur? Numquid enim a nobis arguitur rex maris Amphitritas, Hippothoas, Amymonas, Menalippas, Alopas, per furiosæ cupiditatis ardorem castimoniæ virginitate privasse? Numquid Apollo Latonius, immaculatus ille, castissimus atque purus, Arsinoas, Æthusas, Hypsipylas, Marpissas, Zeuxippas et Prothoas, Daphnas et Steropas, inconsulti pectoris appetisse fervoribus? Numquid senex Saturnus jamdudum obsitus canis, atque annorum vetustate

jam frigidus, nostris carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehensus induisse formam feri, et sub pecoris specie hinnitibus evolavisse jactatis? Jupiter ipse rex mundi, nonne a vobis infamis est isse per innumeras species, et petulantis flammam amoris servilibus obumbravisse fallaciis? Numquid a nobis aliquando conscriptus est, libidinosa ut perficeret furta, modo esse in aurum versus, modo in Satyrum ludicrum, in draconem, in alitem, taurum, et quod omnia genera contumeliarum transiliat, in formiculam parvulam, ut Clitoris videlicet filiam, Myrmidonis redderet apud Thessalos matrem? Quis illum in Alcmena novem noctibus fecit pervigilasse continuis? non vos? Quis in amoribus desidem derelicta cœli statione jacuisse? non vos? Et sane adjungitis beneficia non parva : siquidem vobis deus Hercules natus est, qui in rebus hujusmodi patris sui transiret exuperaretque virtutes. Ille noctibus vix novem unam potuit prolem extundere, concinnare, compingere : at Hercules sanctus deus natas quinquaginta de Thestio nocte una perdocuit et nomen virginitatis exponere, et genitricum pondera sustinere. Quid, quod non contenti fœminei generis attribuisse diis curas, etiam sexus adjungitis adamatos ab his mares? Hylam nescio quis diligit : Hyacintho est alius occupatus : ille Pelopis desideriis flagrat : hic in Chrysippum suspirat ardentius : catamitus rapitur delicium futurus, et poculorum custos; et ut Jovis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obsignaturque posticis. Sed soli amant apud vos mares, et fœmineo sexui sua conservata est sanctitas? Nonne vestris cautum est litteris, adamatum esse ab Aurora Tithonum, arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Thetin, Proserpinam in Adonem, matrem ejus Cererem in Jasionem nescio quem rusticanum, et post Vulcanum, Phaëtontem, Martem, in Anchisæ nuptias ipsam illam Venerem

Æneadum matrem, et Romanæ dominationis auctorem?

XIV. Cum talia igitur vos probra, et flagitiosa prodigia, non in unum aliquem nominatim, sed in omnem pariter superorum gentem quam esse vos remini, sine ullius exceptione jaciatis, audetis salva verecundia dicere, aut esse nos impios, aut vos pios? cum multo majores ferant a vobis offensas ex omnibus probris, quæ in illorum maledicta conducitis, quam amplitudinis et honoris ex ritu atque officio cultionis? Aut enim falsa illa sunt cuncta quæ sunt prompta de singulis, existimationem illorum majestatemque lædentia, et res digna omnino est propter quam dii funditus genus omne debeant abolere mortalium: aut si explorata et vera sunt, et sine ullis dubitationibus comprehensa, ad eam perducitur res summam ut invitissimis vobis non generis superi, sed humani eos fuisse credamus. Ubi enim nuptiæ, matrimonia, puerperia, nutrices, artificia, debilitates; ubi status capitis et conditio servitutis, ubi vulnera, cædes, cruor; ubi amores, desideria, voluptates; ubi omnis animorum affectio ab inquietis perturbationibus veniens, necesse est divinum nihil istic esse; nec quod proprium caduci est generis et terrenæ fragilitatis, præstantiori posse adhærere naturæ. Quis est enim qui credat, si modo agnoscit ac percipit vis istius potentiæ quæ sit, aut genitabiles habuisse partes deum, et abcissione fœdissima privatum his esse; aut ex se proditas aliquando intercepisse proles, et vinculorum coërcitum pœnis; aut cum patre quodammodo conseruisse bella civilia, et cum jure abstinuisse regali; aut exterritum minoris metu vertisse exuperatum terga, et tanquam fugitivum et exulem in submotis delituisse secretis? Quis est, inquam, qui credat ad humanas accubuisse deum mensas, interemptum avaritiæ causa, fefellisse supplices ambiguitate responsi, præcellere in furtorum dolis, adulterasse, servisse, vulneratum esse, et adamasse, et per omnes

libidinum formas incestarum cupiditatum circumegisse pellaciam? Atquin omnia vos ista et fuisse et inesse in diis asseveratis vestris : neque ullam prætermittitis speciem vitiositatis, maleficii, lapsus, quam non in convicium numinum opinionum petulantia conferatis. Aut igitur vobis quærendi sunt dii alii, in quos omnia ista non cadant; in quos enim hæc cadunt, humani sunt generis atque terreni : aut si hi sunt tantummodo quorum publicastis et mores, eos opinionibus tollitis vestris. Mortalia sunt enim quæcumque narratis.

XV. Et possumus quidem hoc in loco omnes istos nobis quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare, vel Agragantino Euhemero (16) replicato, cujus libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italium transtulit; vel Nicagora Cyprio, vel Pellæo Leonte, vel Cyrenensi Theodoro, vel Hippone ac Diagora Meliis, vel auctoribus aliis mille, qui scrupulosæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt. Possumus, inquam, si placet, et Jovis res gestas, et Minervæ expromere bella, virginis et Dianæ; quibus dolis Liber Indorum affectaverit regnum; cujus fuerit conditionis Venus, cujus operæ, cujus quæstus; matrimonium magna cujus tenuerit Mater; quidnam spei, quid voluptatis specioso ab Attide conceperit; unde Serapis Ægyptius, unde Isis, vel ex quibus causis appellatio ipsa concinnata sit nominum. Sed non istam suscepimus in eo sermone quem facimus, vel operulam, vel voluntatem, ut ostendamus et publicemus quinam fuerint hi omnes. Illud nobis propositum est, ut quoniam nos impios et irreligiosos vocatis, vos contra pios et deorum contenditis esse cultores, demonstrare atque in medio ponere, ab hominibus magis nullis ignominiosius eos tractari, quam a vobis. Quod si habere se ita ex ipsis maledictionibus promptum est, sequitur ut intelligi debeat vos

superis stimulos indignationum furialium commovere, qui tam fœdas de illis vel auditis, vel creditis, vel ignominiosas ipsi compingitis fabulas. Non enim qui sollicite relegit et immaculatas hostias cædit, qui acervos thuris dat concremandos igni, numina censendus est colere, aut officia solus religionis implere. Cultus verus in pectore est, atque opinatio de diis digna : nec quidquam prodest illatio sanguinis et cruoris, si credas de his ea quæ non modo sint longe ab eorum dissita distantiaque natura, verum etiam labis et turpitudinis aliquid, et majestati eorum concilient et decori. Interrogare enim vos libet, et ad sermonis exigui responsionem vocare, utrumne gravius existimetis nullas cædere his hostias, quia putes naturam tantam neque velle neque appetere istas ; an talia de his probra opinionum fœditate concipere, quæ cujusvis animum in ultionis possint rabiem concitare ? Si rerum momenta pendantur, nullum reperias tam invidum judicem, qui non criminosius æstimet maledictis insignibus cujuspiam famam carpi, quam a quoquam silentio præteriri. Hoc enim forsitan rationis existimari possit et credi : illud sacrilegæ mentis est, et desperatæ in fictionibus cæcitatis. In cæremoniis vestris rebusque divinis, postulionibus locus est ; et piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiæ lapsum, aut in verbo quispiam aut simpuvio deerrarit, aut si cursu in solemnibus ludis curriculisque divinis ; commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius constitit aut tibicen repente conticuit, aut si patrimus ille qui vocatur puer omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit : et audetis abnuere in delictis tam gravibus violari semper a vobis deos, cum in levioribus causis irasci eos ipsi cum pernicie sæpius confiteamini civitatis ?

XVI. Sed poëtarum inquiunt figmenta sunt hæc omnia, et ad voluptatem compositæ lusiones. Non est quidem cre-

dibile homines minus brutos et vetustatis remotissimæ vestigatores, aut non eas inseruisse suis carminibus fabulas, quæ in notionibus hominum superessent, atque in auribus collocatæ; aut ipsos sibi tantum licentiosi voluisse juris asciscere, ut confingerent per stultitiam res eas quæ nec ab insania procul essent remotæ, et quæ illis ab diis metum et periculum possent ab hominibus comparare. Sed concedamus, ut dicitis, deformitatum tantarum concinnatores esse atque inventores poëtas : immunes tamen a deorum maletractatione nec sic estis, qui aut talia cessatis maleficia vindicare, aut non legibus latis et severitate pœnarum tantæ istis obviam temeritati, constitutumque a vobis est ne quis posthac hominum id quod esset turpitudini proximum aut deorum indignum majestatibus, loqueretur. Quisquis enim patitur peccare peccantem, is vires subministrat audaciæ : et majoris contumeliæ res est, falsis quemquam notare atque insignire criminibus, quam vera ingerere atque objectare delicta. Quod enim sis dici, et quod esse te sentias, morsum habet minorem testimonio tacitæ recognitionis infractum. Illud vero acerbissime vulnerat, quod inuritur innoxio, et quod decus nominis atque existimationis infamat. Describuntur dii vestri in tricliniis cœlestibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare, potare, et ad ultimum fidibus et vocum modulatione mulceri : vos aures patientissimas commodatis; nec judicatis indignum voluptates attribui diis eas quibus corpora terrena fulciuntur, et quas aures expetunt enervati pectoris dissolutione mollitæ. Inducuntur ex his alii amatores, adulteri castitatis, nec cum fœminis tantum, sed cum viris etiam propudiosos flagitiososque miscere concubitus : vobis nulla est cura quid super rebus dicatur tantis, neque ullo saltem castigationis metu luxuriantium litterarum coërcetis audaciam. Per insanias, per furores orbare alii se, et tanquam hostili de

sanguine, ita se proprio parricidio cruentare : sacrilegia vos illa miramini elata sublimiter, et quod pœnis omnibus conveniebat plecti, ut animosius consurgat audacia, incentivo extollitis laudis. Illi vulnera orbitatis ingemere, et cum ejulatibus indecoris fata incusare crudelia : vos stupetis eloquentiæ viribus, et quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli, percensetis, ediscitis, ac ne ulla intercidat oblivione curatis. Vulnerari, vexari, bella inter se gerere furialium memorantur ardore discriminum : vobis illa est descriptio voluptati, atque ut scriptorum tantam defendatis audaciam, allegorias res illas et naturalis scientiæ mentimini esse doctrinas. Sed quid ego neglectas aliorum conqueror contumelias numinum? Ipse ille Jupiter, cujus vos nomen effari non sine metu decuit et totius corporis concussione, amasio captus, ab uxore describitur confiteri culpas suas, et velut demens ac nescius quas amiculas conjugi, quas uxori anteposuerit pellices, obduratus inverecundia publicare : vos talia qui extulere prodigia poëtarum esse principes atque reges, divinis ingeniis præditos, capita esse memoratis sanctissima : tantumque ab officio religionum quas inducitis evolastis, ut gravioris ponderis sint apud vos verba, quam cœlitum violata sublimitas.

XVII. Ita ergo non decuit, si modo ullus deorum esset apud vos metus, aut si esse illos uspiam præsumptionis certissimæ confidentia crederetis, rogationibus, plebiscitis, consultorum senatus metu intercedere, prohibere, sancire, ne quis vellet de diis passim, nisi quod esset plenum religionis, effari. Nec a vobis saltem istum meruerunt honorem, ut quibus expellitis a vobis, eisdem ab his legibus propulsaretis injurias. Majestatis sunt apud vos rei qui de vestris sequius obmurmuraverint aliquid regibus; magistratum in ordinem redigere, senatorem aut convicio prosequi, suis esse decrestis periculosissimum pœnis; carmen malum con-

scribere quo fama alterius coïnquinetur et vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impune; ac ne vestras aures convicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis injuriis : soli dii sunt apud vos superi inhonorati, contemptibiles, viles; in quos jus est a vobis datum quæ quisque voluerit dicere, turpitudinum jacere quas libido confinxerit atque excogitaverit formas. Et incuriam nobis intendere tam infamium non erubescetis numinum, cum sit rectius multo deos esse non credere, quam esse illos tales talique existimatione sentire. Sed poëtis tantummodo licere voluistis indignas de diis fabulas et flagitiosa ludibria comminisci? Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum atque exoleti generis multitudo? nonne ad usum quæstus sui abutuntur diis vestris, et lenocinia voluptatum ex injuriis attrahit contumeliisque divinis? Sedent in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia, pontifices maximi et maximi curiones; sedent quindecimviri laureati (17), et diales cum apicibus flamines; sedent augures, interpretes divinæ mentis et voluntatis; necnon et castæ virgines perpetui nutrices et conservatrices ignis; sedet cunctus populus et senatus, consulatibus functi patres, diis proximi atque augustissimi reges : et quod nefarium esset auditu, gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris et populi procreatrix amans saltatur Venus, et per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari : saltatur et Magna sacris compta cum infulis Mater; et contra decus ætatis, illa Pessinuntia Dindymene in bubulci unius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire : necnon et illa proles Jovis Sophoclis in Trachiniis Hercules, pestiferi tegminis circumretitus indagine, miserabiles edere inducitur ejulatus, violentia doloris frangi, atque in ultimam tabem diffluentium viscerum maceratione consumi. Quin et ille in fabulis ma-

ximus ipse regnator poli, sine ulla nominis majestatisque formidine, adulterorum agere introducitur partes, atque ut fallere castitatem alienarum possit familias matrum, ora immutare pellacia, et in species conjugum subditivi corporis simulatione succedere.

XVIII. Nec satis hæc culpa est : etiam mimis et scurrilibus ludicris sanctissimorum personæ interponuntur deorum. Et ut spectatoribus vacuis risus possit atque hilaritas excitari, jocularibus feriuntur cavillationibus numina, conclamant, et assurgunt theatra, caveæ omnes concrepant fragoribus atque plausu. Et quod nullis possit satisfactionibus expiari, exoletis atque irrisoribus numinum dona instituuntur et munera, ab officiis otium publicis, immunitas, et vacatio cum coronis. Et audetis post ista mirari unde oriantur hæc mala quibus inundatur et premitur sine ulla intermissione mortalitas ; cum omnes res eas quibus sunt involuta probra numinum, et maledictionis elogia, et quotidie referatis et ediscatis quotidie : et si quando animum desidem otiosis vultis allucinationibus occupari, dies vobis poscatis dari, et sine ullis intermissionibus exhiberi. Quod si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potius litteras, hos exurere debuistis olim libros, demoliri, dissolvere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari ? cur immaniter conventicula dirui ? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione; in quibus aliud auditur nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiaris communicatores rei, et cum omnibus consolidæ germanitatis necessitudine copulatos. Verum ita se res habet, ut quoniam plurimum gladiis et

potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia judicetis; et esse pro diis pios, quorum potentias primi opinionum obscœnitate fœdastis. Hoc in loco, si ferocitas vestra permittit et rabies patitur, illud nobis ut respondeatis oramus : utrumne iras cadere in naturam existimetis deorum, an ab affectibus his longe divinam esse beatitudinem disjugatam? Nam si concipiunt has faces, et motibus exasperantur irarum, sicut vestræ opinationes ferunt; nam sæpe illos dicitis et propter ludos minus sollicite factos, et propter præsules non probatos, et propter quædam spatiola defanata, et propter cæremonias non rite perfectas, tremoribus infremuisse terrarum, et contagione pestilenti corrupisse auras temporum luctuosa cum populi vastitate: sequitur ut intelligi debeat iracundias non parvas ex opinionibus eos continere prædictis. Quod si datur, et illud necessario consequens, miserias has omnes quibus olim genus accumulatur humanum, ab hujusmodi fluere fictionibus. Quod si ab his causis indignatio proficiscitur numinum, miseriarum tantarum vos estis auctores, qui animos cœlitum non cessatis offendere et ultionis in rabiem concitare. Sin autem ab hujusmodi furiis deorum est genus immune, neque quid sit irasci dii omnino noverunt : et nobis ergo irasci sine ulla ratione dicuntur, qui ira quid sit ignorant (et ab ejus comptu et permixtione sunt absoluti. Neque enim fieri per rerum naturam potest, ut quod unum est fiat duo ; et in diversas res eat unitas, ingenita simplicitate divisa.)

LIBER QUINTUS.

I. Esto[1] : ab ludentibus poëtis cuncta illa sint prodita de immortalibus diis probra. Quid illa quæ historiæ continent graves, seriæ, curiosæ, quæque in arcanis mysteriis traditis poëtarum sunt excogitata lascivia ? Quæ si vobis viderentur ineptiarum talium fabulæ, neque in usu retineretis quotidiano, neque per cursus annuos lætitias exerceretis ut festas, neque ut rerum simulacra gestarum sacrorum conservaretis in ritibus. Ex quibus tam multis unum interim ponam, moderaminis temperamentum secutus, in quo stolidus et imprudens ipse ille inducitur Jupiter, verborum ambiguitatibus lusus. In secundo Antiatis libro, ne quis forte nos existimet concinnare per calumnias crimina, talis perscripta est fabula. Numam illum regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet, essetque illi cupido noscendi, Egeriæ monitu castos duodecim juvenes apud aquam celasse cum vinculis : ut cum Faunus, et Martius Picus ad id locorum venissent haustum nam illis aquandi solemne iter huc fuit, invaderent, constringerent, colligarent. Sed quo res fieri expeditius posset, regem pocula non parvi numeri vino mulsoque complesse, circaque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse fallaciam. Illos more de solito bibendi appetitione correptos, ad hospitia nota venisse. Sed cum liquoribus odoratis offendissent fra-

[1] Vide D. Guillon, tom. III, p. 360 et seqq.

grantia pocula, vetustioribus anteposuisse res novas, invasisse aviditer dulcedine potionis captos, hausisse plus nimio, obdormivisse factos graves : tum bis senos incubuisse sopitis, injecisse madidatis vincla, expergitosque illos statim perdocuisse regem quibus ad terras modis Jupiter posset et sacrificiis elici : et accepta regem scientia rem in Aventino fecisse divinam, elicuisse ad terras Jovem, ab eoque quæsisse ritum procurationis et morem : Jovem diu cunctatum, Expiabis dixe capite fulgurita : regem respondisse, Cæpitio : Jovem rursus, Humano : retulisse regem, Sed capillo : deum contra, Anima : Piscis, subjecisse Pompilium. Tunc ambiguis Jovem propositionibus captum extulisse hanc vocem ? Decepisti me, Numa; nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, non capillo cæpitio : quoniam me tamen tua circumvenit astutia, quem voluisti habeto morem ; et his rebus quas pactus es procurationem semper suscipies fulguritorum. Quid primum, quid ultimum, vel exequatur animus, vel conticescat, nec facile dictu est, neque ullis considerationibus expeditum. Ita enim sunt omnia et excogitata, et comparata derisui, ut sit vobis connitendum falsa ut credantur hæc esse, etiam si sint vera, quam obtinere velle pro veris, et velut quiddam mirabile non sine ipsius numinis insinuare contemptu. Quid enim dicitis, o isti? Credimusne illum Faunum et Martium Picum, si ex numero sunt deorum et ex illa perpetua immortalique natura, sitis aliquando ariditate siccatos, atque ut æstum possent irrigare venarum, fluenta isse per fontium? Credimusne captos mero et dulcedine illectos mulsi, tamdiu se poculis ingurgitavisse fallacibus, ut usque ad ebrietatis periculum veniretur? Credimusne vinctos somno atque altissimi soporis oblivione demersos, vinciendi copiam sui animalibus præbuisse terrenis? Quibus deinde partibus vinculorum illæ injectæ sunt nexiones, soliditatis habebant quidquam? aut ex duris ossibus informatæ

fuerant eorum manus, quæ constringi laqueis, et nodorum possent illigationibus coërceri? Non enim requiro, non exigo, an aliquid potuerint fari ebrietatis alienatione nutantes; an Jove invito, vel potius nescio, protrahendi ad terras ejus ritum quisquam potuerit publicare : illud solum audire desidero, cur si Faunus et Picus sunt divini generis et potestatis, non ipsi potius edidere quærenti id quod ab ipso Jove periculosius Numa cupiebat audire? An numquid Jupiter solus hujus rei scientiam noverat, ab ipso enim decidunt fulmina, ut imminentia procurare alicujus debeat scientiæ disciplina? An cum ipse jaculetur hos ignes, aliorum sit operis scire quibus modis conveniat iras ejus atque animos temperare? Etenim revera stultissimum credere est ipsum remedia scire quibus averti possint quæ per fulminis jactum in humanis fieri constituerit rebus. Hoc est enim dicere : Illo ritus genere meas iras placabitis; et si quando per fulgura significavero aliquid imminere, facite hoc et illud, ut quod fieri statui inane fiat et vacuum, et sacrorum vi vanescat. Sed concedamus, ut dicitur, ipsum adversum se Jovem remedia scisse atque artes quibus iri obviam suis significationibus conveniret : etiamne credemus deum numinis tanti tractum esse ad terras, et in verrucula collis unius cum homunculo stantem, altercabilem conseruisse sermonem? Et quænam illa, quæso, divina res fuit quæ ab impetu rerum tanto Jovem compulit avocari, et mortalium sese denuntiationibus sistere? mola salsa, thus, sanguis, verbenarum suffitio, et nominum terribilium fremores; et potentiora quam Jupiter fuerunt hæc omnia, ut eum compellerent invitum parere præceptis, aut voluntarium sese circumventionibus tradere? Quid? quod sequitur fidem sumet, aut tam improvidum fuisse Saturnium ut aut ea proponeret quorum ambagibus ipse caperetur, aut nesciret futurum quibus lusura se modis astutia esset calliditasque

mortalis? Expiabis, inquit, capite fulgurita. Imperfecta adhuc vox est, neque plena, proloquii, circumscriptave sententia. Scire enim necessario convenit utrumne capite vervecino, an suillo, an quolibet alio, expiationem istam sciscat Diespiter perpetrari. Quod cum nondum specialiter statuisset essetque adhuc pendens, et nondum sententia terminata, qui potuit Numa scire hominis Jovem dicturum caput, ut anteverteret, anteiret, et in caput cæpitii ambiguitatis illius incerta traduceret? Nisi forte dicetis regem fuisse divinum. Numquid ipso poterat esse Jove divinior? Nisi homo præsumens quid dicturus esset Jupiter, circumscripsit: Deus scire non poterat quibus modis pararet circumscribere se homo. Ita non in promptu est et apparet puerilium esse ingeniola fictionum: quibus cum acquiritur cordis Numæ vivacitas, imprudentia maxima importatur Jovi. Quid enim tam imprudens quam confiteri te captum argutia cordis humani, et cum deceptum te doleas, in victoris concedere voluntatem, et medicinam quam obtuleras ponere? Nam si fuit ratio, et quædam convenientia naturalis, cur humano capite procuratio debuerit suscipi fulguriti, non video cur ab rege relatio sit facta cæpitii: sin autem poterat et cæpitio transigi, libidinose hominis inhiatum est cruori. Atque ita in contrarium pars utraque traducitur, ut nec Numam monstretur voluisse scire quod voluit, et crudelis Jupiter fuisse doceatur, qui quod a Numa potuit et cæpitio suscipi, voluisse dixerit humanis capitibus expiari.

II. Apud Timotheum, non ignobilem theologorum virum, necnon apud alios æque doctos, super Magna deorum Matre, superque sacris ejus, origo hæc sita est, ex reconditis antiquitatum libris, et ex intimis eruta, quemadmodum ipse scribit insinuatque, mysteriis. In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vastitatis petra, inquit, est quædam, cui nomen est Agdus, regionis ejus ab indigenis sic vocatæ: ex

ea lapides sumptos, sicut Themis mandaverat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion jactavit et Pyrrha; ex quibus cum cæteris et hæc, Magna quæ dicitur, informata est Mater, atque animata divinitus. Hanc in vertice ipso petræ datam quieti et somno, quam incestis Jupiter cupiditatibus appetivit : sed cum, obluctatus diu, id quod sibi promiserat obtinere nequisset, voluptatem in lapidem fudit victus. Hinc petra concepit, et mugitibus editis multis prius, mense nascitur decimo materno ab nomine cognominatus Acdestis. Huic robur invictum et ferocitas animi fuerat intractabilis, insana et furialis libido, et ex utroque sexu vi rapta devastare, disperdere, ire immanitas quo animi duxerat : non deos curare, non homines, nec præter se quidquam potentius credere; terras, cœlum et sidera contemnere. Cujus cum audacia quibusdam modis posset vel debilitari, vel comprimi, sæpenumero esset deorum in deliberatione quæsitum : hæsitantibus cæteris, hujus muneris curam Liber in se suscipit; familiarem illi fontem, quo ardorem fuerat suetus et sitiendi lenire flagrantiam ludo et venationibus excitatam, validissima succendit vi meri : necessitatis in tempore haustum accurrit Acdestis; immoderatius potionem hiantibus venis rapit : fit ut insolita re victus soporem in altissimum deprimatur. Adest ad insidias Liber, ex setis scientissime complicatis unum plantæ injicit laqueum, parte altera proles cum ipsis genitalibus occupat : exhalata ille vi meri corripit se impetu, et adducente nexus planta, suis ipse se viribus, eo quo fuerat privat sexu : cum discidio partium sanguis fluit immensus : rapiuntur et combibuntur hæc terra : malum repente cum pomis ex his punicum nascitur, cujus Nana speciem contemplata, regis Sangarii vel fluminis filia, carpit mirans, atque in sinu reponit : fit ex eo prægnans : tanquam vitiatam claudit pater, et curat ut inedia moriatur : pomis atque aliis bacculis

deum sustentatur a Matre, enititur parvulum; sed exponi Sangarius præcipit : repertum nescio quis sumit Phorbas, lacte alit hirquino : et quoniam Lydia scitulos sic vocat, vel quia hircos Phryges suis Attagos elocutionibus nuncupant, inde Attis nomen ut sortiretur effluxit. Hunc unice Mater deum, ore fuerat quod excellentissimo, diligebat; et Acdestis blandus adulto comes, et qua solum poterat minus rectis assentationibus vinctus, saltuosa ducens per nemora, et ferarum multis muneribus donans : quæ puer Attis primo sui esse dicebat laboris, atque operis glorians, per vinum deinde confitetur, et ab Acdesti se diligi, et ab eo donis silvestribus honorari : unde vino, quod silentium prodidit, in ejus nefas est sanctum sese inferre pollutis. Tunc Pessinuntius rex Midas alienare cupiens tam infami puerum conjunctione, matrimonio ei suam filiam destinat : ac ne scævus aliquis nuptialia interrumperet gaudia, fecit oppidum claudi. Verum deum Mater adolescentuli fatum sciens, interque homines illum tamdiu futurum salvum quamdiu esset solutus a matrimonii fœdere, ne quid accideret mœsti, civitatem ingreditur clausam, muris ejus capite sublevatis; quod esse turritum ratione ab hac cœpit. Acdestis scatens ira convulsi a se pueri, et uxoris ad studium derivati, convivantibus cunctis furorem et insaniam suggerit : conclamant exterriti ad horam Phryges : mammas sibi demetit Galli filia pellicis : rapit Attis fistulam quam instigator ipse gestitabat insaniæ, furiarum et ipse jam plenus, perbacchatus, jactatus, projicit se tandem, et sub pini arbore genitalia sibi desecat, dicens : Tibi, Acdesti, hæc habe, propter quæ motus tantos furialium discriminum concitasti. Evolat cum profluvio sanguinis vita : sed abcissa quæ fuerant Magna legit Mater deum, et injicit his terram, veste prius tectis atque involutis defuncti. Fluore de sanguinis viola flos nascitur, et redimitur ex hac arbos : inde natum et

ortum est, nunc etiam sacras velari et coronari pinos. Virgo sponsa quæ fuerat, quam Valerius pontifex jam nomine fuisse conscribit, examinati pectus lanis mollioribus velat, dat lacrymas cum Acdesti, interficitque se ipsam : purpurantes in violas cruor vertitur interemptæ. Mater suffudit et has deum, unde amygdalus nascitur, amaritudinem significans funeris. Tunc arborem pinum sub qua Attis nomine spoliaverat se viri, in antrum suum defert, et sociatis planctibus cum Acdesti tundit et sauciat pectus pausatæ circum arboris robur. Jupiter, rogatus ab Acdesti, ut Attis revivisceret non sinit : quod tamen fieri per fatum posset, sine ulla difficultate condonat, ne corpus ejus putrescat, crescant ut comæ semper, digitorum ut minimissimus vivat, perpetuo solus agitetur et motu. Quibus contentum beneficiis Acdestim consecrasse corpus in Pessinunte ; cæremoniis annuis, et sacerdotum in testibus honorasse.

III. Si contemptor aliquis numinum, et sacrilegi pectoris immanitate furiosus, intendisset animum maledicere diis vestris, auderet in eos quidquam gravius dicere quam ista prodit historia, quam velut quiddam mirabile commentarii contulistis in formulam, ac ne illam vis temporis et vetustatis obsolefaceret longitudo, perpetuitatis honore mactastis? Quid est enim de diis in ea positum, quidve conscriptum, quod non, si in hominem dixeris pudibundis moribus et disciplinis horridioribus educatum, et contumeliæ reus sis, et injuriæ, et offensionis odium simultatibus subeas inexpiabilibus comparatum? Ex lapidibus, inquitis, quos Deucalion jactavit et Pyrrha, deum procreata est Mater. Quid, o theologi, dicitis? quid supernarum antistites potestatum? Ergone deum Mater ante diluvii casum nulla fuit in parte naturæ? et nisi omne mortalium genus interemisset vis imbrium, procreationis illius causa atque origo cessaret? Humanum est ergo munus quod esse se sentit, et beneficiis

debet Pyrrhæ quod orari se conspicit in alicujus substantiæ qualitate: quod quidem si verum est, et illud erit necessario non falsum, hominem illam fuisse, non divam. Nam si certum est homines ex illo lapidum jactu nativitatis suæ originem ducere, et hanc necesse est credi unam fuisse de nobis, consimilium causarum rationibus procreatam. Neque enim fieri rerum per repugnantiam quit, ut ex uno lapidum genere, et ex eadem ratione jaciendi, immortalium quidam sortis, conditionis alii substituerentur humanæ. Varro ille Romanus multiformibus eminens disciplinis, et in vetustatis indagatione rimator, in librorum quatuor primo quos de gente conscriptos Romani populi dereliquit, curiosis computationibus edocet, ab diluvii tempore, cujus supra fecimus mentionem, ad usque Hircii consulatum et Pansæ, annorum esse millia nondum duo : cui dicto si constat fides, Mater quoque dicenda est Magna intra hujus numeri fines ævitatem suam habere conclusam. Atque ita perducitur res eo, ut quæ omnium numinum genitrix esse narratur, non sit mater, sed filia; quinimo infans et parvula, siquidem deos concedimus neque initia neque fines sæculorum perpetua in continuatione sortitos. Sed quid terrenis obsoluisse vos sordibus deum loquimur Matrem, cum ab Jovis ipsius maledictis nullam pausam facere vel exigui temporis intercapedine quiveritis? Cum in summo Adgi vertice deum dormiret tum Genitrix, obrepere conquiescentis pudori filius, inquitis, insidiator enisus est. Post innumeras virgines, et spoliatas castitate matronas, etiamne in matrem cupiditatis infandæ spem Jupiter cepit, nec ab illius appetitionis ardore horror eum quivit avertere, quem non hominibus solis, sed animalibus quoque nonnullis natura ipsa subjecit, et ingeneratus ille communiter sensus? An respectus pietatis et honesti Capitoliorum defuit præsidi, nec quid sceleris cuperet, conturbatis per insaniam mentibus, aut retractare

poterat aut pervidere? Sed ut res est, ponderis et majestatis oblitus, ad furta illa flagitiosa correpens ibat, pavens ac trepidus, anhelitu oris presso, suspensis per formidinem gressibus, et inter media constitutus sollicitudinis speique confinia palpabat res intimas, altitudinem dormientis et matris patientiam tentans. O rerum imaginatio indecora! o habitus fœdus Jovis ad obscœni certaminis expeditionem parati! Ergone ille rex mundi, cum incautus et properus obreptionis esset rejectus a furto, in impetum se vertit; et cum rapere voluptatem insidiosa fraude non quivit, vi matrem aggressus est, et apertissime cœpit venerabilem subruere castitatem? Colluctatus ergo diutissime cum invita est, victus, fractus superatusque defecit; et quem pietas dijugare ab infando matris non valuit appetitu, effusa libido dijunxit? Nisi forte dicetis: Conventionis hujusmodi cœtum genus vitat atque execratur humanum; apud deos incesta sunt nulla. Et cur mater acerrime repugnabat inferenti vim filio? cur ab illius amplexibus tanquam illicitos vitans refugiebat attactus? Nam si nihil esset in re mali, tam gerere illa morem sine ulla retractione debuerat, quam volebat hic cupide appetitionis suæ irritamenta complere. Et sane hoc loco, frugalitatis magnæ viri, et circa res etiam flagitiosi operis parciores, ne sancta illa seminia frustra videantur effusa, silex, inquit, ebibit Jovialis incontinentiæ fœditatem. Quid deinde, quæso, consecutum est? dicite. In sinu medio lapidis, atque in illa cotis duritie informatus atque animatus est infans, Jovis magni futura progenies. Non est facile contradicere tam prodigiosis conceptionibus, tamque miris. Cum enim genus humanum ex lapidibus apud vos ortum procreatumque dicatur, necesse est credere et receptacula lapides habuisse genitalia, et jaculatam combibisse sementem, et completis temporibus sustulisse alvos graves, et ad postremum peperisse fœminei moris difficultate connixos.

Illud nostram subigit curiositatem requirere : cum post decem menses redditum esse dicatis partum, illo tempore quo in utero lapidis fuit clausus, quibus alimoniis irrigatus est, quibus succis ? vel ex rigore quæ saxeo nutritia potuit ducere, ut est fœtibus solemne de matribus ? Nondum, inquit, contigerat lucem, et tonitrus patrios jam mugiens imitus intusque referebat ; et postquam illi datum est cœlum diemque conspicere, obvia quæque vastabat incursans, atque ipsos sibi spondebat deos cœli posse ab regione detrudere. O cauta et provida deum Mater ! quæ ne nati invidiam tam insolentis subiret, aut mugiens fœtus somnis suis officeret aut interpellaret quietem, subtraxit se ipsam, et seminis illud nocentissimum virus transmisit ab se longe, et saxorum asperitatibus propinavit. Æstuatum est in conciliis deorum, quibusnam modis posset intractabilis illa feritas edominari ; et cum via nulla superesset, ad opem concursum est unicam, ut mero madidaretur multo, et virilibus spoliaretur abcissis. Quasi vero affecti corporalibus his damnis fiant languidioris audaciæ, et non quotidie videamus eos qui sibi demessuerint has partes, majoris petulantiæ fieri, atque omnibus postpositis pudoris et verecundiæ frenis, in obscœnam prorumpere vilitatem, flagitiorum confessione vulgata. Vellem tamen videre, si esset mihi illis nasci temporibus datum, patrem illum Liberum, debellatorem ferocitatis Acdestiæ, post deorum angustissimas curias cœli ab culminibus lapsum, peniculantem, decurtantem cantherios, innectentem laqueos mobiles, aquarum innoxias puritates multa saucianlem vi meri ; et postquam ebrietas potu emersit, inseruisse caute manus, contrectavisse virilia dormientis, atque ut omnia cingerent circumpositi laqueorum morsus, artificii curam sic tum rebus adhibuisse perituris. Hoccine de diis quisquam vel exigua dixerit eorum opinione polluctus ? aut si talibus occupati sunt negotiis, cogitatio-

nibus, curis, quisquam eos sapiens aut deos esse crediderit, aut immortalium saltem in numero computaverit? Acdestis iste, oro, cujus obscœnitas amputata securitatem fuerat illatura cœlestibus, ex terrenis animantibus unus fuit, an deorum aliquis et immortalitatis præditus honore? Si enim nostræ sortis et conditionis habebatur humanæ, cur terrorem tantum numinibus inferebat? Deus autem si fuerat, qui potuit decipi, aut divino aliquid ex corpore desecari? Sed quæstionem movemus parte in hac nullam : fuerit licet divino e genere, vel ex nobis aliquis, si hoc rectius existimabitis dici : etiamne fluore de sanguinis, et ex genitalibus amputatis arbor mali enata est punici? an tum, cum vis illa telluris cooperta est gremio, solum radice complexa est, in stipitis exilivit robur, oneratos fudit balaustiis ramos, et in puncti spatio poma extulit mitia perfectionis propriæ maturitate completa? et quia de rubro exorta sunt sanguine, idcirco illis color est purpurei luminis affectione subluteus : addite huc etiam idcirco esse uvida, idcirco vinosa, quod ex sanguine saporatiore genus ducant, et fabulam convenienter implestis. O Abdera, Abdera, dares quantas vias mortalibus irridendi, talis si apud te esset fabula ita conflata? Dicunt eam cuncti patres, et superciliosæ perlegunt civitates et esse tu fatua et stoliditatis rigidissimæ judicaris? Per sinum, inquit, Nana filium concepit ex pomo : sequitur se ratio : ubi enim cautes et saxa pariunt dura, poma ibi necesse suriant. Glandibus atque ficis alebat Berecyntia religatam, convenienter et recte : pomis enim debuerat vivere, quæ mater fuerat facta de pomo. Postquam fœtus emissus est, longe jussus est ab Sangario projici : quem conceptum divinitus credidit esse jamdudum, et si gnatus esset, sobolem sui pignoris nuncupari. Lacte infans educatus hirquino est. O fabulam sexui inimicam semper atque infestissimam masculino! in qua secus virile non solum homines ponunt,

sed pecudes etiam fiunt ex maribus. Pulchritudine inclyta, et prædicabili fuit insignitus decore : admirabilis res satis, quod non illum fœtor vitabilem reddidit fugiendumque caprinus. Mater eum dilexit Magna : si nepotem ut avia, res simplex; sin theatra ut percrepant, infamis et flagitiosa dilectio est. Diligebat et Acdestis, venatoriis eum muneribus locupletans : ab semiviro quidem nullum esse poterat periculum castitatis, sed quid Midas horruerit non est facile suspicantibus existimare. Ipsis Mater est ingressa cum mœnibus : admiramur quidem in hac parte vires et fortitudinem numinis; sed culpamus negligentiam rursus, quod cum legis meminisset et fati, patefecerit hostibus minus provida civitatem. Nuptialia celebrantibus vota, furias Acdestis insaniamque subjecit : si Midas rex offenderat, qui uxore adolescentulum vinciebat, quid amiserat Gallus, quid pellicis filia, ut ille se viro, hæc mammarum honestate privaret? Tibi habe hæc, inquit, propter quæ iras tantas animorum subversionibus concitasti. Nesciremus adhuc omnes quid in adulti corpore furor desiderasset Acdestius, nisi puer abcissas has partes objecisset offenso. Quid dicitis, o gentes? quid, hujusmodi deditæ opinionibus nationes? nonne cum ista promuntur, arripit vos pudor, et tantarum verecundia fœditatum? Nos avemus a vobis quid de diis dignum vel audire, vel discere; at vero vos nobis mammarum expromitis exectiones, amputationes virilium veretrorum, iras, sanguinem, furias, interitus virginum voluntarios, et ex sanguine mortuorum flores atque arbores procreatas. Dicite, o iterum : ergone deum Mater genitalia illa desecta cum fluoribus, ipsa per se mœrens officiosa sedulitate collegit, ipsa sanctis manibus, ipsa divinis contrectavit ac sustulit flagitiosi operis instrumenta fœdique, abscondenda etiam mandavit terræ, ac ne nuda in gremio diffluerent sic soli, priusquam veste velaret ac tegeret, lavit utique balsa-

mis atque unxit? Unde enim violæ nasci potuissent odoræ, nisi putorem membri unguentorum illa suffectio temperaret? Cum historias, quæso, perlegitis tales, nonne vobis videmini aut textriculas puellas audire tædiosi operis circumscribentes moras; aut infantibus credulis avocamenta quæritantes anus longævas, et varias fictiones sub imagine veritatis expromere? Cum Jove locutus est Acdestis, ut amato restitueret vitam : annuere Jupiter recusavit, quia fatis potentioribus prohibebatur : ac ne esset omnino durissimus, unam largitus est gratiam, ne putrore corpus dissolveretur ullo, succrescerent comæ semper, minimissimus digitorum solus ut in corpore viveret, solus motus perpetuos exhiberet. Hoccine quisquam admiserit, aut credulitatis assensione firmarit, pilum in mortuo crescere, partem non interisse, et sejunctum ab lege putredinis mortale corpus adhuc usque durare? Urgere vos jamdudum ad istius rei comparationem possemus, nisi stultitiæ pars esset et talia discere, et hujusmodi rerum indicia postulare. Sed historia hæc falsa est, neque ullam continet veritatis in se partem. Nostra quidem nihil interest, quorum causa contenditis exterminatos esse ab terris deos, utrumne sit constans et fidei firmitate connixa, an contra mendaciter et falsitatis alicujus fictione composita. Nobis enim satis est, quibus hodie manifestare propositum est, numina ista quæ promitis, si sunt uspiam gentium, atque irarum fervoribus incalescunt, non magis a nobis quam a vobis accipere offensionum furialium causas; et esse illam in rebus, et a vobis in commentariis relatam, et a volentibus quotidie perlegi, et futuri temporis pro instructione, per ordinem succedentium tradi. Quæ si utique vera est, nullam videmus subesse rationem cur nobis irasci perhibeantur dii cœlites, cum turpitudines illorum tantas neque nos prodiderimus, neque in litteras contulerimus ullas

neque in publicam testificationem sacrorum celebritatibus miserimus. Sin autem, ut remini, falsa est, et mendaciis interpolata fallacibus, ambigere hominum nullus potest quin causa vos sitis offensæ, qui vel talia quosdam conscribere siveritis, aut conscripta durare sæculorum in memoria sitis passi. Et tamen qui potestis falsitatis arguere conscriptionem istam, cum ipsa sacra sint testimonia, quæ per cursus annuos factitatis, et credi a vobis esse vera, et exploratæ fidei judicari? Quid enim sibi vult illa pinus quam semper statis diebus in deum Matris intromittitis sanctuario? nonne illius similitudo est arboris sub qua sibi furens manus et infelix adolescentulus intulit, et Genitrix divum in solatium sui vulneris consecravit? Quid lanarum vellera quibus arboris colligatis et circumvolvitis stipitem? nonne illarum repetitio lanarum est quibus jam deficientem et contexit, et teporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus? Quid compti violaceis coronis, et redimiti arboris ramuli? nonne illud indicant, uti Mater primigeniis floribus adornaverit pinum miserabilis indicem testimoniumque fortunæ? Quid pectoribus applodentes palmas passis cum crinibus Galli? nonne illos referunt in memoriam luctus quibus Mater turrita cum Acdesti lacrymabili puerum prosecuta est ejulatu? Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen *castus?* nonne illius temporis imitatio est, quo se numen ab Cereris fruge violentia mœroris abstinuit? Aut si ea quæ dicimus non sunt ita, vos dicite, evirati isti mollesque quos interesse vobiscum in istius numinis videmus sacris, quidnam istic habeant negotii, sollicitudinis, curæ? et cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos, et fortunam imitentur in lamentabili constitutorum sorte? Quid coronæ? quid violæ? quid volucra, mollium et velamenta lanarum? Cur ad ultimum pinus ipsa paulo ante in dumis inertissi-

mum nutans lignum, mox ut aliquod præsens atque augustissimum numen, deum Matris constituatur in sedibus? Aut enim hæc causa est quam in vestris scriptis et commentariis invenimus, et manifestum est vos non divinas conficere cæremonias, sed imaginem tristium redintegrare gestorum: aut si alia ratio est, quam mysterii nobis abnegavit obscuritas, et ipsa quoque necesse est turpitudinis alicujus participetur infamia. Quis est enim qui credat honestatis aliquid in ea re esse quam initiant viles Galli, effœminati conficiunt exoleti? Postulat quidem magnitudo materiæ, atque ipsius defensionis officium, ut similiter cæteras turpitudinum species persequamur, vel quas produnt antiquitatis historiæ, vel mysteria illa continent sancta quibus *initiis* nomen est, et quæ non omnibus vulgo, sed paucorum taciturnitatibus traditis; sed sacrorum innumeri ritus, atque affixa deformitas singulis, corporaliter prohibet universa nos exequi: quinimo, ut verius exprimamus, a quibusdam nos ipsi consilio et ratione deflectimus; ne dum explicare contendimus cuncta, expositionis ipsius contaminationibus polluamur.

IV. Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur dea, transeamus: quam myrteis cæsam virgis, quod marito nesciente seriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat Sexto de diis Græco: signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieris faciunt, vini amphora constituatur obtecta; nec myrteas fas sit inferre verbenas, sicut suis scribit in Causalibus Butas. Sed et deos Conserenteis pari more ac dissimulatione taceamus, quos cum cæteris scribit Flaccus in humani penis similitudinem versos obruisse se cineri, qui sub ollula fuerat factus extorum; quem cum Tanaquil dimoveret, Etruriæ disciplinarum perita, surrexisse se deos et nervis obduruisse divinis; Corniculæ inde imperavisse captivæ, ut intelligeret et agnosceret quid sibi

res vellent : Ocrisiam prudentissimam fœminam divos inseruisse genitali; explicuisse motus certos : tunc sancta et ferventia numina vim vomuisse Lucillii, ac regem Servium natum esse Romanum. Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum est : in quibus furore mentito et sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentati oribus dissipatis. Necnon et Cypriæ Veneris abstrusa illa initia prætereamus : quorum conditor indicatur Cinyras rex fuisse : in quibus sumentes ea, certas stipes inferunt ut meretrici, et referunt phallos propitii numinis signa. Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur, frater trucidatus a fratribus, interempti ex sanguine apium natum, prohibitum mensis olus illud apponi, ne a manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio. Sed et illa desistimus Bacchanalia altera prædicare, in quibus arcana et tacenda res proditur insinuaturque sacratis : ut occupatus puerilibus ludicris, distractus ab Titanibus Liber sit; ut ab iisdem membratim sectus, atque in ollulas conjectus ut coqueretur : quemadmodum Jupiter suavitate nidoris illectus, invocatus advolarit ad prandium, compertaque re gravi grassatores obruerit fulmine, atque in imas tartari præcipitaverit sedes. Cujus rei testimonium, argumentumque fortunæ, suis prodidit in carminibus vates Thracius : talos, speculum, turbines, volubiles rotulas et teretes pilas, et virginibus aurea sumpta ab Hesperidibus mala. Ea erat nobis consilium præterire, prætervehi illa etiam mysteria quibus Phrygia initiatur, atque omnis gens illa; nisi nomen interpositum his Jovis prohiberet nos strictim injurias ejus ignominiasque transire : non quo nobis dulce sit tam fœdis inequitare mysteriis, sed ut ipsis vobis promptum etiam atque etiam fiat, quid in

eos congeratis injuriæ, quorum profitemini vos esse custodes, vindices, veneratores. Quondam Diespiter, inquiunt, cum in Cererem suam matrem libidinibus improbis atque inconcessis cupiditatibus æstuaret; nam genitrix hæc Jovis regionis ejus ab accolis traditur; neque tamen auderet id, id quod procaci appetitione conceperat, apertissima vi petere, ingeniosas comminiscitur captiones, quibus nihil tale metuentem castitate imminueret genitricem : fit ex Deo taurus, et sub pecoris specie subsessoris animum atque audaciam celans, in securam et nesciam repentina immittitur vi furens, agit incestius res suas, et prodita per libidinem fraude, intellectus et cognitus evolat. Ardescit furiis atque indignationibus mater, spumat, anhelat, exæstuat, nec fremitum continere tempestatemque irarum valens, ex continua passione Brimo deinceps ut appelletur, assumpsit : neque alia cordi est res ei, quam ut audaciam filii pœnis quibus potis est persequatur. Jupiter satagit fractus metu, nec quibus remediis leniat violatæ animos reperit. Fundit preces, et supplicat : obstructæ sunt dolentis aures. Allegatur deorum universus ordo : nullius auctoritas tanta est ut audiatur. Ad postremum filius vias satisfactionis inquirens, comminiscitur remedium tale : arietem nobilem bene grandibus cum testiculis deligit, exsecat hos ipse, et lanato exuit ex folliculi tegmine. Accedit mœrens et summissus ad matrem, et tanquam ipse sententia condemnasset se sua, in gremium projicit et jacit hos ejus. Virilitate pignoris visa, sumit animum mitiorem, et concepti fœtus revocatur ad curam; parit mensem post decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens modo Liberam, modo Proserpinam nuncupavit. Quod cum verveceus Jupiter bene validam, floridam, et succi esse conspiceret plenioris, oblitus paulo ante quid malorum et sceleris esset aggressus, et temeritatis quantum, redit ad priores

actus : et quia nefarium videbatur satis, patrem cum filia cominus uxoria conjugatione misceri, in draconis terribilem formam migrat; ingentibus spiris pavefactam colligat virginem, et sub obtentu fero, mollissimis ludit atque adulatur amplexibus. Fit ut et ipsa de semine fortissimi compleatur Jovis, sed non eadem conditione qua mater : nam illa filiam reddidit lineamentis descriptam suis; at ex partu virginis tauri species fusa, Jovialis monumenta pellaciæ. Auctorem aliquis desiderabit rei? tum illum citabimus Tarentinum notumque senarium, quem antiquitas canit dicens: « Taurus draconem genuit, et taurum draco. » Ipsa novissime sacra, et ritus initiationis ipsius, quibus Sabadiis nomen est, testimonio esse poterunt veritati : in quibus aureus coluber in sinum dimittitur consecratis, et eximitur rursus ab inferioribus partibus atque imis. Non esse arbitror necessarium sermone quoque hic multo membra ire per singula, quantæque insint in partibus pravis turpitudinum scatebræ flagitiorumque monstrare. Quis est enim mortalium, vel exiguæ humanitatis sensum ferens, qui non ipse pervideat qualia sint hæc omnia, quam scelerata, quam fœda, quantasque ignominias dii ferant ex ipsis mysteriorum sacris, et ex sacrorum originibus indecoris? Jupiter, inquit, exarsit in Cererem. Quid tantum, quæso de vobis adulterium nullum, quod in ejus non caput, velut in aliquam congeratis vilem luteamque, Jupiter iste, quicumque est, meruit, quod genus est nullum probri infame, personam? Matrimonii prodidit jus Leda : Jupiter esse dicitur auctor culpæ. Virginitatem Danaë custodire nequivit : furtum esse narratur Jovis. Ad mulieris nomen properavit Europa : expugnator pudicitiæ idem esse jactatur. Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ virgines, ac mille matres, cumque illis Catamitus puer pudoris spoliatus est honestate : eadem ubique est Jupiter fabula, neque ullum turpitudinis genus

est in quo ejus non nomen consociatis libidinibus inseratis : ut videatur miserabilis prorsus nullam non esse causam ob aliam natus, nisi ut esset criminum sedes, maledictorum materia, locus quidam expositus in quem spurcitiæ se omnes sentinarum colluvionibus derivarent. Quem tamen si diceretis cum extraneis habuisse commercium fœminis, impia res quidem, sed tolerabilis esset maledictionis injuria. Etiamne in matrem, etiamne in filiam efferati pectoris appetitionibus adhinnivit ? neque illum sanctitas aut reverentia genitricis, horror etiam pignoris ex se sati, ab imagine potuit tam fœdæ cogitationis abducere ? Vellem itaque videre patrem illum deorum Jovem, æternam rerum atque hominum potestatem, bubulis esse cohonestatum cornibus, hirsutas agitantem aures, contractis in ungulas gressibus ruminantem pallentes herbas, et ex parte postica caudam, suffragines, talos molli fimo perlitum, atque intestina proluvie delibutum. Vellem, inquam, videre, dicendum est enim sæpius, torquentem illum sidera, et qui pallidas nationes fragore perterret et prosternit, consectantem vervecum greges, inspicientem testiculos arietinos, arripientem hos manu censoria illa atque divina qua vibrare coruscos ignes et sævire fulminibus suetus est; tum deinde secreta rimantem illa, summotisque arbitris circumjectas prolibus diripientem membranulas, ferventique adhuc matri velut quasdam infulas eliciendæ miserationis offerentem : deductum, pallidum, saucium, simulantem doloris cruces, et ad fidem facto faciendam, arietino sanguine coïnquinatum, et mendacia vulneris laneis fasciis linteolisque contectum. Hoccine audiri et perlegi sub mundi hoc axe ? et eos qui hæc tractant existimari se velle pios, sanctos, religionumque custodes ? Estne aliquod sacrilegium hoc majus ? aut ulla gens inveniri tam irreligiosis potest opinionibus prædita, quam quæ talia credit aut accipit, aut sacrorum intimis in mysteriis

prodit? Jupiter ille, quicumque est, si sentiret se esse, aut si ullo sensu afficeretur injuriæ, nonne digna res esset propter quam iratus et percitus terram nostris subduceret gressibus, solis lumina extingueret atque lunæ, quinimo res omnes in antiquæ speciem confunderet unitatis?

V. Sed non sunt, inquit, Reipublicæ nostræ hæc sacra. Quisnam istud dicit, aut quis reponit? Romanus, Gallus, Hispanus, Afer, Germanus, aut Siculus? Et quid adjuvat causam si vestra hæc non sunt, cum qui ea conficiunt sint vestrarum partium? aut quid refert utrumne ea probetis, necne, cum quæ vestra sint propria, aut simili fœditate, aut turpitudinis genere reperiantur esse majore? Vultis enim consideremus mysteria et illa divina, quæ Thesmophoria nominantur a Græcis, quibus gente ab Attica sancta illa pervigilia consecrata sunt et pannychismi graves? Vultis, inquam, videamus quas origines habeant, quasve causas, ut Athenas etiam probemus ipsas, humanitatis artibus studiisque pollentes, tam in deos dicere contumeliosa quam dictitent alii; nec minora ab his probra quam cæteris objiciantur a vobis, religionis sub specie publicari? Quodam, inquiunt, tempore cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, et adhuc virgo Proserpina; cumque illam per floream messem huc atque illuc passim lectionis cupiditas avocaret, per profundæ altitudinis specum rex prosiliens Manium, raptam virginem secum vehit, et terrarum absconditur successibus rursus. Quod cum factum nesciret Ceres, nec filia esset ubinam gentium suspicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere: sumit faces geminas flammis comprehensas Ætnæis, quibus sibi prælucens, pergit ire quæsitum terrarum in regionibus cunctis. In istius conquisitionis errore Eleusinios etiam pervehitur fines: pagi istud est nomen regione in Attica constituti. Qui illud temporis has partes incolebant terrigenæ, quibus nomina hæc fue-

rant: Baubo, Triptolemus, Eubuleus, Dysaules, Eumolpus: boum jugator Triptolemus, capellarum Dysaules custos, Eubuleus porcorum, gregis lanitii Eumolpus, a quo et gens et fluit Eumolpidarum, et ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, et qui postea floruerunt caduceatores, hierophantæ atque præcones. Igitur Baubo illa, quam incolam diximus Eleusini fuisse pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hospitio Cererem, adulatur obsequiis mitibus, reficiendi corporis rogat curam ut habeat, sitienti ardoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quam nuncupat Græcia: aversatur et respuit humanitatis officia mœrens dea, nec eam fortuna perpetitur valetudinis meminisse communis. Rogat illa atque hortatur contra, sicut mos est in hujusmodi casibus, ne fastidium suæ humanitatis assumat: obstinatissime durat Ceres, et rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cum sæpius fieret, neque ullis quiret obsequiis ineluctabile propositum fatigari, vertit Baubo artes, et quam serio non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis: partem illam corporis per quam secus fœmineum et sobolem prodere, et nomen solet acquirere generi, tum longiore ab incuria liberat; facit sumere habitum puriorem, et in speciem levigari nondum duri atque striculi pusionis: redit ad deam tristem, et inter illa communia quibus moris est frangere ac temperare mœrores, retegit se ipsam, atque omnia illa pudoris loca revelatis monstrat inguinibus. Atque pubi affigit oculos diva, et inauditi specie solaminis pascitur: tum diffusior facta per risum, aspernatam sumit atque ebibit potionem; et quod diu nequivit verecundia Baubonis exprimere, propudiosi facinoris extorsit obscœnitas. Calumniari nos improbe si quis forte hominum suspicatur, libros sumat Threicii vatis, quos antiquitatis memoratis esse divinæ, et inveniet nos nihil neque callide fingere, neque quo sint risui deum quærere atque efficere

sanctitates. Ipsos namque in medio ponemus versus quos Calliopes filius ore edidit Græco, et cantando per sæcula generi publicavit humano.

Sic effata, sinu vestem contraxit ab imo,
Objecitque oculis formatas inguinibus res :
Quas cava succutiens Baubo manu, nam puerilis
Ollis vultus erat, plaudit, contrectat amice.
Tum Dea defigens augusti luminis orbes,
Tristitias animi paulum mollita reponit :
Inde manu poclum sumit, risuque sequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Quid, Erechthidæ o cati, quid cives Minervii dicitis? Avet animus scire quibus sitis eloquiis tam ridiculosa negotia defensuri, vel artibus habeatis quibus tam confossis salutem dare personis, vulneribus atque causis. Non est ista falsa suscriptio, nec delatione appetimini calumniosa. Eleusiniorum vestrorum notas et origines producunt turpes, antiquarum elogia litterarum, ipsa denique symbola quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis : « Jejunavi, » atque ebibi cyceonem : ex cista sumpsi, et in calathum » misi : accepi rursus, in cistulam transtuli. » Ergone, ut promunt sancta illa atque arcana mysteria, rapiuntur et rapiunt dii vestri? matrimonia copulant fraudibus appetita furtivis? ab repugnantibus et invitis decus virginitatis eripitur? imminentes nesciuntur injuriæ? quidnam raptis acciderit ignoratur? amissi quæruntur ut homines? et sub sole clarissimo cum lucernis et facibus orbis peragrant vastitatem? afficiuntur, ægrescunt, lugentium sumunt sordes et miserorum insignia; atque ut animum commodare alimoniis possint victuique sumendo, non ratio, non tempus, non sermo aliquis adhibetur gravis aut affabilitas seria, sed propudiosa corporum monstratur obscœnitas, objectantur-

que partes illæ quas pudor communis abscondere atque naturalis verecundiæ lex jubet, quas inter aures castas sine venia nefas est ac sine honoribus appellare præfatis. Quidnam, quæso, in spectu tali, quid in pudendis fuit verendisque Baubonis, quod fœminei sexus deam, et consimili formatam membro, in admirationem converteret atque risum; quod objectum lumini conspectuique divino, et oblivionem miseriarum daret, et habitum in lætiorem repentina hilaritate traduceret? O qualia, o quanta irridentes potuimus cavillantesque depromere, si non religio nos gentis et litterata prohiberet auctoritas!

VI. Jamdudum me fateor hæsitare, circumhiscere, tergiversari, tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare Tellenas, dum pudor me habet Alimontia illa proferre mysteria, quibus in Liberi honorem patris phallos subrigit Græcia, et simulacris virilium fascinorum territoria cuncta florescunt. Quid sit istud, obscurum est forsitan, et qua fiat ratione disquiritur. Quisquis istud ignoras, disce; atque admiratus res tantas, puris semper in sensibus meticulosa observatione custodi. Cum inter homines, inquiunt, esset adhuc Nysius et Semeleius Liber, nosse inferos expetivit, et sub tartari sedibus quidnam rerum ageretur inquirere: sed cupiditas hæc ejus nonnullis difficultatibus impediebatur; quod qua iret ac pergeret, inscitia itineris nesciebat. Prosumnus quidam exoritur, ignominiosus amator dei, atque in nefarias libidines satis pronus, qui se januam Ditis atque Acherusios aditus pollicetur indicaturum, si sibi gereret morem deus, atque uxorias voluptates pateretur ex se carpi. Deus facilis jurat potestatis futurum ac voluntatis se ejus, sed cum primum ab inferis compos voti atque expeditionis redisset. Viam comiter Prosumnus edisserit, atque in limine ipso prostituit inferorum. Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias, atque alias res omnes curiosa

inquisitione collustrat, ex viventium numero index ille decedit, atque ex more sepelitur humano. Emergit ab inferis Evius, et recognoscit extinctum ducem : qui ut fidem compleret pacti, et jurandi solveret religione se juris, locum pergit ad funeris, et ficorum ex arbore ramum validissimum præsecans, dolat, runcinat, levigat, et humani speciem fabricatur in penis; figit super aggerem tumuli, et postica ex parte nudatus, accedit, subdit, insidit. Lascivia deinde surientis assumpta, huc atque illuc clunes torquet, et meditatur ab ligno pati quod jamdudum in veritate promiserat. Ac ne quis forte a nobis tam impias arbitretur confictas res esse, Heraclito testi non postulamus ut credat, nec mysteriis volumus quid super talibus senserit ex ipsius accipiat lectione : totam interroget Græciam quid sibi velint hi phalli quos per rura, per oppida mos subrigit et veneratur antiquus; inveniet causas et eas res esse quas dicimus : aut si fuerit puditum veritatem simpliciter explicare, quid obscurare, quid tegere causam ritus atque originem proderit, cum criminatio ipsa religionis in re sit?

VII. Quid dicitis, o gentes? quid occupatæ, quid deditæ templorum venerationibus nationes? Ad hæccine nos sacra flammis, exiliis, cædibus, atque reliquo genere suppliciorum compellitis, et crudelitatis metu? hoscine nobis deos importatis, insinuatis, infligitis; quorum similes nec vos esse, neque alium velitis quemquam sanguinis vobis gradu et jure familiaritatis adjunctum? Potestisne impubibus et prætextatis vestris, quas Liber induxerit pactiones suis cum amatoribus indicare? Potestis vestras nurus, quinimo vobis matrimonio conjugatas, ad verecundiam Baubonis impellere, atque ad pudicas Cereris voluptates? Vultis vestri juvenes sciant, audiant, discant, Jupiter ipse qualis in unam extiterit atque alteram matrem? Vultis adultæ virgines, robustique adhuc patres, idem iste in filiam qua luserit arte

cognoscant? Vultis germani jam fervidi, atque ex iisdem seminibus fratres, eumdem rursus accipiant, concubitus, lectulos non esse aspernatum sororis? Ita ergo non protinus ab hujusmodi fugiendum diis longe, ac ne irrepat in animum tam impuræ religionis obscœnitas, audientia tota claudenda est? Quis est enim mortalium tam pudicis moribus institutus, quem non ad hujusmodi furias deorum documenta proritent? Aut quis suas comprimere cupiditates a cognatis valeat reverendisque personis, cum apud superos sanctum nihil in libidinum videat confusione servatum? Ubi enim primam perfectamque naturam intra fines constiterit justos cupidinem suam non valuisse frenare, cur non in promiscuos appetitus effundat se homo, et ingenita fragilitate præceps datus, et magisterio sanctæ divinitatis adjutus? Jamdudum me fateor reputantem mecum in animo rerum hujuscemodi monstra, solitum esse mirari audere vos dicere quemquam ex his atheum, irreligiosum, sacrilegum, qui deos esse omnino aut negent aut dubitent, aut qui eos homines fuisse contendant, et potestatis alicujus et meriti causa deorum in numerum relatos: cum si verum fiat atque habeatur examen, nullos quam vos magis hujusmodi par sit appellationibus nuncupari, qui sub specie cultionis plus in eos ingeratis maledictionum et criminum, quam si aperte hoc facere confessis maledictionibus coïmbibissetis? Deos esse qui dubitat, aut esse omnino qui negat, quamvis sequi sententias immanes opinionum videatur audacia, sine ullius tamen insectatione personæ, fidem rebus non accommodat involutis: et qui generis asseverat eos fuisse terreni, quamvis eos privet sublimitate cœlitum, subsicivis tamen accumulat laudibus; siquidem illos divinitatis ad meritum beneficiis autumat et virtutum admirationibus sublevatos. Vos vero qui vindices et eorum contenditis immortalitatis esse propagatores, unum ex his quempiam præteristis, trans-

istis vestris maledictionibus invulneratum? aut genus ullum est probri tam communi existimatione damnabile, quod in eos conferre metueritis, vel nominis saltem auctoritate tardati? Quis caduca et mortalia corpora deos edidit amasse? non vos? Quis illa furta dulcissima in alienis genialibus perpetrasse? non vos? Quis cum matribus liberos, quis cum suis virginibus rursus patres infaustos miscuisse concubitus? non vos? Quis scitulos pusiones, atque adultos venustissimis lineis, appetitos esse inhoneste? non vos? Quis abcissos, quis exoletos, quis versipelles, quis fures, quis in vinculis habitos, quis in catenis, quis denique fulminibus appetitos, quis vulneratos, quis obiise supremos dies, sepulturas etiam meruisse terrenas? non vos? Cum igitur a vobis tot et tanta conflata sint deorum in contumelias crimina, audetis objicere nostri nominis causa numinum esse offensas mentes, cum jamdudum vos liqueat irarum esse tantarum reos, et divinæ indignationis auctores?

VIII. Sed erras, inquit, et laberis, satisque te esse imperitum, indoctum ac rusticum ipsa rerum insectatione demonstras. Nam istæ omnes historiæ quæ tibi turpes videntur, atque ad labem pertinere divinam, mysteria in se continent sancta, rationes miras atque altas, nec quas facile quivis possit ingenii vivacitate pernoscere. Neque enim quod scriptum est atque in prima est positum verborum fronte, id significatur et dicitur; sed allegoricis sensibus et subditivis intelliguntur omnia illa secretis. Itaque qui dicit, Cum sua concubuit Jupiter matre, non incestas significat aut propudiosas Veneris complexiones, sed Jovem pro pluvia, pro tellure Cererem nominat. Et qui rursus perhibet lascivias eum exercuisse cum filia, nihil de fœdis voluptatibus loquitur, sed pro imbris nomine ponit Jovem, in filiæ significatione sementem. Sic et ille qui raptam Dite a patre Proserpinam dicit, non, ut reris, in turpissimos ap-

petitus viraginem dicit raptam; sed quia glebis occulimus semina, isse sub terras deam, et cum Orco significat fœdera genitalis conciliare fœturæ. Consimili ratione et in historiis cæteris aliud quidem dicitur, sed intelligitur aliud; et sub vulgaris simplicitate sermonis latet ratio secreta, et altitudo involuta mysterii. Argutiæ sunt, ut apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire solemne est malas in judiciis causas; quinimo, ut verius dicam, sophisticarum disputationum colores, quibus non verum, sed imago et species veri semper atque umbra conquiritur. Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet, decursum est in has partes, ut alia subjiceretur res alii, et in speciem decoris turpitudinis interpretatio cogeretur. Sed quid ad nos istud, an alii sensus aliæque sententiæ conscriptionibus vanis subsint? Nobis enim satis est, qui deos a vobis scelerate contendimus impieque tractari, quod scriptum est, quod auditur accipere, nec curare in abdito quid sit, cum contumelia numinum non in obscura sensuum mente, sed in verborum eminentium significatione teneatur. Ac ne tamen videamur inspicere quale sit istud quod dicitur nolle, primum illud a vobis, si modo commodare patientiam vultis; exquirimus primum allegorico genere vel scripta hæc esse, vel eodem modo intelligi oportere, unde est vobis cognitum, vel unde intimatum? In consilium scriptores advocavere vos? aut tum in eorum pectoribus latitabatis, cum pro aliis res alias inter veritate capta subdebant? Deinde si illi rationis alicujus et religionis metu mysteria illa convolvere tenebrosa obscuritate voluerunt, quantum vobis audaciæ est, ut quod illi noluerunt vos velitis intelligere; vos scire et cunctorum substernere notioni, quod illi frustra verbis minus verum significantibus occulerunt?

IX. Sed, ut vobis assentiamur in fabulis his omnibus cervas pro Iphigeniis dici: unde tamen vobis liquet, cum

allegorias istas vel explanatis vel expanditis, eadem vos interpretari eademque sentiri quæ sub tacitis cogitationibus ipsis ab historicis sensa sunt, nec per voces proprias, significationibus sed aliis explicata? Vos Jovis et Cereris coïtum, imbrem dicitis dictum, telluris in gremium lapsum : potest alius aliud et argutius fingere, et veri cum similitudine suspicari : potest aliud tertius, potest aliud quartus; atque ut se tulerint ingeniorum opinantium qualitates, ita singulæ res possunt infinitis interpretationibus explicari. Cum enim e rebus occlusis omnis ista quæ dicitur allegoria sumatur, nec habeat finem certum, in quo rei quæ dicitur sit fixa atque immota sententia, unicuique liberum est in id quo velit attrahere lectionem, et affirmare id positum in quod eum sua suspicio et conjectura opinabilis duxerit. Quod cum ita se habeat, qui potestis res certas rebus a dubiis sumere, atque unam adjungere significationem dicto, quod per modos videatis innumeros expositionum varietate deduci? Denique si ad commodum ducitis, etiam illud a vobis repetita interrogatione conquirimus : omnes de diis fabulas existimetis, id est, singulas totas ambifarias ac bilingues, et versipellibus esse scriptas modis; an alias earum partes nihil ambiguum dicere, alias vero multifidas atque allegorici tegminis superjectione velatas? Si enim ad finem a capite textus omnis expositionis et series obtentionibus allegoricis clausa sunt, edissertate, monstrate quid pro rebus singulis, quas unaquæque eloquitur fabula, supponere debeamus et promere, quasque in res alias atque intelligentias vocare. Ut enim Jovem pro pluvia, Cererem, verbi causa, pro terra vultis audire, et pro Libera ac patre Dite, submersionem seminis atque jactum : ita dicere vos convenit quid pro tauro debeamus accipere, quid pro indignatione Cereris atque ira? quid sibi velit Brimo verbum, quid Jovis solliciti supplicatio? quid allegati cœlites, nec auditi?

quid exectus aries? quid execti arietis proles? quid satisfactio his facta? quid quæ rursus gesta sunt libidine obscœniore cum filia? Consimiliter et in altera fabula, Hennæ nemus et flores quid sint? quid sumptus ignis ex Ætna, comprehensæque isto faces? quid peragratio cum his orbis? quid Attica regio? quid Eleusinius pagus? quid Baubonis tugurium atque hospitium rusticana? quid cyceonis significet potio? quid aspernatio potionis? quid novatio et revelatio pudendorum? quid spectaculi flagitiosa dulcedo, et ex remediis talibus orbitatis oblivio comparata? Quod si pro omnibus quod oporteat subjici rerum immutatione monstratis, erit ut vobis assensum super tali asseveratione tribuamus: sin autem singula singulis neque potestis supponere, nec alterum in sensum rerum vocare contextum, quid allegoriis obscuratis honestis id quod simpliciter scriptum est, et communem ad intelligentiam publicatum? Nisi forte dicetis, non toto in historiæ corpore allegorias has esse, cæterum partes alias esse communiter conscriptas, alias vero dupliciter et ambifaria obtentione velatas. Urbana est ista subtilitas, et quibuslibet brutis patens. Nam quia cuncta quæ scripta sunt inexpeditissimum vobis est traducere, invertere, derivare, eligitis quædam vestræ convenientia voluntati, et ex ipsis obtinere contenditis nothas atque adulteras lectiones interiori esse superpositas veritati. Quod tamen ut vobis ita sese habere quemadmodum dicitis annuamus, qui scitis, aut unde cognoscitis, utra pars sit sententiis historiæ scripta simplicibus, utra vero sit dissonis atque alienis significationibus tecta? Potest enim fieri ut quod vos existimatis sic esse, aliter se habeat; aut quod aliter creditis, conceptionibus aliis contrariisque prolatum sit. Ubi enim dicitur in unius materiæ corpore pars esse allegorice scripta, indubitabili altera sermone, rectoque; nec inest in re signum quo differitas indicari ambiguorum possit simpliciter-

que dictorum : tam potest quod simplex est ambiformiter dictum existimari, quam quod ambigue scriptum est reclusis esse obtentionibus credi. Quod quidem quo genere aut fiat, aut fieri posse creditur, intelligere confitemur minime non posse.

X. Inspiciamus enim quod dicitur hoc modo. In nemore, inquit, Hennensi quondam flores Proserpina virago lectitabat. Integrum adhuc istud est, et recta pronuntiatione prolatum : nam et nemus et flores quid sint, quid Proserpina, quid virago, cunctis indubitabiliter notum est. Emicuit Summanus e terris curru quadrijugo vectitatus. Simplex et hoc æque est : nam quadrigæ, currus atque Summanus interpretationem desiderant nullam. Improvisus Proserpinam rapuit, et sub terras secum avexit. Seminis, inquit, abstrusio raptione in Proserpinæ nuncupatur. Quid accidit, quæso, ut in aliud subito converteretur historia, ac semen Proserpina diceretur? ut quæ virago jamdudum florum in lectionibus habebatur, postquam sublata et rapta est, significationem cœperit habere sementis ? Jupiter, inquit, in taurum versus, concubitum matris suæ Cereris appetivit. Ut expositum supra est, nominibus his tellus et labens pluvia nuncupatur. Legem allegoricam video tenebrosis ambiguitatibus explicatam. Irata Ceres est, et exarsit, et arietis proles pro pœna atque ultione suscepit. Hoc iterum video communibus in proloquiis promptum : nam et ira, et testes, satisfactio, suis hic moribus et conditionibus dicta sunt. Quid ergo hic accidit ut, ab Jove qui pluvia, et ab Cerere quæ appellata est terra, res transiret ad verum Jovem, atque ad rerum simplicissimam dictionem? Aut igitur debent allegorico genere omnia esse scripta et posita, demonstrandaque universa nobis : aut genere isto conscriptum est nihil, quoniam esse quod creditur quasi parte ex historiæ non videtur. Allegorico genere scripta sunt hæc omnia. Minime is-

tud videtur certum. Quæritis qua ratione, qua causa? Quia omne quod gestum est, et in alicujus operis evidentia constitutum, conversionem non potest in allegoricam duci. Neque enim potest infectum esse quod factum est; aut rei gestæ natura in alienam potest degenerare naturam. Numquid bellum Iliacum in Socraticam verti condemnationem potest? aut pugna illa Cannensis, proscriptio fieri crudelitasque Syllana? Potest quidem proscriptio, quemadmodum Tullius ludit, pugna dici appellarique Cannensis; sed quæ gesta est dudum pugna esse non potest eadem, eademque proscriptio : neque enim quod gestum est potest aliud, ut dixi, quam id esse quod gestum est, aut in alienam migrare substantiam id quod in vi propria atque in sui generis qualitate defixum est. Unde igitur probamus historias has omnes rerum esse gestarum conscriptiones? Ex solemnibus scilicet sacris atque initiorum mysteriis, vel quæ statis fiunt temporibus ac diebus, vel quæ in abdito traduntur initiatis, moris proprii perpetuitate servata. Neque enim credendum est sine suis originibus hæc esse, frustra atque inania fieri, nec habere conjunctas primis institutionibus causas. Pinus illa solemniter quæ in Matris infertur sanctum deæ, nonne illius imago est arboris sub qua sibi Attis virum, demessis genitalibus, abstulit, et quam memorant divam in solatium sui consecravisse mœroris? Phallorum illa fascinorumque subrectio, quos ritibus annuis adorat et concelebrat Græcia, nonne illius facinoris similitudinem refert quo se a debito Liber liberavit? Eleusinia illa mysteria, et sacrorum reconditi ritus, cujus memoriam continent? nonne illius erroris quo in filiæ conquisitione Ceres fessa, oras ut venit ad Atticas, triticeas attulit fruges, Nebridarum familiam pellicula cohonestavit hinnulæ, et illud spectaculum maximum Baubonis in inguinibus risit? Aut si alia causa est, nihil ad nos istud, dummodo cuncta ista

constant. Neque enim credibile est nullis antecedentibus causis suscepta hæc esse : aut insanire judicandum est Atticos, qui sibi ritum religionis affixerint conflatum rationibus nullis. Quod si liquet et constat, id est, si rebus actis mysteriorum causæ atque origines effluunt, in allegoricas species nulla possunt conversione traduci : quod enim factum, gestum est, infectum non potest fieri rerum prohibente natura.

XI. Et tamen ut vobis ita se habere assentiamur res istas, id est, ut historiæ aliud verbis sonent, nescio quid aliud more hariolantium dicant, ita non animadvertitis, non videtis quanta istud dicatur et cum ignominia fieri contumeliaque divorum? An injuria gravior ulla potis est reperiri, quam terram, et pluviam, vel quodlibet aliud, nihil enim refert quæ fiat interpretatione conversio, Jovis et Cereris dicere atque appellare concubitum? et cum deorum criminibus labem imbris e cœlo, et telluris significare madorem? Potest irreligiosius quidpiam vel existimari, vel credi, quam seminia terris mersa, vel quodlibet aliud, nihil enim similiter refert, raptum Proserpinæ dicere, et cum nota Ditis patris rei rusticæ de opere proloqui? Nonne millies optatius fuit elinguem fieri atque mutum, atque scaturiginem istam vocis et strepitum fœdæ loquacitatis amittere, quam deorum nominibus res appellare turpisssimas; quinimo turpibus deorum factis negotia significare vulgaria? Antea mos fuerat in allegorica dictione, honestissimis sensibus obumbrare res turpes, et fœda prolatu honestorum convestirier dignitate. At vero vobis auctoribus per turpitudinem dicuntur res graves, et castitate pollentia obscœnis commemorantur in vocibus : ut quod olim pravitas fœdorum verecundia contegebatur, nunc verniliter turpiterque dicatur, dignorum elocutione mutata. Quod in adulterio dicimus Martem, inquit, et Venerem Vulcani esse circumretitos

arte, cupiditatem dicimus atque iram, vi pressas consilioque rationis. Quid enim prohibebat, quid obstabat suis unamquamque rem verbis et suis significationibus promere? imo quid urgebat, cum nescio quid indicare per commentarios et scripta voluisses, nolle illud intelligi quod indicaris, sed contrarias res simul una expositione suscipere, studium docere cupientis, et nolentis ostendere malignitatem? An deos adulteros dicere periculum habuit nullum? prolatio cupidinis atque iræ, linguam et os fuerant obscœno coïnquinatura contactu? Quod si utique fieret, et allegoricæ cæcitatis obumbratio tolleretur, et facilis ad discendum res esset, et deorum dignitas conservaretur illæsa. Nunc vero cum dicitur, in Martis et in Veneris vinctione vitiorum esse significata compressio, perversissimæ res duæ simul iisdem temporibus fiunt, ut et fœdæ rei species intellectum subjiciat honestatis, et prius animum turpitudo quam religionis alicujus perstringat auctoritas. Nisi forte dicetis, hoc enim solum restat quod a vobis posse videatur opponi, deos sua mysteria nolle ab hominibus sciri, et idcirco historias ambagibus esse allegoricis scriptas. Et unde vobis est liquidum quod hominibus superi nolunt sua mysteria publicari? unde illa vos scitis, aut cur ea dissolvere in allegoriarum explanatione curatis? Ad extremum et ultimum, quid sibi dii volunt, ut honesta cum nolint, turpissima de se dici atque indecora patiantur? Attidem cum minamus, solem inquit, significamus et dicimus : sed si Attis sol est, quemadmodum connumeratis et dicitis, quis erit Attis ille quem in Phrygia genitum vestræ produnt atque indicant litteræ; quem passum esse res certas, fecisse item res certas; quem in spectaculis ludicris theatra universa noverunt; cui inter sacros cultus res videmus fieri specialiter annuas, nominatimque divinas? Utrumne ab sole ad hominem, an ad homine ab solem vocabuli hujus

facta translatio est? Si enim nomen istud principaliter ab origine solis, quid tandem de vobis sol aureus meruit, ut ei cum semiviro faceretis vocabulum istud esse commune? sin hirquinum et Phrygium est, quid Phaëthontis genitor, pater hujus luminis et claritatis admisit, ut abcisso ab homine dignus videretur vocari, et augustior fieret evirati corporis nuncupatione signatus?

XII. Sed quid sit istud jam promptum est omnibus: nam quia talium scriptorum historiarumque vos pudet, nec aboleri videtis posse ea quæ sunt fœde semel in commentarios relata, nitimini cohonestare res turpes, atque omnibus argutiarum modis pro rebus subditis verborum invertitis corrumpitisque naturas; atque ut olim accidere male sanis assolet, quorum turbida vis morbi sensum atque intelligentiam depulit, confusa atque incerta jactatis, et inanium per rerum figmenta bacchamini. Esto in Jovis et Cereris cœtu irrigatio sit significata telluris; occultatio seminis, patris in Ditis raptu; vina per terras sparsa, distractis in visceribus Liberi: cupiditatis et temeritatis compressio, colligatio dicta sit adulterorum Veneris atque Martis. Sed si fabulas has vultis more esse allegorico scriptas, quid cæteris fiet quas non videmus posse versuras in hujusmodi cogi? Quid enim subjiciemus pro illis fluctibus quos super aggerem tumuli Semeleiæ sobolis urigo contorsit? et quid pro illis Ganymedibus raptis, atque in libidinum magisteria substitutis? Quid pro illa conversione formiculæ, in quem Jupiter maximus vastitatis suæ lineamenta contraxit? Quid pro cycnis et satyris; quid pro aureis imbribus, in quos idem se pellax fraude induit perfida, formarum varietatibus ludens? Ac ne de Jove solo loqui videamur voluisse, in amoribus numinum reliquorum esse allegoriæ quæ possunt? quæ in mercenariis conditionibus ac servitutibus? quæ in vinculis, orbitatibus, planctibus? quæ in cruciati-

bus, vulneribus, sepulcris? In quo cum unam contrahere possetis culpam conscriptione de superis tali, addidistis, ut dicitur, garo gerrem, cum deorum nominibus appellavistis res turpes, et vocabulis rursus deos rerum coïnquinavistis infamium. Quod si adesse hic eos, aut esse illos uspiam cognitione indubitabili crederetis, in mentione illorum facienda præstringeret vos metus; et tanquam vos audirent vestrasque acciperent voces, ita credi oportuit et haberi in cogitatione defixum. Apud enim homines officiosis religionibus deditos non ipsi dii tantum, verum etiam nomina debent esse deorum reverenda: quantumque est in ipsis qui censentur his nominibus, tantum esse par est in eorum appellationibus dignitatis. Da veram judicii formam, et in illa estis reprehensionis parte, quod in usu sermonis vestri Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane, Minervam pro stamine, pro obscœnis libidinibus Venerem. Quæ est enim ratio ut, cum suis censeri appellationibus res possint, nominibus cognominentur deorum, et ea fiat numinibus contumelia quam nec homines sustinemus, si nostra quis nomina res ducat atque invertat in frivolas? Sed oratio sordida, verbis fuerit polluta si talibus, verecunda ac laude condigna. Erubescitis panem et vinum nominare, et pro coïtu Venerem non metuitis dicere.

LIBER SEXTUS.

I. Nunc quoniam summatim ostendimus, quam impias de diis vestris opinionum constitueritis infamias; sequitur ut de templis, de simulacris etiam sacrificiisque dicamus, deque alia serie quæ his rebus adnexa est, et vicina copulatione conjuncta. In hac enim consuestis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus aut formam (18), non altaria fabricemus, non aras, non cæsorum sanguinem animantium demus, non thura, neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus. Quæ quidem nos cessamus non ideo vel exædificare, vel facere tanquam impias geramus et scelerosas mentes, aut aliquem sumpserimus temeraria in deos desperatione contemptum : sed quod eos arbitramur et credimus, si modo dii certi sunt et nominis hujus eminentia præditi, honorum hæc genera aut risui habere, si rideant; aut indigne perpeti, si motibus exasperentur irarum. Ut enim noscatis quid de isto nomine sentiamus, judiciique simus cujus, existimamus nos eos, si modo dii certi sunt, ut eadem rursus satiateque dicantur, cunctarum esse debere perfectarumque virtutum, sapientes, justos, graves, si modo nulla est culpa quod eos laudibus accumulamus humanis, intestinis pollentes bonis; nec extraneis adminiculis se addicere, quo illis integritas inoffensæ

beatudinis compleatur; ab affectibus cunctis et cunctis perturbationibus liberos, non ira effervere, non ullis cupiditatibus excitari; calamitatem irrogare nullis, non ex malis hominum crudelem accipere voluptatem, non terrere portentis, non prodigiosas ostentare formidines, non votorum debitis habere obnoxios et obligatos, nec piaculares hostias signis minacibus postulare; non pestilentias, non morbos corruptione aëris inducere, non adurere siccitatibus fruges, non cædibus interesse bellorum, non urbium stragibus; non adversa his velle, non illorum commoditatibus suffragari; sed, quod magnarum est mentium, pari pendere cunctos lance, et individuas cunctis benevolentias exhibere. Caduci enim generis et infirmitatis humanæ est, contrariis egere, eosque quos tangat affectio, pati, dolere, diminui, sapientium scita et pronuntiata definiunt; nec posse aliter fieri, quin legibus mortalitatis astricti sint qui sint ullis perturbationibus mancipati. Quod cum ita se habeat, qui possumus judicari deos habere contemptui, quos nisi sunt recti et magnarum mentium admiratione laudabiles, deos negamus existere, nec potestatibus posse cœlitibus applicari?

II. Sed templa illis extruimus nulla (19), nec eorum effigies adoramus, non mactamus hostias, non thura ac vina libamus. Et quid amplius possumus vel honoris eis attribuere, vel dignitatis, quam quod eos in ea ponamus parte qua rerum caput ac Dominum, summumque ipsum Regem cui debent divina nobiscum quod esse se sentiunt, et vitali in substantia contineri? Numquid enim delubris aut templorum eum constructionibus honoramus? numquid et hostias cædimus? numquid alias res damus, quas libare, profundere, non est rationis expensæ, sed tracti per consuetudinem moris? Etenim plena dementia est, necessitatibus tuis potentiora metiri, et quæ tibi sint usui datoribus diis dare, et honorem istum, non contumeliam ducere.

Templa igitur quærimus in deorum quos usus, aut in rei cujus necessitatem, aut dicitis esse constructa, aut esse rursus ædificanda censetis? Hiemalia sentiunt frigora, aut solibus torrentur æstivis? pluvialibus nimbis perfluuntur, ventorum eos aut turbines vexant? incursionem pati periclitantur hostilem, ferarum aut rabidos appetitus, ut merito illos conveniat tectorum munitionibus claudere, saxorum aut objectione tutari? Templa enim hæc quid sunt? Si humanam infirmitatem roges, nescio quid immane atque amplum; si deorum potentia metiaris, successus quidam parvi, atque, ut verius eloquar, genus angustissimum cavernarum paupertini cordis excogitatione suspensum. Quorum si quæris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuisse monstrabitur; aut, ut tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Æacus. Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis, splendeant hic gemmæ, et sidereos evomant variata interstinctione fulgores; terra sunt hæc omnia, et ex fæce ultima vilioris materiæ concreta. Neque enim, si vos eos pretiis carioribus penditis, delectari credendum est his deos; nec recusare, nec spernere quo minus se sepiant, et eorum objectibus coërceantur inclusi. Templum, inquit, hoc Martis est, hoc Junonis et Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis: quid est aliud dicere, quam, Domus hæc Martis est, hæc Junonis, et Veneris, Apollo hic habitat, in hac manet Hercules, illa Summanus. Ita non prima et maxima contumelia est, habitationibus deos habere districtos? tuguriola his dare, conclavia et cellulas fabricari, et eis existimari necessarias res esse quæ hominibus, felibus, quæ sunt formiculis et lacertis, quæ fugacibus, pavidis atque exiguis muribus?

III. Sed non, inquit, idcirco attribuimus diis templa, tanquam humidos ab his imbres, ventos, pluvias arceamus,

aut soles; sed ut eos possimus coram et cominus contueri, affari de proximo, et cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere. Sub axe enim nudo, et sub ætherio tegmine invocati si fuerint, nihil audiunt : et nisi de proximo admoveantur his preces, tanquam nihil dicatur, obstructi atque immobiles stabunt. Atquin nos arbitramur omnem deum omnino, si modo nominis hujus vi pollet, ex quacumque mundi parte, quod quisque fuerit locutus, tanquam si sit præsens, audire debere; imo quod quisque conceperit sub obscuris et tacitis sensibus cognitione anticipata præsumere. Atque ut astra, sol, luna, cum supra terras meant, omnibus omnino cernentibus statim sunt et ubique præsentes; ita quoque convenit audientiam numinum nulli esse clausam linguæ, semperque esse præsentem, quamvis ad eam voces regionibus ex distantibus confluant. Hoc est enim proprium deorum, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totos; non adesse, non abesse, non cœnatum ad Æthiopas pergere, et post dies bissenos privatum ad domicilium redire. Quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis; erit in dubio audiamini ab diis, necne, si quando res sacras cæremoniarum conficitis debitis. Constituamus enim, noscendæ rei causa, templum numinis alicujus esse apud Canarias insulas, ejusdem apud ultimam Thylem, ejusdem apud Seras esse, apud fulvos Garamantas, et si qui sunt alii quos ab sui notitia maria, montes, silvæ et quadrini disterminant cardines: si omnes uno in tempore rebus divinis factis, quod sua quosque necessitas cogitare compellit, poscant de numine, referendi beneficii quænam omnibus spes erit, si non undique ad se missam vocem deus exaudiet, et erit ulla longinquitas quo penetrare non possit auxilium poscentis oratio? Aut enim nullis erit partibus præsens, si uspiam poterit aliquando non esse; aut aderit unis tantum, quoniam præbere com-

muniter suum non potest atque indiscretus auditum. Atque ita perficitur ut aut nullis deus opituletur omnino, si occupatus re aliqua ad audiendas voces non quiverit advolare; aut exauditi tantummodo uni abeant soli, nihil egerint cæteri.

IV. Quid? quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis et sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, et functorum esse corporum sepulturas? Ex eo nonne patet et promptum est, aut pro diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra et templa mortuorum superlata sunt bustis? In Historiarum Antiochus nono, Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terræ : in templo rursus ejusdem, quod in arce Larissæ est, conditus scribitur atque indicatur Acrisius : Erichthonius, Palladis in fano : Dairas et Immarus fratres, in Eleusino consepto quod civitati subjectum est. Quid? Celei virgines non in Cereris Eleusinæ humationis habuisse perhibentur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis constitutum est Delii, Hyperocha, Laodiceque quas advectas illuc esse finibus ex Hyperboreis indicatur? In Didymæo Milesio, Clearchum dicit habuisse suprema Leandrius funeris. Leucophrynæ monumentum in fano apud Magnesiam Dianæ esse Myndius profitetur ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula quæ Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem, non scriptis constantibus indicatur? Ptolemæus Agesarchi de Philopatore quem edidit primo, Cyniram regem Paphi cum familia omni sua, imo cum omni prosapia, in Veneris templo situm esse, litterarum auctoritate declarat. Infinitum est et immensum, quibus quique in fanis toto sint in orbe describere; nec exactam desiderat curam, quam is pœnam constituerit Ægyptius in eum qui publicasset quibus Apis jaceret

absconditus : Polyandria illa Varronis, quibus templis contegantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles. Sed quid ego hæc parva? Regnatoris in populi Capitolio quis est hominum qui ignoret Oli esse sepulcrum Vulcentani? Quis est, inquam, qui non sciat ex fundaminum sedibus caput hominis evolutum non ante plurimum temporis, aut solum sine partibus cæteris, hoc enim quidam ferunt, aut cum membris omnibus humationis officia sortitum? Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerianus vobis et Fabius indicabunt cujus Aulus fuerit filius, gentis et nationis cujus, ut a germani servulis vita fuerit spoliatus et lumine; quid de suis commeruerit civibus, ut ei sit abnegata telluris patriæ sepultura. Condiscetis etiam, quamvis nolle publicare se fingant, quid sit capite resecto factum, vel in parte qua rei curiosa fuerit obscuritate conclusum : ut immobilis videlicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. Quod cum opprimi par esset, et vetustatis obliteratione celari, compositio nominis jecit in medium, et cum suis causis per data sibi tempora inextinguibili testificatione procedere. Nec erubuit civitas maxima, et numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum templo daret, ex Oli capite Capitolium, quam ex nomine Jovio nuncupare. Satis igitur, ut opinor, ostendimus templa diis immortalibus aut inaniter iis esse constructa, aut contra decus et potentiam creditam contumeliosis opinationibus fabricata.

V. Sequitur ut de signis aliquid simulacrisque dicamus, quæ multa arte componitis, et religiosa observatione curatis. Qua in parte si fides est ulla, constituere apud nos ipsos nullis considerationibus possumus, utrumne istud serio et cum proposito faciatis gravi, an ridendo res ipsas puerili allucinatione ludatis. Si enim certum est apud vos deos esse quos remini, atque in summis cœli regionibus

degere, quæ causa, quæ ratio est ut simulacra ista fingantur a vobis, cum habeatis res certas quibus preces possitis effundere, et auxilium rebus in exigentibus postulare? Sin autem non creditis, aut, ut mediocriter dicatur, ambigitis: etiam sic, ratio quænam est dubiorum fingere atque instituere simulara, et quod esse non credas ventosa imitatione formare? An numquid dicitis forte præsentiam vobis quamdam his numinum sub exhiberi simulacris, et quia deos videre non datum est, eos sic coli, iis et munia officiosa præstari? Hoc qui dicit et asserit, deos esse non credit: nec habere convincitur suis religionibus fidem, cui opus est videre quod teneat; ne inane forte sit quod obscurum non videtur. Deos, inquitis, per simulacra veneramur. Quid ergo, si hæc non sint, coli se dii nesciunt, nec impertiri a vobis ullum sibi existimabunt honorem? Per tramites ergo quosdam, et per quædam fideicommissa, ut dicitur, vestras sumunt atque accipiunt cultiones: et antequam hi sentiant quibus illud debetur obsequium, simulacris litatis prius, et velut reliquias quasdam aliena ad illos ex auctoritate transmittitis. Et quid fieri potis est injuriosius, contumeliosius, durius, quam Deum alterum scire, et rei alteri supplicare? opem sperare de numine, et nullius sensus ad effigiem deprecari? Nonne illud est, quæso, quod in vulgaribus proverbiis dicitur, fabrum cædere cum ferias fullonem? et cum hominis consilium quæras, ab asellis et porculis agendarum rerum sententias postulare? Et unde novissime scitis, an simulacra hæc omnia quæ diis immortalibus vicaria substitutione formatis, similitudinem referant habeantque divinam? Potest enim fieri ut barbatus in cœlo sit qui esse a vobis effingitur levis; potest ut senectute provectior, cui puerilem commodatis ætatem; potest ut hic flavus sit, qui in veritate habeat oculos cæsios; displosas ut gestitet nares, quem esse vos facitis figuratisque

nasicam. Neque enim rectum est dicere aut appellare simulacrum, quod non pariles lineas principali ab ore traducat, quod esse planum et certum manifestis poterit ab rebus agnosci. Nam cum omnes homines teretem esse solem indubitabili luminum contemplatione videamus, os illi vos hominis et mortalium corporum lineamenta donastis. Luna semper in motu est, et ter denas facies in restitutione accipit menstrua : vobis ducibus et figuratoribus fœmina est, vultuque est uno, quæ per habitus mille quotidiana instabilitate mutatur. Intelligimus omnes ventos aëris esse fluorem pulsi, et mundanis rationibus concitati : per vos hominum formæ sunt, buccinarum animantes tortus intestinis et domesticis flatibus. Inter deos videmus vestros leonis torvissimam faciem, mero oblitam minio, et nomine Frugiferi nuncupari. Si simulacra hæc omnia superorum sunt imagines numinum, ergo et in cœlo habitare dicendus est deus talis, ad cujus formam et speciem simulacri hujus similitudo directa est : et videlicet ut hic iste, ita illic ille, sine reliquo corpore persona est, et facies sola, fremebundis hiatibus, torvis rictibus, sanguinea de ceroto, malum dentibus suis comprimens, atque fessi canis linguam ore de patulo potus aviditate projiciens. Quod si utique non est ita ut omnes existimamus non esse, quænam tanta audacia est, formam tibi quam volueris fingere, ac dicere esse simulacrum dei, quem probare non possis ulla esse in parte naturæ ?

VI. Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, memorialia ut indicant scripta ; informem Arabas lapidem ; acinacem Scythiæ nationes ; ramum pro Cinxia Thespios ; lignum Icarios pro Diana indolatum ; Pessinuntios silicem pro deum Matre ; pro Marte Romanos hastam, Varronis ut indicant Musæ ; atque, ut Aëthlius memórat, ante usum disciplinamque fictorum, pluteum Samios pro Junone : et abstinetis a risu, cum pro diis immortalibus, sigilliolis ho-

minum, et formis supplicatis humanis? Quinimo deos esse sigillaria ipsa censetis, nec præter hæc quidquam vim creditis habere divinam. Quid dicitis, o isti! ergone dii cœlites habent aures et tempora, cervices, occipitium, spinam, lumbos, latera, poplites, nates, suffragines, talos, membraque alia cætera quibus constructi nos sumus, et quæ prima in parte paulo plenius dicta sunt, et scripto uberiore prolata? Utinam liceret introspicere sensus vestros, recessusque ipsos mentis, quibus varias volvitis atque initis obscurissimas cogitationes! reperiremus et vos ipsos eadem sentire quæ nos, neque alias gerere super numinum figuratione sententias. Sed studiis facere quid pervicacibus possumus? quid intentantibus gladios novasque excogitantibus pœnas? Animantis asseritis malam scientissimi causam, et quod semel sine ratione fecistis, ne videamini aliquando nescisse, defenditis, meliusque putatis non vinci, quam confessæ cedere atque annuere veritati. Ex hujusmodi causis illud etiam vobis conniventibus consecutum est, ut in deorum corporibus lasciviæ artificum luderent, darentque his formas quæ cuilibet tristi possent esse derisui. Itaque Hammon cum cornibus jam formatur et fingitur arietinis; Saturnus cum obunca falce, custos ruris ut aliquis, ramorum luxuriantium tonsor; cum petaso gnatus Maiæ, tanquam vias aggredi præparet, et solem pulveremque declinet; Liber membris cum mollibus, et liquoris fœminei dissolutis simus laxitate; Venus nuda et aperta, tanquam si illam dicas publicare, divendere meritorii corporis formam; cum pileo Vulcanus et malleo, manu liber sed dextera, et fabrili expeditione succinctus; cum plectro et fidibus Delius citharista, gestus servans cantaturi et nænias histrionis; cum fuscina Rex maris, tanquam illi pugna sit gladiatorii obeunda certaminis: neque ullum est reperire figmentum alicujus numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberali-

tate donatos. Ecce si aliquis, vobis nescientibus et ignaris, rex urbanus et callidus ex foribus suis Solem tollat et in Mercurii transferat sedem, Mercurium rursus arripiat atque in Solis faciat commigrare delubrum; uterque enim a vobis glaber atque ore confingitur levi; detque huic radios, Solis capiti petasunculum superponat: quibus modis internoscere poteritis utrumne Sol iste sit, an ille Mercurius, cum habitus vobis deos, non oris soleat proprietas indicare? Consimili rursus translatione, si nudo Jovi cornua detrahat et Martis temporibus affigat, Martem armis spoliet et his rursus circumcludat Hammonem; interstitio fieri quæ poterit singulorum, cum qui Jupiter fuerat idem possit existimari Mars esse, et qui Mavors fuerat subintroire speciem Jovis possit Hammonis? Usque adeo ludus est, simulacra ista confingere, nomina illis tanquam propria dedicare, quibus si habitum detrahas, tollatur cognitio singulorum; deus pro deo credi, alter videri pro altero; imo pro utroque uterque possit existimari.

VII. Sed quid ego diis datas falces et fuscinas rideo? quid cornua, malleos et galeros; cum simulacra quædam sciam certorum esse hominum formas, et infamium lineamenta meretricum? Quis est enim qui ignoret, Athenienses illos Hermas Alcibiadei ad corporis similitudinem fabricatos? Quis Praxitelem nescit, Posidippi si relegat, ad formam Cratinæ meretricis, quam infelix perdite diligebat, os Veneris Cnidiæ solertiarum coëgisse certamine? Sed sola est hæc Venus, cui de scorti vultu translatitium decus auctum est? Phryna illa Thespiaca, sicut illi referunt qui negotia Thespiaca scriptitarunt, cum in acumine ipso esset pulchritudinis, venustatis et floris, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum quæ in opinione sunt Venerum, sive per urbes Graias, sive iste quo fluxit amor talium cupiditasque signorum. Itaque artifices omnes ipsis iisdem qui tempori-

bus extiterunt, quibusque primas dabat exprimendarum similitudinum veritas, omni cura studioque certabant, filum capitis prostituti Cythereïa in simulacra traducere. Ardebant artificium scita; alterque alterum vincere contentiosa æmulatione quærebant, non Venus ut augustior fieret, sed ut Phryna pro Venere staret. Atque ita perducta est res eo, ut pro diis immortalibus sacra meretricibus fierent, et infelix religio signorum fabricationibus falleretur. Inter significes ille memoratus Phidias est primos : cum Olympii formam Jovis molimine operis extulisset immensi, super dei digito *Pantarces* inscripsit *pulcher*. Nomen autem fuerat amati ab se pueri, atque obscœna cupiditate dilecti : neque ullo metu est aut religione commotus deum nomine prostibuli nuncupare, quinimo exoleto Jovis numen simulacrumque sacrare. Usque adeo ludus est et puerilis affectio, sigillaria ista formare, adorare pro diis ea, sanctitatibus accumulare divinis; cum ipsos videamus artifices in effingendis his ludere, et libidinum propriarum monumenta sancire. Quid est enim, si quæras, cur Phidias ludere ac lascivire dubitaret, cum ante paululum temporis Jovem ipsum quem fecerat, sciret aurum fuisse, lapides, atque ossa informia, disparata, confusa, seque horum omnium congregatorem, atque vinctorem, habitus eis per se datos in membrorum similitudine fabricata, et, quod inter omnia primum est, sui esse beneficium muneris quod natus per se esset, atque in rebus adoraretur humanis?

VIII. Libet in hoc loco, tanquam si omnes adsint terrarum ex orbe nationes, unam facere concionem, atque in aures hæc omnium communiter audienda depromere. Quidnam est istud, homines, quod ipsi vos ultro in tam promptis ac perspicuis rebus, voluntaria fallitis et circumscribitis cæcitate? Discutite aliquando caliginem, regressique ad lumen mentis, intuemini propius et videte istud quod agitur

quale sit : si modo retinetis jus vestrum, atque in finibus vobis datæ rationis consiliique versamini, simulacra ista quæ vos terrent, quæque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso : ex ornatibus fortasse meretricis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex caccabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obscœnioribus vasculis congesta, conflata, in has species ducta sunt, atque in formas quas cernitis exierunt : fornacibus incocta figulinis, ex incudibus et malleis nata, tornis rasa, descobinata delimis; serris, perforaculis, asciis, secta, dolata, effossa; terebrarum excavata vertigine, runcinarum levigata de planis. Ita iste non error est, non, ut proprie dicatur, amentia, deum credere quem tute ipse formaris? supplicare tremebundum fabricatæ abs te rei? et cum scias et certus sis tui esse operis et digitorum artem, pronum in faciem ruere, opem rogare suppliciter, adversisque in rebus atque in temporibus asperis propitii numinis favorem succurrere? Ecce si aliquis ponat in medio æs rude atque in opera nulla conjectum, argenti massas indomiti, infectum aurum, lignum, lapides, atque ossa, resque alias cæteras quibus signa consueta sunt et numinum simulacra constare; imo si aliquis ponat in medio collisorum deorum vultus, conflata atque imminuta simulacra, jubeatque vos idem fruistis hostias et fragminibus cædere, informibus massis sacra et munia impertire divina : audire a vobis exposcimus, facturine istud sitis, an contra quam imperabitur recursaturi? Fortasse dicetis, Qua causa? quia nemo est in rebus humanis tam stolide cæcus qui argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, argillam, deorum in numerum referat, ipsaque per se dicat vim habere atque obtinere divinam. Quænam est ergo ratio ut, si omnia hæc

corpora intacta atque infecta permanserint, careant vi numinis atque auctoritate cœlesti; ea formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia, continuo dii fiant, et in ordinem cœlitum referantur et censum? Novitatis aliquid fictio corporibus his addit, ut adjectione ipsa cogamini aliquid eis credere divinitatis majestatisque collatum? In aurum æs mutat, aut testulæ vilitatem in argenteam cogit degenerare materiam? Quæ insensilia fuerunt paulo ante, facit ut sint viva, et spiritali agitatione moveantur? Si quas foris habuere naturas, eas omnes retinent simulacrorum in corporibus constituta, stupiditas quæ tanta est, detrecto enim dicere cæcitatem, rerum existimare naturas formarum qualitate mutari, et accipere numen ex habitu, quod in primigenio corpore iners fuerit et brutum, et sensus mobilitate privatum? Itaque immemores et obliti simulacrorum substantiæ atque originis, quæ sit, rationale homines animal, et sapientiæ munere consiliique donatum, coctilibus testis succumbitis, æris laminas adoratis, elephantorum a dentibus secundas poscitis valetudines, magistratus, imperia, potestates, victorias, acquisitiones, lucra, messes opimas feracissimasque vindemias; et cum pateat, luceat, rebus fieri verba cum brutis, exaudiri vos remini, ipsique vos ultro credulitatis vacuæ circumscriptione traducitis?

IX. O utinam liceret in simulacri alicujus medias introïre pendigines! imo utinam liceret Olympiacos illos et Capitolinos Joves deducere in membra resolutos, omnesque illas partes quibus summa concluditur corporum, discretas ac singulas contueri! jamdudum istos videretis deos quos exterior levitas lenocinio fulgoris augustat, laminarum flatilium esse crates, particularum coagmenta deformium, ab ruinarum casibus et dissolutionis metu, subscudibus

et catenis, uncis atque ansulis retentari, interque omnes sinus commissurarumque juncturas plumbum ire suffusum, et salutares moras signorum diuturnitatibus commodare. Videretis, inquam, jamdudum solas sine occipitiis facies, manus sine brachiis semiplenas, ventres cum lateribus dimidiatos, plantarum imperfecta vestigia; et quod maxime risum ferat, parte ligneos ex una, at ex altera saxeos, inæquabili corporum constructione contractos. Quæ si utique perspici obscuritatis arte non quirent, vel ipsa vos saltem quæ in medio sita sunt docere atque monere debuerunt agere vos nihil, et circa res cassas officiorum impendere vanitates. Ita enim non videtis spirantia hæc signa quorum plantas et genua contingitis et contrectatis orantes, modo casibus stillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari, ut nidoribus atque fumo suffita ac decolorata nigrescant? quemadmodum sæcli longioris incuria perdant situs, species, et rubigine convulnerentur exesa? Ita, inquam, non videtis sub istorum simulacrorum cavis stelliones, sorices, mures blattasque lucifugas nidamenta ponere atque habitare; spurcitias huc omnes atque alia usibus accommodata conducere, semirosi duritias panis, famis ossa in spem tracta; pannos, lanuginem, chartulas, nidulorum in mollitiem scilicet et miserorum fomenta pullorum? non in ore aliquando simulacri ab araneis ordiri retia atque insidiosos casses, quibus volatus innectere stridularum possint impudentiumque muscarum? non hirundines denique intra ipsos ædium circumvolantes tholos jacularier stercoris plenas, et modo ipsos vultus, modo numinum ora depingere, barbam, oculos, nasos, aliasque omnes partes in quascumque se detulerit deonerati proluvies podicis? Erubescite ergo vel sero, atque ab animantibus mutis vias rationis accipite : doceantque vos ea-

dem nihil numinis inesse simulacris in quæ obscœna dejicere neque metuunt, neque vitant, leges suas sequentia, et instincta veritate naturæ.

X. Sed erras, inquitis, et laberis : nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus signa confiunt, eas esse per se deos et religiosa decernimus numina; sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra et fabrilibus efficit inhabitare simulacris. Non improba, neque aspernabilis ratio, qua possit quivis tardus necnon et prudentissimus credere deos, relictis sedibus propriis, id est, cœlo, non recusare nec fugere habitacula inire terrena, quinimo jure dedicationis impulsos simulacrorum coalescere junctioni. In gypso ergo mansitant atque in testulis dii vestri? quinimo testularum et gypsi, mentes, spiritus atque animæ dii sunt? atque ut fieri augustiores vilissimæ res possint, concludi se patiuntur et in sedis obscuræ coërcitione latitare? Ergo illud a vobis parte in hac primum desideramus et postulamus audire : invitine hoc faciunt, id est, jure dedicationis attracti, simulacrorum ineunt mansiones? an proni et faciles, neque ullis necessitatibus irrogatis? Si inviti hoc faciunt, et qui fieri potis est ut in aliquam necessitatem imminuta majestate cogantur? Si voluntariæ obsecutionis assensu, et quid in testulis dii petunt, ut eas sedibus sidereis anteponant, vinctionis vi promepodum colligati, nobilitantes testulas et cætera quibus signa confiunt? Si concedamus ut cœlo et sidereis sedibus eas anteponant, divinitatis suæ perdiderint potestatem. Quid ergo? in materiis talibus semperne dii mansitant, neque abeunt uspiam, etiam si res postulaverit maxima? An habent itus liberos, cum libuerit abire quocumque, et ab suis sedibus simulacrisque discedere? Si permanendi necessitatem patiuntur, quid miserius his esse aut quid infelicius poterit, quam si eos in basibus ita unci

retinent et plumbeæ vinctiones? Sin autem cum voluerint evolant, et absolutum jus habent inania relinquere simulacra : ergo aliquo tempore desinent esse dii signa, et in dubio stabit quando sacra debeant reddi, quando his conveniat atque oporteat abstinere. Sæpenumero videmus ab artificibus hæc signa modo parvula fieri, et palmarem in minutiem contrahi; modo in immensum tolli, et admirabilem in amplitudinem sublevari. Ratione hac ergo sequitur ut intelligere debeamus in sigilliolis parvulis contrahere se deos, et alieni ad corporis similitudinem coarctari; at vero in vastis porrigere se longius atque in maximitatem producere. Ergo si hoc ita est, et in sedentibus signis deum sedere dicendum est, et in stantibus stare, in procurrentibus currere, jacularier in jacientibus tela, ad illorum formare atque aptare se vultus, et ad reliquos habitus figurati corporis similitudinem commodare. In simulacris dii habitant : singuline in singulis totis, an partiliter atque in membra divisi? Nam neque unus deus in compluribus potis est uno tempore inesse simulacris, neque rursus in partes sectione interveniente divisus. Constituamus enim decem millia simulacrorum toto esse in orbe Vulcani : numquid esse, ut dixi, decem omnibus in millibus potis est unus uno in tempore? Non opinor. Qua causa? Quia quæ sunt priva singulariaque natura, multa fieri nequeunt simplicitatis suæ integritate servata : et hoc amplius nequeunt, si hominum formas dii habent, opinatio ut vestra declarat. Neque enim manus a capite separata, aut pes divisus a corpore, summam possunt præstare totius : aut dicendum est portiones idem posse quod totum, cum consistere nequeat nisi fuerit partium congregatione conflatum. Si autem in cunctis idem esse dicetur, perit omnis ratio atque integritas veritati, si hoc fuerit sumptum, posse unum in omnibus uno tempore permanere : aut deorum est unusquisque dicendus ita ipsum

semel ab ipso sese dividere, ut et ipse sit et alter, non aliquo discrimine separatus, sed ipse idem et alius. Quod quoniam recusat et respuit, aspernaturque natura, aut innumeros dicendum est confitendumque esse Vulcanos, si in cunctis volumus eum degere atque inesse simulacris; aut erit in nullo, quia esse divisus natura prohibetur in plurimis.

XI. Et tamen, o isti, si apertum vobis et liquidum est, in signorum visceribus deos vivere atque habitare cœlites, cur eos sub validissimis clavibus, ingentibusque sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque hujusmodi rebus custoditis, conservatis atque habetis inclusos; ac ne forte fur aliquis aut nocturnus irrepat latro, æditauis mille protegitis atque excubitoribus mille? Cur canes in Capitoliis pascitis? cur anseribus victum alimoniamque præbetis? Quinimo si fiditis deos istic esse, nec ab signis uspiam simulacrisque discedere, permittite illis curam sui, reserata sint semper atque aperta delubra; ac si quid a quopiam temeraria fuerit fraude subreptum, vim numinis monstrent, et sub ipso furti atque operis nomine sacrilegos pœnis convenientibus figant. Indigna enim res est, et potentiam destruens auctoritatemque, summorum custodiam numinum canum sollicitudinibus credere; et cum aliquam quæras prohibendis formidinem furibus, non ab ipsis petere, sed in anserum ponere et collocare gingritibus. Antiochum Cyzicenum ferunt quindecim cubitorum Jovem ex delubro aureum sustulisse, et ex ære bratteolis substituisse fucatum: si in simulacris præsto sunt atque habitant dii suis, quibus negotiis Jupiter, quibus curis fuerat illigatus, quo minus privatas persequeretur injurias, et suppositum se sibi viliore in materia vindicaret? Dionysius ille, sed junior, cum velamine aureo spoliaret Jovem, et pro illo laneum subderet, jocularibus etiam facetiis ludens, cum esse illud in rigoribus algidum, hoc va-

porum; onerosum illud in æstatibus diceret, hoc rursus sub ardoribus flabile: ubinam fuerat rex poli, ut præsentem se esse formidine aliqua comprobaret, et urbanum scurrulam cruciatibus revocaret ad seria? Nam quid Æsculapii gravitatem ab eo esse commemorem risam? quem cum barba spoliaret amplissima, boni ponderis et philosophicæ densitatis, facinus esse dicebat indignum, ex Apolline procreatum, patre levi et glabro, simillimoque impuberi, ita barbatum filium fingi ut in ancipiti relinquatur uter eorum pater sit, uter filius, imo an sint generis et cognationis unius? Quæ cum omnia fierent, et cum sacrilegis prædo irrisionibus jocaretur, si suberat numen in statua nomini ejus majestatique sacrata, cur oris contumeliam levigati, et dehonestati vultus, non justa et merita persecutus est ultione, demonstravitque hoc facto, et se esse præsentem, et custodia pertinaci suas ædes simulacraque tutari? Nisi forte negligere deos dicetis hæc damna, nec putare esse idoneam causam propter quam se exerant, et nocentibus pœnam violatæ religionis infligant.

XII. Ergo si hæc ita sunt, nec simulacra ipsa habere desiderant, quæ convelli et diripi perpetiuntur impune; imo e contrario perdocent, aspernari se illa, in quibus spretos se ultione in aliqua significare non curant. Philostephanus in Cypriacis auctor est, Pygmalionem regem Cypri, simulacrum Veneris quod sanctitatis apud Cyprios et religionis habebatur antiquæ, adamasse ut fœminam, mente, animo, lumine rationis judicioque cæcatis; solitumque dementem, tanquam si uxoria res esset, sublevato in lectulum numine copularier amplexibus atque ore, resque alias agere libidinis vacua imaginatione frustrabiles. Consimili ratione Posidippus in eo libro quem scriptum super Gnido indicat superque rebus ejus, adolescentem haud ignobilem memorat, sed vocabulum ejus obscurat, correptum amoribus Ve-

neris, propter quam Gnidus in nomine est amatorias et ipsum miscuisse lascivias, cum ejusdem numinis signo genialibus fusum toris, et voluptatum consequentium finibus. Ut similiter rursus interrogem : si in ære atque in materiis cæteris quibus signa formata sunt, superorum potentiæ delitescunt, ubinam gentium fuerant una atque altera Veneres, ut impudicam petulantiam juvenum propulsarent ab se longe, et contactus impios cruciabili coërcitione punirent? aut, quoniam mites et ingeniis tranquillioribus deæ sunt, quantum fuerat, miseris furialia ut restinguerent gaudia, mentemque insanam recreatis reducerent sensibus? Nisi forte, ut vos fertis, libidinis et voluptatum deæ, contumelias istas habuere gratissimas, nec ultione facinus existimavere condignum, quod suas quoque mulceret mentes, et quod ab se subdi humanis cupiditatibus scirent. Sed si deæ Veneres ingeniis placidioribus præditæ, gerendum esse morem infortuniis judicavere cæcorum, cum Capitolium toties edax ignis absumeret, Jovemque ipsum Capitolinum cum uxore corripuisset ac filia; ubinam fulminator tempore illo fuit, ut sceleratum illud arceret incendium, et a pestifero casu res suas ac semet et cunctam familiam vindicaret? Ubi Juno regina, cum inclytum ejus fanum, sacerdotemque Chrysidem, eadem vis flammæ Argiva in civitate deleret? Ubi Serapis Ægyptius, cum consimili casu jacuit solutus in cinerem, cum mysteriis omnibus atque Iside? ubi Liber Eleutherius, cum Athenis? ubi Diana, cum Ephesi? ubi Dodonæus Jupiter, cum Dodonæ? Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque prædonibus et spoliatus est et incensus, ut ex tot auri ponderibus quæ infinita congesserant sæcula, ne unum quidem habuerit scripulum quod hirundinibus hospitis, Varro ut dicit Menippeus, ostenderet? Infiniti operis res esset toto in orbe describere quæ sint fana convulsa terræ motibus et tem-

pestatibus; quæ incensa ab hostibus, quæ ab regibus et tyrannis; quæ antistites, et sacerdotes, et ipsi suspicione aversa nudaverint; quæ ad ultimum fures, et obserata pandentes remedorum obscuritate canacheni : quæ tuta utique permanerent, et nullis obnoxia fortuitis, si adessent Dii præsides, aut haberent aliquas templorum, quemadmodum dicitur, curas. Nunc vero quia cassa sunt et nullis habitatoribus tecta, habet in illis fortuna jus suum, et perinde cunctis subjecta sunt casibus, quam sunt omnia cætera motu interiore privata.

XIII. In parte hac eadem illud etiam dicere simulacrorum assertores solent, non ignorasse antiquos nihil habere numinis signa, neque ullum omnino inesse his sensum; sed propter indomitum atque imperitum vulgus, quæ pars in populis atque in civitatibus maxima est, salutariter ea consilioque formasse : ut velut quadam specie objecta his numinum, abjicerent asperitatem metu; arbitratique præsentibus sese sub diis agere, facta impia deponerent, et ad humana officia morum mutatione transirent : nec propter aliam causam venerabiles formas auro eis argentoque quæsitas, nisi ut adesse vis quædam ipsis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantum perstringeret sensum, verum etiam mentes ipsas augustissimæ lucis radiationibus territaret. Quod ratione cum aliqua videretur forsitan dici, si post condita deorum templa atque instituta simulacra, nullus esset in mundo malus, nulla omnino nequitia; justitia, pax, fides mortalium pectora possideret; neque quisquam in terris nocens diceretur, scelerosa opera nescientibus cunctis. Nunc vero cum contra malis omnia plena sint, innocentiæ pene interierit nomen, per momenta, per puncta, examina maleficiorum nova noxiorum improbitate pariantur; dicere qui convenit ad incutiendas formidines vulgo deorum instituta simulacra : cum præter inumeras crimi-

num et facinorum formas, ipsa etiam videamus templa sacrilegis violationibus appeti ab tyrannis, ab regibus, ab latronibus, et nocturnis a furibus; ipsosque illos deos, quos ad metus faciendos vetus finxit et consecravit antiquitas, vadere in antra prædonum, cum ipsis suis aureis metuendisque fulgoribus? Quid enim, si verum et sine ulla gratificatione perspicias signa ista quæ dicunt, habent in se magnum ut merito sperarit atque existimari antiquitas conspectu illorum posse frangi hominum vitia, et mores a maleficio temperari? Falx messoria scilicet, quæ est attributa Saturno, metum fuerat injectura mortalibus, vitam vellent ut pacificam degere, ac malitiosas abjicere voluntates: fronte Janus ancipiti, aut dentata illa qua insignitus est clavis: riciniatus Jupiter atque barbatus, dextera fomitem sustinens perdolatum in fulminis morem: Junonius ille cæstus, aut militari sub galea puellula delitescens: deum Mater cum tympano: cum tibiis et cum psalteriis Musæ; Mercurius pinnatus Argiphontes: Æsculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus; aut in Liberi dextera pendens potorius cantharus; Mulciber fabrili cum habitu; aut Fortuna cum cornu, pomis, ficis aut frugibus autumnalibus pleno: semitectis fœmoribus Diana; aut ad libidinem concitans Venus nuda: Anubis canina cum facie; aut genitalibus propriis inferior Priapus. O species formidinum diræ, metuendique terrores, propter quos genus humanum torpedine in perpetua affigeretur, nihil moliretur attonitum, ab omnique se actu sceleroso flagitiosoque frenaret: Falciculæ, claves, caliendra, fomites, talaria, baculi, tympaniola, tibiæ, psalteria, mammæ promptæ atque ingentes, cantharuli, forcipes, cornuaque pomifera, nuda corpora fœminarum, et veretrorum magnitudines publicatæ! Nonne satius fuerat saltitare, cantare, quam sub titulo gravitatis et severitatis obtentu, tam frigida tamque inepta narrare simulacra ab

antiquis ad peccata cohibenda et ad nocentium formata impiorumque formidines? Usque adeone mortales sæculi illius ac temporis corde fuerunt vacui, rationis sensusque nullius, ut ab actionibus improbis tanquam parvuli pusiones, personarum monstruosissima torvitate, sannis etiam constringerentur et maniis? Et unde est in contrarium res versa, ut cum tam multa in civitatibus templa sint plena omnium simulacris deorum, tot legibus et generibus suppliciorum tantis, iri obviam nequeat multitudini noxiorum; neque ullis remediis audacia possit abscidi; tantoque se magis maleficia congeminata multiplicent, quanto legibus judiciisque contenditur imminuere facta crudelia, et pœnarum coërcitione sedare? Quod si metus aliquos infligerent simulacra mortalibus, legum latio cessaret, nec tam diversæ cruces facinorosorum constituerentur audaciæ. Nunc vero quia constitit comprobatumque est re ipsa inanem esse opinionem timoris qui ab signis dicatur effluere, ad legum decursum est sanctiones, a quibus esset formido certissima, etiam fixa constitutaque damnatio; quibus debent et ipsa simulacra quod incolumia adhuc perstant et honoris alicujus concessione munita sunt. Quoniam satis, ut res tulit, quam inaniter fiant simulacra monstratum est, de sacrificiis deinceps, de cædibus atque immolationibus hostiarum, de mero, thure, deque aliis omnibus quæ in parte ista confiunt, poscit ordo quam paucis et sine ullis circumlocutionibus dicere. In hac enim consuestis parte invidias nobis tumultuosissimas concitare, appellare nos atheos; et quod minime attribuamus diis, pœnas etiam capitis belluarum crudelitatibus irrogare. Quod quidem nos fatemur non contemptu facere atque aspernatione divina, sed quod existimemus hujus potentias nominis nihil tale desposcere, neque rerum hujusmodi cupiditatibus attineri.

LIBER SEPTIMUS.

I. Quid ergo, dixerit quispiam, sacrificia censetis nulla esse omnino facienda (20)? Ut vobis non nostra, sed Varronis vestri sententia respondeamus, nulla. Quid ita? quia, inquit, dii veri neque desiderant ea neque deposcunt; ex ære autem facti, testa, gypso, vel marmore, multo minus hæc curant : carent enim sensu, neque ulla contrahitur, si ea non feceris, culpa; neque ulla, si feceris, gratia. Sententia reperiri nulla potest integrior, verior et quam quivis possit, quamvis ille sit scævus et difficillimus, occupare. Quis est enim pectoris tam obtusi, qui aut rebus nullum habentibus sensum hostias cædat et victimas, aut eis existimet dandas qui sint ab his longe natura et beatitudine disjugati? Qui sunt, inquitis, dii veri? Ut communi vobis, et simplici respondeamus verbo, non scimus. Quos enim vidimus nunquam, qui sint scire quemadmodum possumus? Ex vobis audire consuevimus, deos esse quam plurimos, et nominum in serie computari : qui si sunt, ut ducitis uspiam, verique, ut Terentius credit, eos esse consequitur sui consimiles nominis, id est tales quales eos universi debere esse conspicimus, et nominis hujus appellatione dicendos; quinimo, ut breviter finiam, qualis Dominus rerum est, atque omnipotens ipse, quem dicere nos omnes Deum scimus atque intelligimus verum, cum ad ejus nominis accessimus mentionem. Deus enim ab altero,

in eo quo deus est, nulla in re differt : nec quod unum est genere, suis esse in partibus minus aut plus potest, qualitatis propriæ uniformitate servata. Quod cum dubium non sit, sequitur ut geniti nunquam, perpetuique ut debeant esse, extrinsecus appetentes nihil, nec carpentes aliquas terrenas ex materiæ opibus voluptates. Ergo si hæc ita sunt, primum illud a vobis expetimus noscere : quæ sit causa, quæ ratio, sacrificia ut ista faciatis; quid deinde ex hoc lucri ad deos ipsos perveniat, atque in eorum commoditate subsidat. Quidquid enim geritur, debet habere causam sui; neque ita esse ab ratione sejunctum, ut in operibus feratur cassis, et in vacuis ludat inanitatis erroribus. Numquid forte dii cœlestes aluntur his sacris, et ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus est suffectione materiæ? Et quis ita est hominum, deus prorsus qui sit ignorans, ut eos existimet contineri alicujus alimonii genere; et cibi esse munus, quod eos faciat vivere et immensa in perpetuitate durare? Quidquid enim causis et rebus fulcitur extraneis, necesse est esse mortale; et habere ad periculum viam pronam, ubi aliquid cœperit deesse quo vivitur. Tum quod ex his rebus quæ admoventur altaribus nihil videmus accedere atque ad numinum substantias pervenire. Aut enim thus datur, et liquefactum carbonibus disperit; aut animalis est hostia, et ab canibus abliguritur sanguis; aut si aliquod viscus aris fuerit traditum, ratione ardescit pari, et dissolutum in cinerem labitur; nisi forte hostiarum deus animas devorat, aut ex aris ardentibus nidorem consectatur et fumos, pasciturque de cnissis quas evomunt ardentia viscera adhuc suda de sanguine, et prioribus humecta de succis. Sed si deus, ut dicitur, nullius est corporis, omnique est incontiguus tactu, qui fieri potis est ut corporalibus rebus nutriatur incorporeum, quod mortale est ut immortale sustineat, subdatque salutem rei quam contingere nequeat,

et motus subministrare vitales? Cessat ergo, ut apparet, sacrorum hæc ratio, neque dici a quopiam potis est ea causa sacrificia celebrari, quod alantur his numina et eorum sustineantur e pastu.

II. Numquid, si forte hoc non est, voluptatis alicujus, animique, ut dicitur, causa, cæduntur diis hostiæ, et succensis adjiciuntur altaribus? Et quisquam est hominum qui deos sibi persuadeat voluptatum diffusione mollescere, gestire in libidinis gaudium, et velut animal vile blandis sensibus affici, et dulcedinis labilis volucri titillatione mulceri? Quod enim voluptate dissolvitur, id contraria necesse est tristitia contrahatur; nec immune existere ab anxietate mœroris, quod lætitia trepidat et levitatibus extollitur gaudiorum. Utroque autem affectu debent esse dii liberi, si eos esse perpetuos et mortalium volumus fragilitate privatos. Quid quod omnis voluptas quasi quædam est adulatio corporis, notisque illis sensibus assumitur quinque : quam si superi sentiunt, et eorum necesse est esse participes corporum, per quæ via est sensibus et accipiendis voluptatibus janua. Postremo quod gaudium est, innoxiorum animantium mactatione lætari, miserabiles sæpe exaudire mugitus, rivos sanguinis cernere, animas cum cruore fugientes, patefactisque secretis provolvi et intestina cum stercore, et ex residuo spiritu exultantia adhuc corda, tremebundasque palpitantes in visceribus venas? Semiferi nos homines, quinimo, potius ut pronuntiemus quod est verius atque apertius dictu, feri, quos infelix necessitas et malus usus edocuit cibos ex his carpere : miseratione interdum commovemur illorum, arguimus nos ipsi, penitusque revisa atque inspecta damnamus, quod humanitatis jure deposito naturalis initii consortia ruperimus. Deos aliquis credit pios, beneficos, mites, cæde pecorum delectari, diffundique lætitia, si quando sub his concidunt et spiritum miserabiliter

ponunt. Et voluptatis ergo, ut cernimus, nulla est in sacrificiis causa, nec cur fiant ratio est; quoniam nec voluptas est ulla : ac si forte est aliqua, in deos eam cadere nulla posse ratione monstratum est.

III. Sequitur ut illam quoque inspiciamus partem quam jactari audimus vulgo, et populari in persuasione versari : sacrificia superis ea fieri diis causa, ut iras atque animos ponant, reddanturque mites et placidi, fervidorum pectorum indignatione sedata. Et si definitionem teneamus illam, quam pertinaciter meminisse convenit nos semper, universos animorum affectus ignotos diis esse, consectaneum est credere nunquam deos irasci; quinimo nullum affectum magis esse ab his longe, quam qui feris et belluis proximus, turbat tempestatibus patientes, et ad periculum interitionis inducit. Quidquid enim vexatur rei alicujus e motu, passibile esse constat et fragile; quod passioni fragilitatique subjectum est, id necesse est esse mortale : ira autem vexat et patientes se solvit : ergo esse mortale dicendum est quod passionibus subjectum est iræ. Atquin deos scimus esse oportere perpetuos, et naturam immortalitatis tenere : quod si constat et liquidum est, ira ab his longe et ab eorum conditione disjuncta est. Nullis ergo rationibus convenit, id in superis velle placare quod posse non videas in eorum beatitudinem convenire. Sed concedamus, ut vultis, perturbationem hujusmodi familiarem diis esse, placandique ejus causa res divinas fieri et sacrorum solemnia celebrari : quando ergo conveniet adhiberi hæc munia, vel in tempore quo dari? antequam sunt irati et perciti? an cum fuerint moti, ipsisque in indignationibus constituti? Si ne sumant animos occurrendum est his ante : feras nobis proponitis, non deos, quibus ne sæviant concitatæ et cavearum discutiant claustra, objectari moris est escas, in quas rabide sæviant et cupidinem vexationis inclinent. Si autem jam fer-

vidis atque indignatione flagrantibus, satisfactio ista sacrificiorum oggeritur : non inquiro, non exigo, an illa læta et sublimis magnanimitas numinum, homunculorum offensione moveatur, habeatque pro vulnere si quid animal cæcum, atque in nubibus semper ignorationis incedens, dissignaverit, dixerit, quo illorum minueretur auctoritas. Sed neque illud dici aut audire deposco, quas irarum in homines habeant dii causas ut sacrificiis debeant contracta offensione mulceri. Numquid aliquas leges sanxere aliquando mortalibus, constitutumque est ab his unquam quid eos agere conveniret, vel quid non, quid consectari quid fugere, vel coli se saltem quibus rationibus cuperent, ut aliter quam imperaverant gesta ultionibus persequerentur irarum, contemptique se vellent de audacibus et transgressoribus vindicare? Ut opinor, ab his nunquam neque constitutum est aliquid neque sancitum, quoniam nec visi aliquando, neque, si sunt visi, apertissima potuit cognitione dignosci. Quænam est ergo justitia, ut eis ob aliquas causas irascantur dii cœlites, quibus neque se esse monstrare aliquando dignati sunt, neque ullas dederint aut imposuerint leges, quas coli ab his vellent et inviolabili obsecutione servari ? Sed hoc, ut dixi, prætereo, et silentio patior abire donatum : unum illud præ omnibus quæro, quæ causa est, ut si ego porcum occidero, deus mutet affectum animosque et rabiem ponat ; si gallinulam, vitulum, sub illius oculis atque altaribus concremaro, oblivionem inducat injuriæ, et ab sensu penitus offensionis abcedat? Quid ad ejus dolorem ex opere hoc migrat? aut remedii cujus est anser, caper aut pavus, ut ex ejus cruore medicina adhibeatur irato? Ergone injurias suas dii vendunt, atque, ut parvuli pusiones, ut animosis parcant abstineantque ploratibus, passerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus avocare se possint ; ita dii immortales placamenta ista sumunt, qui-

bus iras atque animos ponant, et in gratiam suis cum offensoribus redeant? Atquin ego rebar deos, si modo rectum est credere quod motibus exagitentur irarum, sine ullis præmiis nullisque mercedibus, iras atque animos ponere, et peccatoribus delicta donare. Hoc est enim proprium numinum, liberales venias et concessiones habere gratuitas. Quod si fieri non potest, sapientius multo est pertinaciter eos in offensione durare, quam munerum corruptione mitescere: crescit enim multitudo peccantium, cum redimendi peccati spes datur; et facile itur ad culpas, ubi est venalis ignoscentium gratia. Ecce si bos aliquis, aut quodlibet ex his animal quod ad placandas cæditur mitigandasque ad numinum furias, vocem hominis sumat, eloquaturque his verbis: Ergone, o Jupiter, aut quis alius deus es, humanum est istud et rectum, aut æquitatis alicujus in æstimatione ponendum, ut cum alius peccaverit ego occidar, et de meo sanguine fieri tibi patiaris satis, qui nunquam te læserim, nunquam, sciens aut nesciens, tuum numen majestatemque violarim, animal, ut scis, mutum, naturæ meæ simplicitatem sequens, nec multiformium morum varietatibus lubricum? Numquid aliquando tuos ludos minus sancte diligenterque perfeci? numquid aliquem præsulem, tuum numen qui offenderet, ante te traduxi? numquid juravi per te falso? numquid sacrilegis furtis tua rapui spoliavique donaria? numquid erui sacratissimos lucos, aut religiosa quædam loca sustructionibus pollui profanavique privatis? Quænam est ergo causa, ut alienum crimen meo luatur e sanguine, et in nefas extraneum mea vita innocentia producatur? An quod animal vile sum, nec rationis nec consilii particeps, quemadmodum pronuntiant isti qui se homines nominant, et ferocitate transiliunt belluas? Nonne primordiis iisdem eadem et me genuit informavitque natura? Nonne spiritus unus est, qui et illos et me regit? non

consimili ratione respiro, et video, et cæteris afficior sensibus? Habent jecora, pulmones, corda, intestina, ventriculos : et mihi membrorum non idem est numerus attributus? Amant suos fœtus, et gignendis conveniunt liberis : non et mihi prolis et subrogandæ est cura, et dulcedo, cum fuerit procreata? Sed rationales illi sunt, et articulatas exprimunt voces : et unde illis notum est an et ego quod facio meis rationibus faciam, et vox ista quam promo mei generis verba sint, et solis intelligantur a nobis? Interroga pietatem, utrumne sit æquius me occidi, me confici, an hominem venia et commissorum impunitate donari? Quis in gladium formavit ferrum? non homo? Quis cladem gentibus, quis nationibus imposuit servitutem? non homo? Quis parentibus, fratribus, quis uxoribus, quis amicis mortiferas subdidit commiscuitque potiones? non homo? Quis maleficia reperit, aut commentatus est tanta, quanta vix explicari decem millibus queant vel annalium vel dierum? non homo? Ita istud non ferum, non immane, non sævum est? non tibi, o Jupiter, injustum videtur et barbarum, me occidi, me cædi ut fias tu placidus, et ut scelerosis contingat impunitas? Ergo ob hanc causam, id est, numina ut placentur irata, inaniter fieri sacrificia constitit, cum docuerit nos ratio, neque deos irasci aliquando, neque alterum velle pro altero confici, cædi, nec innoxii sanguine abolitionem dissignationibus comparari.

IV. Sed fortasse aliquis dicet : Idcirco diis hostias et cætera impendimus munera, ut familiares quodammodo nostris supplicationibus facti, res tribuant prosperas, avertantque a nobis mala, cum gaudiis faciant agere nos semper, tristitias vero propellant, et ex casibus imminentia fortuitis. Non exiguam curam locus iste desiderat, nec quod dicitur facile, tam consuetum est vel audiri, vel credi. Advolabit enim continuo universus ille doctissimorum chorus,

qui asseverans et comprobans fato fieri quæcumque fiunt, eripiat nobis e manibus opinionem istam, et inanibus nos arguat persuasionibus fidere. Quidquid in mundo, inquiet, gestum est, geritur et geretur, olim definitum et fixum est; habetque immobiles causas, per quas sibi res nexæ, et inexpugnabilem conserant præteritorum cum imminentibus necessitatem. Si definitum et fixum est quid obtingere singulis mali debeat bonive, jam certum est. Quod si certum est et fixum, vacant omnia deorum auxilia, vacant odia, vacant benignitates; tam enim præstare non possunt id quod non potest fieri, quam prohibere ne fiat id quod necesse est evenire : nisi quod validius premere opinionem istam si voluerint, quibunt, ut etiam ipsos deos frustra dicant a vobis coli, et supervacaneis supplicationibus adorari. Cum enim ordinem vertere, et fatalia nequeant constituta mutare, quid rei, quid causæ est fatigare et obtundere eorum aures velle, quorum auxiliis nequeas supremis in necessitatibus fidere? Postremo si tristia atque importuna dii pellunt, si ea quæ sunt læta atque amica largiuntur, unde sunt mundo tanti tamque innumerabiles miseri? unde tot infelices lacrymabilem vitam in extrema sorte ducentes? cur immunes a calamitatibus non sunt, qui momenta per singula, qui per puncta, sacrificiis onerant atque accumulant aras? Nonne alios, inquiunt, videmus ex illis domicilia esse morborum : extinctis luminibus, atque auribus obseratis, pedum carere processu, truncos sine manibus degere; incendiis, naufragiis et ruinis, obrui, mergi, confici; patrimoniis ab ingentibus evolutos mercenario sese labore fulcire, stipes emendicare supremas, exterminari, proscribi, semper esse in luctibus; liberorum orbitatibus fractos; vexari per infortunia cætera quorum species et formas nulla potest enumeratio definire? Quod utique non fieret, si propulsare, si flectere mala ista dii possent' sacrorum me-

ritis obligati. Nunc vero quia casibus nullus est in his locus, sed ineluctabili omnia necessitate confiunt, agit sese ordo præscriptus, et quod semel decretum est perficit. Aut ingrati esse dicendi sunt cœlites, si cum habeant jura prohibendi, patiuntur infelix genus tot pœnis et calamitatibus implicari.

V. Sed fortasse aliquid dicant magnum, nec quod auribus debeat frustratoriis, levibus et contemnentibus sumi. Quas tamen nos partes, quia res nimium longi est multique sermonis, inexplicatas transcurrimus atque intactas : solum illud posuisse contenti, inhonestas vos famas adjungere diis vestris, si eos aliter negatis præstare quæ bona sunt, atque inimica transvertere, nisi prius empti capellarum fuerint atque ovium sanguine, et cæteris quæ admoventur altaribus. Indignum enim primum est, ut illa vis numinum sublimitasque cœlestium beneficia credatur sua habere venalia, prius sumere, atque ita præstare ; tum quod fœdius multo est, nisi acceperint prodesse nulli, perpetique miserrimos discriminum subire fortunas, cum prohibere possint ac subvenire. Si ex duobus facientibus res sacras, honestus unus et locuples, alter angusto lare, sed innocentia fuerit et probitate laudabilis ; centum ille cædat boves, totidemque cum agniculis suis matres ; tuus pauper exiguum et odoris alicujus unam concremet glebulam : nonne erit consequens ut debeat credi, si modo nihil numina nisi præmiis antecedentibus præstant, ut favorem suum commodent locupleti, avertant a pauperculo lumina, quem restrictum non animus, sed familiaris rei necessitas fecit ? Ubi enim venalis et mercenarius dator est, ibi necesse est gratiam pro magnitudine muneris tribui, et eo inclinare suffragium unde ad eum qui præstat mercedis plus multo et indecoræ corruptionis affluxerit. Quid si populi rursus duo hostilibus dissidentes armis, sacrificiis paribus supero-

rum locupletaverint aras, alterque in alterum postulent vires sibi atque auxilium commodari : nonne iterum necesse est credi, si præmiis sollicitantur ut prosint, eos partes inter utrasque debere hæsitare, defigi, nec reperire quid faciant, cum suas intelligant gratias sacrorum acceptionibus obligatas? Aut enim auxilia hinc et inde præstabunt; id quod fieri non potest, pugnabunt enim contra ipsos seipsi, contra suas gratias voluntatesque nitentur : aut ambobus populis opem subministrare cessabunt; id quod sceleris magni est, post impensam acceptamque mercedem. Itaque ergo ab diis longe infamia est ista tota pellenda, neque est omnino dicendum, præmiis eos ac mercedibus allici bonas ut res conferant, dimoveantque contrarias : si modo dii veri sunt, atque in nominis hujus exceptione ponendi. Aut enim fato fiunt quæcumque fiunt, et ambitionis et gratiæ nullus locus in diis est : aut si excluditur et ejicitur fatum, non est superæ dignitatis, boni operis favorem et collatas munificentias venditare. Satis, ut opinor, ostendimus frustra diis immortalibus hostias rebus cum consequentibus admoveri; quod neque alantur his, neque ullam percipiant voluptatem, neque iras aut animos ponant, neque ut res tribuant faustas, neque ut abigant, averruncentque contrarias.

VI. Sequitur ut illam quoque inspiciamus partem quæ ab nonnullis consueta est asseri, et causis cæremonialibus applicari. Aiunt enim sacra hæc honorandis esse instituta cœlestibus, et ea quod faciant honoris ergo facere, et eis numinum potentias auctitare. Quid si similiter dicant evigilare sese atque dormire, deambulare, subsistere, conscribere aliquid et lectitare, ut honorem diis habeant, et dignitatibus eos faciant ampliores? Quid enim cruore de pecorum, quid sacrorum confectione de cætera superadditur his rei? quid apponitur atque adjicitur potestatis? Et-

enim honos omnis qui haberi ab aliquo dicitur, et reverentiæ potioris attribui, relativi est ad alterum generis, et constans partibus duabus, ex concessione tribuentis et amplificatione sumentis. Ut si quispiam, viso potentissimi nominis atque auctoritatis viro, via decedat, assurgat, caput revelet, vehiculoque desiliat; tum deinde salutet acclinis, ancillatrum servuli pavibundis trepidationibus imitatus. Video quid agatur in hujusmodi honorationis officio : submissione alterius datur alteri plurimum, efficiturque ut videatur magnus quem suspectio minoris extulerit, et suis anteposuerit rebus. Sed concessio hæc omnis et honoris, de qua loquimur, attributio, solis habet in hominibus sedem quos naturalis infirmitas et amor in altioribus standi docet gaudere de fastibus, et aliorum comparationibus anteponi. At, quæro, in superis ubi est honori locus? vel quas eis eminentias accedere sacrorum ex confectionibus invenitur? Augustiores, potentiores, mactatis pecudibus fiunt? additur illis ex hoc quidquam, aut esse dii magis divinitate incipiunt ampliata? Atqui ego contumeliæ proximum, quinimo esse plenam contumeliam judico, cum honorari ab homine deus dicitur, et muneris alicujus oblatione mactari. Etenim si honos auget ejusque accumulat dignitatem cui fuerit attributus, sequitur ut auctior deus fiat ab homine, a quo fuerit munere et honoris collatione donatus. Atque ita perducitur res eo, ut inferior deus sit, qui honoribus mactatur humanis; homo vero sublimior, qui auget potentiam numinis.

VII. Quid ergo, inquiet aliquis, honorem diis dandum nullum esse omnino censetis? Si deos nobis proponitis tales quales, si sunt, debent esse, quosque dicere nos omnes in istius nominis prædicatione sentimus : quemadmodum possumus honorem his non habere vel maximum, cum etiam colere homines potentioribus acceperimus imperiis,

cujuscumque ordinis fuerint, cujuscumque fortunæ? Quisnam iste est maximus? Officiosior multo quam habetur a vobis, et potentiore in genere constitutus. Dicite, inquitis, quæ sit opinio de diis digna, recta et honesta, nec turpitudinis alicujus deformitate culpabilis. Primum ut neque illos credas quidquam hominis habere consimile, nec quidquam expectare quod sit ab se foris atque extrinsecus veniens; tum, quod sæpius dictum est, non ardescere irarum flammis, non gestire corporea voluptate, non exambiri ut prosint, non præmiis ut noceant proritari, benignitatem et gratiam non habere venalem, non gaudere honore collato, non indignari et affici non dato : sed, quod rei divinæ est proprium, sua se vi nosse, nec se alienis adulationibus æstimare. Et tamen, ut videamus istud quod dicitur quale sit, quod est istud honoris genus, vervecem, arietem, taurum, dei sub ore connectere, conspectuque in ejus occidere? Quod est honoris genus, deum invitare ad sanguinem, quem cum canibus videas eum sumere atque habere communem? Quod est honoris genus, lignorum struicibus incensis, cœlum fumo subtexere, et effigies numinum nigrore offuscare ferali? Quod si ea quæ fiunt, propria vi pendere, non ante sumptis placet opinionibus æstimari, aræ istæ, quas dicitis, altariaque hæc pulchra, infelicissimi animalium generis ustrinæ, rogi sunt, et busticeta in opus structa fœdissimum, atque in sedem fabricata fœtorum. Quid dicitis, o isti! ergone ille putor, qui ex coriis tollitur atque expirat ardentibus qui ex ossibus, qui ex setis, ex agnorum lanitiis, gallinarumque de plumis, dei munus et honor est? mactanturque hoc illi quorum templa cum adire disponitis, ab omni vos labe puros, lautos castissimosque præstatis? Et quid esse his potest coïnquinatius, infelicius, spurcius, quam si ita facti sunt sui natura, ut in amoribus habeant tam sæva, sintque illis in voluptate putores, quos neque

ipsi sacrificantes ferre, nec ingenuæ sustinere tractos valeant per spiritum nares?

VIII. Quod si animantium cruore honorari et affici superorum animos existimatis, cur non eis et mulos et elephantes mactatis, et asinos? cur non et canes, ursos, et vulpes, camelos, et belbas, et leones? et quoniam volucres hostiarum quoque in numeris ponitis, cur non vulturios, aquilas, ciconias, immussulos, buteones, corvos, accipitres, noctuas; cumque illis salamandras, natrices, viperas solifugas? Nempe subest et his sanguis, et consimili ratione vitali agitantur spiritu. Quid in illis majoris est operis, aut solertiæ in his minus, ut ista non augeant, superorum illa amplificent dignitatem? Quia rebus ex his, inquit, deos par est honorare cœlestes, quibus ipsi alimur, sustentamur et vivimus, et quas nobis ad victum sui numinis tribuere benignitate dignati sunt. Sed et cuminum, nasturtium, rapa, bulbos, apium, carduos, radices, cucurbitas, rutam, mentam, ocimum, pulcium, porrumque sectivum, iidem tribuere dii vobis, esseque in usibus vestris alimoniarum in parte jusserunt: quid ergo cessatis altaribus et hæc dare, rebusque his omnibus cunilam superspergere bubulam, et acrimonias intermiscere ceparum? Ecce si vos canes; necesse est enim quædam fingi, perspici ut liquidius res possint; si, inquam, canes et asini, si motacillæ cum his simul, si hirundines garrulæ, pariterque cum his porci, sensu aliquo humanitatis accepto, deos putarent atque existimarent vos esse, sacraque vobis intenderent honoris ergo facere, non ex materiis aliis, aliisque de rebus, sed quibus ali moris est illis, et naturali appositione fulciri: audire a vobis exposcimus, utrumne hunc honorem, an contumeliam potius esse judicaretis amplissimam? cum hirundines vobis muscas, motacillæ cæderent consecrarentque formiculas; cum altaribus vestris darent asini fœnum, paleasque libarent; cum

imponerent canes ossa, et humani stercoris proluviem concremarent; cum ad ultimum porculi cœnum vobis profunderent ex volutabris horrentibus, lutosis et voraginibus sumptum? Ita ergo non despui vestras inflammaremini dignitates, stercoribusque vos accipi inter atroces computaretis injurias? Sed taurorum corporibus honoratis vos deos, et aliorum animantium cædibus. Et quid hoc ab illo differt, cum et ipsa si nondum, mox tamen futura sint stercora, et exigui temporis contracta interjectione putescant? Denique desinite supponere aris ignem, jam profecto cernetis viscera illa taurorum sacra, quibus honor a vobis auctificatur deorum, fervescere vermibus et fluctuare, vitiare et corrumpere statum cœli, et ex odoribus morbidis regiones consauciare vicinas : quæ si vobis præcipiant dii curam, in vestram invaletudinem vertere, prandia inde vel cœnas solemni ex more conficere; longe fugiatis, execratique odoris genus, veniam poscatis a superis, facturosque vos eis nunquam talia sacra juretis. Ita istud non ludere est, non confiteri, non pandere, quid sit Deus nescire, nec cui potentiæ debeat nominis hujus vis subdi appellatioque supponi? Cibis novis auctificatis deos, nidoribus cohonestatis et succis; et quia vobis jucunda et grata sunt ea quæ vos alunt, deos etiam creditis in eorum affluere voluptates, latratorum et canum ritu, offis sævitias ponere, atque alludere porrigentibus sæpius?

IX. Et quoniam nobis in manibus hostiarum sermo versatur, quæ causa, quæ ratio est, ut cum dii immortales, sint enim et per nos licet quicumque esse creduntur, sint unius sententiæ, vel unius debeant esse naturæ, generis et qualitatis unius, non omnibus omnes hostiis, sed quibusdam quidam sacrorum mulceantur legibus? Quæ est enim causa, requiram ut eadem rursus, ut ille tauris deus, hædis alius honoretur aut ovibus; hic lactentibus porculis, alter inton-

sis agnis; hic virginibus buculis, capris ille cornutis; hic sterilibus vacculis, at ille incientibus scrofis; hic albentibus, ille tetris; alter fœminei generis, alter vero animantibus masculinis? Si enim honoris et reverentiæ causa mactantur diis hostiæ, quid refert aut interest cujus animalis e capite luatur hoc debitum, cujus ira offensioque ponatur? An numquid alterius alteri minus gratior et jucundior sanguis est, alteri vero alterius voluptatem infundit et gaudium? aut, ut fieri moris est, observationis alicujus et religionis metu, ille caprina abstinet se carne, porcinum alius execratur attactum; huic ovilla fœtulenta sunt viscera; ac ne stomachum fatiget invalidum hic bubulam duritiem vitat, et lactentium lenitatem, quo digerat expeditius, sumit? Sed erras, inquit, et laberis : nam diis fœminis fœminas, mares maribus hostias immolare, abstrusa et interior ratio est, vulgique a cognitione dimota. Non inquiro, non exigo, quid sacrorum præcipiant, vel quid contineant leges : sed si vicerit ratio, atque obtinuerit veritas, differentiam generum nullam in diis esse, neque ullis sexibus eos esse discretos; nonne solvi necesse est rationes has omnes, et stultissimis creditas opinationibus comprobari, inveniri? Sapientium virorum non advocabo sententias, qui risum nequeunt continere, cum discrimina sexuum diis audiunt immortalibus attributa : unoquoque ab hominum quæro, an ipse apud se credat, sibique ipse persuadeat, distinctum esse deorum genus, mares ac fœminas hos esse, et ad generandos fœtus convenientium membrorum dispositione formatos? Sed si sexibus sexus pares, id est, fœminas fœminis, mares autem hostias diis maribus immolari sacrificiorum jura præscribunt, quæ in coloribus ratio est, ut merito his albas, illis atras conveniat nigerrimasque mactari? Quia superis diis, inquit, atque omnium dexteritate pollentibus, color lætus acceptus est ac felix hilaritate candoris : at vero diis lævis, sedesque

habitantibus inferas, color furvus est gratior, et tristibus suffectus e fucis. Sed si rursus obtinuerit ratio, inferorum penitus cassum esse nomen et vacuum, neque ulla sub terris regna esse domiciliaque Plutonia ; opinionem necesse est id quoque frustrari, quam super atris pecudibus habetis, divisque subterreis. Quod si inferi nulli sunt, deos etiam manium necesse est esse nullos. Fieri enim qui potest ut cum loca sint nulla eorum quæ non sunt, ulli perhibeantur esse cultores? Sed assentiamur, ut vultis, et esse inferos, et esse manes, et habitare nescio quos in his deos, hominibus minus faustos, et tristioribus præpositos rebus : et quæ causa, quæ ratio est ut tetræ his hostiæ nigerrimique admoveantur coloris? Quia nigra nigris conveniunt, et tristia consimilibus grata sunt. Quid ergo? non videtis, ut vobiscum et nos stolide similiterque ludamus, albas esse hostiarum carnes, ossa, dentes, pinguitias, omenta cum cerebris, mollesque in ossibus medullas? Sed vellera nigra sunt, nigræque animantium setæ. Solas ergo immolate diis lanas, vulsasque ex hostiis setulas : relinquite infelicissimas pecudes, spoliatas licet ac tonsas, cœli animam ducere, et pastibus innocentissimas incubare. Quod si grata numinibus inferis ea quæ sunt nigra furvique existimatis coloris, cur non omnia cætera quæ illorum inferre sacrificiis moris est, sint nigra et fumigata, tetreque ut colorata curatis? Inficite thura, si dantur, salsas fruges atque universa libamina: lacti, oleo, sanguini, hic ponat ut purpureum colorem, illa ut sint lurida, fuliginem infundite cum favillis. Quod si vobis religio nulla est, alba quædam ferre, et suos retinentia candores : ipsi vestras religiones rationesque dissolvitis, cum sacrorum in opere nihil unum perpetuumque servatis.

X. Sed et illud hoc loco consentaneum est ex vobis addiscere : si caper cædatur Jovi, quem patri solemne est Libero, Mercurio mactari ; aut bos si sterilis Unxiæ, quam

Proserpinæ tribuitis, quo ritu atque observatione præcipitur : quid facinoris in hoc erit, quid malorum scelerisve contractum ; cum nihil intersit obsequii, cujus animalis e capite honorarium istud debitum compleatur? Confundi hæc, inquit, fas non est, nec piaculi parvi est, officia rituum procurationemque miscere. Causam oro edissere : quia generis certi hostias certis jus est consecrare numinibus, certaque est supplicamenta præstari. Et quæ iterum causa est, ut generis certi hostias, certis jus sit consecrare numinibus, certaque et supplicamenta præstari? Et hoc enim jus ipsum debet habere suam causam, certisque ab rationibus exoriri, duci. Antiquitatem consuetudinemque dicturus es? Hominum mihi scita pronuntias, et cæci animalis inventa. Ego autem cum postulo causam mihi depromi, audire desidero, aut cœlo aliquid lapsum, aut quod magis res poscit, quid applicitum Jupiter ad tauri habeat sanguinem, ut ei debeat immolari, non debeat Mercurio, Libero? Aut natura quæ capri est, ut his rursus accommoda, Jovialibus conveniens sacrificiis non sit? Animalium facta est inter deos divisio ; transactionis alicujus pactione convenit ut ille contineret ab hujus se hostia, hic ut usurpare desineret alieni sanguinis jura? an, ut zelotypi pusiones, communicare gustatum suarum pecudum nolunt? aut, ut gentibus fieri moris diversissimi fama est, quæ habentur his esui, aliarum eadem rejiciuntur ab victibus? Ergo si hæc cassa sunt, nec rationis alicujus habentia firmitatem, sacrificiorum et ipsa inanis est ratio. Etenim qui potis est habere idoneam, id quod sequitur, causam, cum ipsum illud primum a quo defluit secundum, inanissimum esse reperiatur et vacuum, et nulla soliditate firmatum? Telluri, inquiunt, matri scrofa inciens immolatur et fœta ; at Minervæ virgini virgo cæditur vitula, nullis unquam stimulis, nullius operis exercitata conatu. Atquin nos arbitramur nec virginem virgini opor-

tuisse mactari, ne virginitas violaretur in pecude, qua dea plurimum pollet; nec Telluri gravidas atque fœtas ob honorem fœcunditatis ipsius, quam cuncti expetimus et optamus inextinguibili semper fœcunditate procedere. Nam si, quia virgo Tritonia est, idcirco ei convenit virgines hostias immolari; et quod Tellus est mater, consimiliter gravidis accipienda est scrofis : ergo et musicis Apollo, quod musicus; et quod medicus Æsculapius, medicis; et quod faber Vulcanus est, fabris; et quod Mercurius eloquens, eloquentibus debet dissertissimisque mactari. Quod si dicere istud insanum est, aut, ut mediocriter pronuntiem, brutum, multo illud majoris amentiæ est, fœtas jugulare Telluri, quod sit fœtibus gravior; Minervæ castas et virgines, quia sit pura, virginitatis intactæ.

XI. Nam quod dici a vobis accipimus, esse quosdam ex diis bonos, alios autem malos, et ad nocendi libidinem promptiores; illisque ut prosint, his vero ne noceant, sacrorum solemnia ministrari : quanam istud ratione dicitur, intelligere confitemur non posse. Nam deos benignissimos dicere, lenesque habere naturas, et sanctum, et religiosum, et verum est : malos autem et lævos nequaquam sumendum est auribus, ideo quoniam divina illa vis ab nocendi procul est dimota et disjuncta natura. Quidquid autem potis est causam calamitatis inferre, quid sit primum videndum est, et ab dei nomine longissima debet differitate seponi. Itaque ut vobis commodemus assensum, dextrarum sinistrarumque rerum deos esse fautores; ulla nec si ratio est cur alios alliciatis ad prospera, alios vero, ne noceant, sacrificiis commulceatis et præmiis. Primum quod dii boni male non queunt facere, etiam si nullo fuerint honore mactati. Quidquid enim mite est, placidumque natura, ab nocendi procul est usu et cogitatione discretum : malus vero comprimere suam ferociam nescit, quamvis gregibus mille

et mille alliciatur altaribus. Neque enim in dulcedinem vertere amaritudo se potest, aut ariditas in humorem, calor ignis in frigora; aut quod rei cuicumque contrarium est, id quod sibi contrarium est sumere, in suam atque immutare naturam. Ut si manu viperam mulceas, venenato blandiaris aut scorpio, petat illa te morsu, hic contractus aculeum figat : nihilque illa prosit allusio, cum ad nocendum res ambæ non stimulis exagitentur irarum, sed quadam proprietate naturæ. Ita nihil prodest promereri velle per hostias deos lævos, cum sive illud feceris, sive contra non feceris, agant suam naturam, et ad ea quæ facti sunt ingenitis legibus et quadam necessitate ducantur. Quid quod isto modo utrique dii desinunt esse suis in viribus, et suis in qualitatibus permanere. Nam si bonis ut prosint res divina conficitur, aliis autem ne noceant iisdem rationibus supplicatur : sequitur ut intelligi debeat, nihil dexteros profuturos nulla si acceperint munera, fierique ex hoc malos; malos autem si acceperint, nocendi posituros mentem, fierique ex hoc bonos. Atque ita perducitur res eo, ut neque hi dexteri, neque illi sint lævi; aut, quod fieri non potest, utrique ipsi sint dexteri, et utrique iterum lævi.

XII. Esto, concedatur infelicissimas pecudes non sine aliquo religionis officio divorum apud templa mactari, et quod ex usu consuetudinis factum est, rationis alicujus causam aliquam continere. Sed si magnificum videtur atque amplum, jugulare diis tauros; si illibata, si solida concremari animantium viscera : quid sibi reliqua hæc volunt magorum cohærentia disciplinis, quæ in sacrorum reconditis legibus pontificalia restituere mysteria, et rebus inseruere divinis? Quid, inquam, sibi hæc volunt, apexanes, hirciæ, silicernia, longavi? quæ sunt nomina et farciminum genera hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus? Quid tædæ? quid tæniæ? quid offæ, non vulgi, sed quibus est nomen

appellatioque penitæ? ex quibus quod primum est, in exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more: quod in secundo situm est, intestini est porrectio per quam proluvies editur, succis perexsiccata vitalibus: offa autem penita est, cum particula visceris cauda pecoris amputata. Quid polimina? quid omenta? quid palasea, sive, ut quidam cognominant, plasea? ex quibus est nomen omenti pars quædam, quo receptacula ventrium circumretita finiuntur. Bovis cauda est plasea, siligine et sanguine delibuta. Polimina porro sunt ea quæ nos proles verecundius dicimus: a vulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari. Quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, conspolium, cubula? ex quibus duo quæ prima, sunt pultium nomina, sed genere et qualitate diversa. Series vero quæ sequitur, liborum significantias continet: et ipsis non est una eademque formatio. Non enim placet carnem strebulam nominare quæ taurorum e coxendicibus demitur; pulpamenta non assa, quæ in verubus exta sunt, animata prius et torrefacta carbonibus; non salsamina denique, quæ sunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus: non similiter fendicas, quæ et ipsæ sunt hiræ, quas plebis oratio ilia solet, cum eloquitur, nuncupare: non, ratione eadem, ærumnas, quæ sunt prima in gurgulionibus capita, qua dejicere cibos et referre natura est ruminatoribus sæculis: non magmenta, non augmina, non mille species vel farciminum, vel fitillarum, quibus nomina indidistis obscura, vulgoque ut essent augustiora fecistis. Si enim quæcumque ab hominibus fiunt, maximeque in re sacra, debent habere suas causas, nec sine ratione est quidquam in negotiis omnibus, atque in omni administratione faciendum: edissertate nobis, et dicite, quæ sit causa, quæ ratio ut hæc etiam diis dentur, sacrisque adoleantur altaribus? In hoc enim diutius loco huic causæ vel maxime

necessario immoramur, insistimus, inhæremus, cupientes addiscere quid cum pultibus deo sit, quid cum libis, quid diversis cum fartibus confectionis jure multiplici atque impensarum varietate conditis? Opiparis numina cœnis afficiuntur, aut prandiis, ut innumeras conveniat excogitare his dapes? aversionibus stomachorum laborant, et ad expellenda fastidia saporum varietas quæritur, ut modo his assa, modo cruda ponantur, semicocta modo et semicruda? Quod si omnes has partes quas prosicias dicitis accipere dii amant, suntque illis gratæ, vel voluptatis alicujus vel dulcedinis sensu; quid intercedit, quid prohibet, ut non semel hæc omnia totis cum animantibus inferatis? Quæ causa quæ ratio est, ut caro strebula separatim, ruma, cauda et plasea separatim, hiræ solæ, nomenque solum augmentorum adjiciantur in causam? Pulmentorum varietatibus afficiuntur dii cœlites, ut fieri mos est post cœnarum ditium et locupletium saginas, frustilla hæc parvula pro suavibus mateolis sumunt, non quibus famem sedent, sed ut palati admoneant otium, seque ipsos plenæ appetitu voracitatis instigent? O deorum magnitudo mirabilis! o nullis hominum comprehensa, nullis intellecta naturis! siquidem ut prosint, testiculis pecudum redimuntur et rumis; neque prius iras atque animos ponunt, nisi sibi adoleri paratas conspexerint nænias, offasque redemptas.

XIII. Sequitur ut de thure deque mero aliquid sine ulla nimietate dicamus. Copulata enim et mixta sunt cæremoniarum et hæc genera, cultumque adhibentur in plurimum. Ac primum illud a vobis isto ipso quærimus percontamurque de thure, unde aut quo tempore nosse illud aut scire potueritis (21), ut merito existimetis aut esse diis dandum, aut eorum acceptissimum voluntati. Novella enim propemodum res est, neque annorum inexplicabilis series ex quo ejus notitia profluxit in has partes, et delubris meruit

interesse divinis. Nam neque temporibus, quemadmodum creditur et perhibetur, heroïcis, quidnam esset thus scitum est, scriptoribus ut comprobatur a priscis, quorum in libris posita nulla ejus mentio reperitur : neque genitrix et mater superstitionis Etruria opinionem ejus novit aut famam, sacellorum ut indicant ritus : neque quadringentis annis quibus Albana res viguit, in usum cuiquam venit, sacra cum res fieret : neque ipse Romulus, aut religionibus artifex in comminiscendis Numa, aut esse scivit, aut nasci ; ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia. Unde igitur cœpta est usurpatio ejus assumi ? aut in antiquam et veterem consuetudinem quænam irruit novitas, ut quod tempestatibus tantis necessarium non fuit, locum sumeret in cæremoniis primum ? Nam si sine thure religionis officium claudicat, necessariaque vis ejus est, quæ propitios faciat mitesque hominibus cœlites, peccatum est ab antiquis, quinimo piaculis plena vita omnis illorum fuit, qui quod maxime conveniens deorum fuerat voluptati, per incuriam neglexere libare. Sin autem temporibus priscis neque homines neque dii hujus thuris expetivere materiam, comprobatur et hodie frustra illud inaniterque præstari, quod neque antiquitas necessarium credidit, et sine ullis novitas rationibus appetivit. Denique ut illam semper regulam definitionemque teneamus, qua demonstratum et fixum est, quidquid fiat ab homine, habere oportere suas causas; et in ista quoque retinebimus parte, ut requiramus ex vobis quæ sit causa, quæ ratio, ut ante ipsa numinum signa thura injiciantur altaribus, et ex eorum incendio familiaria fieri existimentur et mitia. Quid ex hujusmodi facto acquiritur his rei, aut eorum ad animos quid accedit, ut merito judicemus recte ista dependi, et non frustra atque inaniter concremari ? Ut enim vos debetis ostendere cur thura diis detis, sic et deos sequitur ut debeatis

expromere habere aliquam causam cur ea non respuant, quinimo cur ea tam familiariter concupiscant. Honoramus, inquiet aliquis fortasse, his deos. Sed nos non vestrum, sed numinum requirimus sensum; nec quid fiat a vobis, sed pendatur ab his quanti quod in præmium datur favoris, interrogamus. Sed tamen, o pietas! quantus iste est honor, aut qualis, qui ex ignis odore conficitur, et resina ex arboris comparatur? Nam ne forte ignoretis quid, aut unde sit thus istud: viscum est corticibus profluens ita ut ex amygdalo, ceraso, lacrymabili distillatione coalescens. Hoccine ergo superas honorat et auctificat dignitates; aut offensa si aliquando contracta est, thuris vapore dissolvitur, et temperata indignatione sopitur? Quid ergo cessatis cujuslibet arboris viscum, sine ulla passim differitate, comburere? Nam si honorantur hoc numina, nec indigne sustinent Panchaïcas sibi ardere resinulas, quid interest unde fumus altaribus conficiatur in sanctis, vel ex visci quo genere nubes suffitionis exæstuent? An numquid aliquis dicet, idcirco superis thus dari quod odoratus habeat suaves et narium commulceat sensum, reliqua vero sint aspera et ob causam offensionis exclusa? Habent enim dii nares, quibus ducant aërios spiritus? Accipiunt auras et remittunt, ut penetrare illos possint nidorum differentium qualitates? Quod si damus ut fiat, mortalitatis eos adjungimus legi, et excludimus divinitatis a finibus. Quidquid enim spirat et reciprocos halitus auris commeabilibus ducit, id necesse est esse mortale, quia cœli sustineatur e pastu. Quidquid autem cœli sustinetur e pastu, si recursus abstuleris quibus alternatio redditur abstrahiturque vitalis, oblidi ejus necesse est animam, et rationem subrui atque interire vivendi. Ergo si et dii spirant, odoremque ad se attrahunt auris comitantibus involutum, non est ab re dicere et alienis eos suffitionibus vivere, et interclusis posse spiraminibus interire. Et unde

novissime scitis, an si odorum suavitate capiuntur, eadem sint eis jucunda quæ vobis, et parili sensu vestras mulceant afficiantque naturas? Nonne fieri potis est ut quæ vobis afferunt voluptatem, contra illis aspera videantur et tristia? Cum enim deorum sint sententiæ dispares, substantiæque non unæ, quibus effici rationibus potest ut quod qualitate diversum est, unum sentiat accipiatque contactum? An non quotidie cernimus et inter animantia terris orta, esse aliis eadem vel amara vel dulcia; mortifera his esse, quæ illis nata in perniciem non sunt? ut quæ alios mulceant odoribus lætis, eadem pestiferos halitus aliorum corporibus spirent? Sed hoc ut fiat, et accidat, non in rebus est causa, quæ simul esse mortiferæ, simul salutares, simul dulces nequeunt, simulque amaræ consistere : sed, ut quisque est factus ad extrinsecus rei venientis attactum, ita afficitur : qualitatem non accipit ex rerum impulsionibus natam, sed ex sui sensus contagiique natura. Verum omnis hæc ratio longe ab diis sita, nec exigui limitis interjectione discreta. Nam si verum est, ut ab sapientibus creditur, incorporales hos esse, nec soliditatis alicujus eminentia sublevari, inanis apud hos odor est, nec sensibiliter commovere aura eos potis est nidoris alicujus : non si mille tu pondera masculi thuris incendas, cœlumque hoc totum redundantium vaporum nebulositate cludatur. Quod enim non habet robur, et substantiam corporalem, contrectari a substantia non potest corporali : odor autem corpus est, tactis sicut naribus indicatur : ab deo ergo sentiri ratione non potest ulla, qui caret re corporis, atque omni sensu et cogitatione privatus est.

XIV. Merum thuris est socium, quod explanari consimiliter poscimus cur ei superfundatur incensioni. Nisi enim ratio cur fiat ostenditur, nec habebit expositam sui causam, non jam istud errori objiciendum est ludicro, sed, ut di-

catur expressius, insaniæ, dementiæ, cæcitati. Ut enim jam sæpius dictum est, debet omne quod geritur causam sui habere perspicuam, nec caliginis alicujus obscuritate contectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monstrate liquor iste cur detur, id est, vinum superfundatur altaribus. Numquid enim numinum corpora sitim sentiunt aridam, et eorum necesse est siccitates humore aliquo temperari? Numquid, nobis ut mortalibus moris est cœnis intermiscere potiones, pari etiam more post solidos victus liborum et pultium, hostiarumque cæsarum, quo putrefiat facilius aut percoquatur cibus, frequentissimo irrigant accipiuntque se vino? Date, quæso, immortalibus diis bibant, scyphos, brias, pateras, simpuviaque depromite; et quoniam tauris, pinguibusque se dapibus atque opimis inferciunt escis, ne quod in stomachi tramite male transvoratum substiterit viscus, succurrite, properate: Jovi optimo maximo merum, ne præfocetur, date; cupit eructare, nec potis est; ac ni illa labatur et dissolvatur obstructio, periculum maximum est ne oblisus interrumpatur spiritus, et viduatum remaneat sine suis administratoribus cœlum. Sed frustra, inquit, inequitas nobis: non enim nos superis ob eas profundimus merum causas, tanquam illos existimemus aut sitire, aut bibere, aut suavitatis ejus affectione lætari. Honoris eis ergo datur: quo fiat illorum elatior, amplior, augustiorque sublimitas, altaria super ipsa libamus, et venerabiles muscos carbonibus excitamus extinctis. Et quæ gravior infligi contumelia diis potest, quam si eos credes accepto mero propitios fieri; aut honorem existimes habitum his magnum, si modo vini exigui rores super vividam jeceris atque instillaveris prunam? Non nobis est sermo cum hominibus rationis expertibus, neque quibus non sit communis intelligentiæ veritas: inest et vobis sapientia, inest sensus, verumque nos dicere apud vos ipsi interiore judicio scitis. Sed quid facere possumus, considerare nolen-

tibus penitus res ipsas, secumque ipsos loqui? Facitis enim quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confiditis : nimirum quia apud vos plus valet nullam habens consuetudo rationem, quam rerum inspecta natura veritatis examinatione ponderata. Quid est enim deo cum vino, aut in ejus materia vis qualis aut quanta est, quod cum effusum fuerit, sublimitas ejus augescat, et honorata existimetur auctoritas? Quid, inquam, deo cum vino est, Venereis re proxima, nervos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris, et castitatis inimica? quod in insanias et furores mentes sæpius præcipitavit excitas, ipsosque illos deos maledictis compulit exauctorare dementibus. Itane istud non nefas, et plenum sacrilegii crimen est, honori hoc dare quod si tu id avidius sumpseris, quid facias nescias, quid loquaris ignores, ad extremum temulenti, luxuriosi et perditi convicium infamiamque merearis? Operæ pretium est etiam verba ipsa depromere quibus, cum vinum datur, uti ac supplicare consuetudo est: «Mactus hoc vino inferio esto.» *Inferio,* inquit Trebatius, verbum ea causa est additum, eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum est, esse sacrum incipiat, et ex usibus eripiatur humanis. Addito ergo verbo, solum erit quod inferetur sacrum, nec religione obligabitur cæterum. Qualis ergo hic honor est, in quo imponitur quasi lex deo, ne plus quærat quam datum est? aut cujus ipse est aviditatis deus, qui nisi verbi fuerit præscriptione summotus, cupiditatem suam protendat ulterius, et apothecis suis supplicem privet? «Mactus hoc vino inferio esto.» Injuria est ista, non honor. Quid enim si divus amplius hoc volet, neque erit contentus illato? nonne insigniter dicendum est lædi, qui honorem accipere cum conditione cogetur? Nam si, exceptione non addita, sacrum necesse est fieri omne omnino quod in cellis

est vinum, manifestum est et deo contumeliam fieri, cui modus constituatur invito; et vos ipsos in re sacra cæremoniarum officia violare, qui non tantum tribuitis vini quantum deum videtis sibi velle præstari. « Mactus hoc vino inferio esto. » Quid est aliud quam dicere : Tantum esto mactus quantum volo, tantum amplificatus quantum jubeo; tantum honoris assumito, quantum te habere decerno et verborum circumscriptione definio? O deorum sublimitas præpotens, quam venerari, quam colere officiis omnibus cæremonialibus debeas! cui legem venerator imponit, quam cum pactionibus adorat et formulis, quæ per unius formidinem verbi ab immodicis vini cupiditatibus arcetur! Sed sit, ut vultis, honor in vino, sit in thure; immolatione et cædibus hostiarum iræ numinum offensionesque placentur.

XV. Etiamne dii sertis, coronis afficiuntur, et floribus? etiamne æris tinnitibus, et quassationibus cymbalorum? etiamne tympanis, etiamne symphoniis? Quid efficiunt crepitus scabillorum, ut cum eos audierint numina, honorifice secum existiment actum, et ferventes animos irarum oblivione deponant? An numquid, ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis : eadem ratione et omnipotentia numina tibiarum stridore mulcentur, et ad numerum cymbalorum mollita indignatione flaccescunt? Quid sibi volunt excitationes illæ quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant? Quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant auspicabili salutatione mandatis? somni enim quiete solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenes audiendæ sunt næniæ? Lavatio, inquit, deum Matris est hodie. Sordescunt enim divi, et ad sordes eluendas lavantibus aquis opus, atque adjuncta antiqua cineris frictione? Jovis epulum cras est. Jupiter enim cœnat, magnisque implendus est dapibus, jamdudum inedia gestiens et anniversaria interjectione je-

junus? Æsculapii geritur celebraturque vindemia. Colunt enim dii vineas, et ad suas usiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum? Lectisternium Cereris erit Idibus proximis. Habent enim dii lectos, atque ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impressio? Telluris natalis est. Dii enim ex uteris prodeunt, et habent dies lætos, quibus Floralibus et Megalensibus nomen est; cæterique omnes alii quos esse sacros voluistis, et religionum inter officia deputari, quam rationem habent, quam causam, ut institui condique debuerint, et ex numinum appellatione signari?

XVI. Honorantur, inquit, his dii, et si quas ab hominibus continent offensionum memorias illatarum, abjiciunt, excludunt redduntque se nobis redintegrata familiaritate fautores. Et quæ causa est rursus ut tranquilli, placidi efficiantur et mites, ineptæ si res fiant, et ab hominibus otiosis multitudine spectante ludatur? Ponit animos Jupiter, si Amphitryo fuerit actus pronuntiatusque Plautinus? aut si Europa, si Leda, Ganymedes fuerit saltatus, aut Danaë, motum compescit irarum? Tranquillior, lenior Mater magna efficitur, si Attidis conspexerit priscam refricari ab histrionibus fabulam? Obliterabit offensam Venus, si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus pantomimum? Indignatio relanguescet Alcidæ, si tragœdia Sophoclis cui Trachiniæ nomen est, Euripidis aut Hercules actitatur? Existimatur tractari se honorifice Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi, et migratum ab lupanaribus in theatra? Itane istud non est deorum imminuere dignitatem, dicare et consecrare turpissimas res eis, quas censor animus respuat, et quarum actores inhonestos esse jus vestrum et inter capita computari judicavit infamia? Mimis nimirum dei gaudent, et illa vis præstans, neque ullis hominum comprehensa naturis, libentissime com-

modat audiendis his aures quorum symplegmatibus plurimis intermixtos se esse, derisionis in materiam norunt. Delectantur ut res est, stupidorum capitibus rasis, salapittarum sonitu atque plausu, factis et dictis turpibus, facinorum ingentium rubore. Jam vero si viderint in fœmineas mollitudines enervantes se viros, vociferari hos frustra, sine causa alios cursitare, amicitiarum fide salva contundere se alios et crudis mutilare se cæstibus, certare hos spiritu, buccas vento distendere, votisque inanibus concrepare : manus ad cœlum tollunt, rebus admirabilibus moti prosiliunt, exclamant, in gratiam cum hominibus redeunt. Hæc si diis immortalibus oblivionem afferunt simultatum, si ex comœdiis, attellanis, mimis, ducunt lætissimas voluptates; quid moramini, quid cessatis, quin et ipsos dicatis deos ludere, lascivire, saltare, obscœnas compingere cantiones, et clunibus fluctuare crispatis ? Quid enim differt, aut interest, faciantne hæc ipsi, an ab aliis fieri in amoribus atque in deliciis ducant ?

XVII. Unde igitur fluxit, vel ex quibus enata est causis opinionum hæc pravitas ? Ex eo scilicet maxime, quod nequeuntes homines quidnam sit Deus scire, quænam sit vis ejus, natura, substantia qualis, utrumne habeat formam, an nulla sit corporis circumscriptione finitus; agat aliquid, an non agat; vigiletne perpetuo, an aliquando solvatur in somnos; currat, sedeat, ambulet; an ab hujusmodi motibus et cessatione sit liber : hæc omnia, ut dixi, nequeuntes scire, neque ratione aliqua pervidere, in eas sunt opinationes lapsi ut deos ex se fingerent, et qualis sibi natura est, et illis talem darent actionum, rerum voluntatumque naturam. Quod si animal cernerent nullius esse se pretii, nec inter formiculam plurimum seseque esse discriminis, profecto desinerent arbitrari quidquam se habere commune cum superis, et intra suos fines humilitatis suæ modestiam

continerent. Nunc vero quia cernunt ora, oculos, capita, buccas, auriculas, nasos, cæterasque se alias membrorum gerere ac viscerum portiones; et deos existimant eadem ratione formatos, habitumque illos suum compagine in corporea continere : et quia gaudere, lætari mœstosque se fieri tristioribus conspiciunt causis, arbitrantur et numina ex rebus hilarioribus gaudere, et ex minus lætis animorum contractione conduci; affici se ludis, putant et cœlitum mentes ludorum delectatione mulceri : et quia illis se voluptas est lavacrorum refovere caldoribus, et superis ducunt lavationum esse munditias gratas. Vindemiamus nos homines : et deos rentur et credunt suas ducere atque agitare vindemias. Dies nobis natalitii sunt : et potentias cœlites dies autumant habere natales. Quod si possent ascribere valetudines, ægritudines et corporales diis morbos, non dubitarent eos lienosos, lippulos atque enterocelicos dicere, eo quod ipsi et lienosi et lippi sunt sæpe, et ingentium herniarum magnitudine ponderosi.

XVIII. Age nunc summatim, quoniam sermo prolatus est et perductus in hæc loca, singularum partium oppositionibus comparemus utrumne vos melius rebus de superis sentiatis, an potius nos multo et honoratius opinemur, et rectius, quodque rei divinæ suam præstet atque attribuat dignitatem. Ac primum vos deos, quos in rerum natura vel arbitramini esse, vel creditis, quorumque in templis omnibus simulacra constituistis et formas, profitemini esse natos, et ex masculorum fœminarumque seminibus conventionum progenitos lege. At vero nos contra, si modo dii certi sunt, habentque hujus nominis auctoritatem, potentiam, dignitatem, aut ingenitos esse censemus, hoc enim religiosum est credere; aut si habent nativitatis exordium, Dei summi est scire quibus eos rationibus fecerit, aut sæcula quanta sint ex quo eis attribuit perpetuitatem sui nu-

minis inchoare. Vos habere sexus deos, aliosque ex his mares, fœminei generis alios esse censetis : nos potentias cœlites discretas esse sexibus abnegamus, quoniam discrimen hujusmodi terrenis animantibus datum est, quas coïre, quas generare Auctor voluit rerum, substituendis per libidinem prolibus. Vos hominum similitudinem gerere, et mortalium vultibus existimatis esse formatos : nos effigies remur summotas esse ab his longe, quoniam forma mortalis est corporis : et si forte est ulla, comprehendere neminem posse, indubitabili asseveratione juramus. A vobis artificia singuli opificum more habere perhibentur : ridemus cum audimus nos ista; quoniam diis artes necessarias ducimus arbitramurque non esse, et eas constat et liquidum est paupertatis ad subsidium comparatas. Discordiarum alios ex his vos, alios dicitis qui pestilentias irrogent, alios qui amores, qui furias, alios vero qui præsint bellis et sanguinis effusione lætentur : at vero nos contra ab ingeniis numinum judicamus esse disjunctas; aut si sunt qui hæc mala miserrimis inferant subjiciantque mortalibus, ab deorum contendimus procul esse natura, nec sub hujus nominis prædicatione ponendos. Irasci et perturbari vos numina, cæterisque animorum affectibus mancipata esse atque obnoxia judicatis : nos hujusmodi motus alienos existimamus ab his esse; sunt enim ferocium generum, et mortalitatis obeuntium functiones. Vos pecorum sanguine, vos cædibus et mactationibus hostiarum gaudere, lætari, et in gratiam cum hominibus remini offensionibus redire sopitis : nos amorem sanguinis nullum esse in cœlitibus ducimus, nec esse tam duros, ut miserorum animantium cæde saturatas abjiciant iras. Vos mero, vos thure, honorem arbitramini diis addi et eorum augescere dignitates : nos monstrum et prodigium judicamus, quod quisquam hominum credat aut augustiorem fieri deum fumo, aut ex roribus exiguis vini ipsum sibi

ab hominibus ducere satis sancte atque honorifice supplicatum. Vos æris tinnitibus et tibiarum sonis, vos equorum curriculis et theatralibus ludis persuasum habetis deos et delectari et affici, irasque aliquando conceptas eorum satisfactione mollire : nos inconveniens ducimus, quinimo incredibile judicamus, eos qui gradibus mille genus omne virtutum perfectionis transierint summitate, in voluptatibus habere atque in deliciis esse res eas quas homo sapiens rideat, et quæ non aliis videantur continere aliquid gratiæ, quam infantibus parvulis, et trivialiter et populariter institutis. Hæc cum ita se habeant, cumque sit opinionum tanta nostrarum vestrarumque diversitas, ubi aut nos impii, aut vos pii, cum ex partium sensibus pietatis debeat atque impietatis ratio ponderari? Non enim simulacrum qui sibi aliquod concit quod pro deo veneretur, aut qui pecus trucidat innoxium sacrisque incendit altaribus; is habendus est rebus deditus esse divinis. Opinio religionem facit, et recta de diis mens : ut nihil eos existimes contra decus præsumptæ sublimitatis appetere. Cum enim cuncta quæ his dantur sub oculis hic nostris videamus absumi, quid ad eos aliud ab nobis dicendum est pervenire, nisi opiniones diis dignas et eorum convenientissimas nomini? Hæc sunt dona certissima, sacrificia hæc vera : nam pulticulæ, thura cum carnibus, rapacium alimenta sunt ignium, et parentalibus conjunctissima mortuorum.

XIX. Sed si dii immortales nequeunt, inquit, irasci, neque ullis animorum affectibus eorum qualitur concutiturque natura; quid historiæ sibi volunt, quid annales, quorum in conscriptionibus legimus, nonnullis offensionibus deos motos, pestilentias, sterilitates ac frugum inopias, aliaque intulisse civitatibus nationibusque discrimina; eosque rursus sacrorum satisfactione placatos, indignationum posuisse fervores, et in habitum lætiorem statum cœli

tempestatumque mutasse? Quid terrarum fremitus, quid motus, quos esse accepimus factos quod essent acti per indiligentiam ludi, nec ad suam formam conditionemque curati; instauratis his tamen, et curiosa observatione repetitis, superorum conquievissse terrores, et ad hominum curam familiaritatemque revocatos? Quoties vatum jussis haruspicumque responsis, postquam divina res facta est, et ex gentibus transmarinis acciti dii quidam, delubraque his facta, et in altioribus columnis signa quædam et simulacra sunt constituta; et imminentium aversi sunt periculorum metus, et gravissimi hostes pulsi, et amplificata res publica est, et victoriarum frequentibus gaudiis, et provinciarum possessione complurium? Quod utique non fieret si sacrificia, si ludos, cæterosque aspernarentur dii cultus; neque se honorari eorum procurationibus ducerent. Si ergo his datis calor omnis numinum indignatioque frigescunt, vertunturque in prospera ea quæ videbantur afferre terrores, manifestum est hæc omnia non sine cœlitum fieri voluntate, et quod ea tribuantur a nobis inaniter et cum tota imperitia reprehendi. Ventum est ergo dum loquimur ad ipsum articulum causæ, ventum rei ad cardinem, ventum ad veram atque adjunctissimam quæstionem, in quam convenit ut debeamus inspicere, formidine superstitionis amota, et gratificatione deposita, utrumne hi dii sint quos sævire asseveratis offensos, reddique ludis et sacrificiis mites; an sint longe aliud, et ab hujus vi debeant et nominis et potentiæ segregari. Non enim imus inficias, in annalium scriptis contineri hæc omnia quæ sunt a vobis in oppositione prolata : nam et ipsi pro modulo, ingeniique pro captu, et legimus et esse positum scimus, ludis quondam ipsis Circensibus, qui Jovi maximo fierent, patremfamilias quemdam, antequam inciperent res agi, servum pessime meritum per circi aream mediam transduxisse cæsum virgis,

et ex more multasse post patibuli pœna; ludis deinde jam terminatis, profligatisque curriculis, non multi post temporis spatium civitatem occœpisse pestilentia vastari; cumque dies adderet malum malo gravius, catervatim et populus interiret, rusticulo cuidam sorte humilitatis obscuro Jovem per insomnium dixisse uti ad consules vaderet, præsulem sibi displicuisse monstraret, posse melius fieri civitati si ludis sua religio redderetur, et ex integro rursus curiosa observatione procederent : quod cum ille facere minime curasset, vel quod esse vanum suspicaretur insomnium, nullamque habiturum apud audituros fidem; vel quod ingenitæ humilitatis memor, potestatis tantæ fugeret et formidaret accessum, cunctatori redditum inimicum Jovem, filiorum obitus irrogavisse pro pœna : mox cum et ipsi proprium minaretur interitum, ni præsulis pergeret nuntius improbati, obeundi formidine territatum, cum jam et ipse contactus pestilentiæ flagraret incendio, de sententia propinquorum perlatum ad curiam patrum, insomniique exposita visione, flammas evolavisse contagii ; ludorum deinde instauratione decreta, et spectaculis adhibitam gravem curam et priorem populo redditam sanitatem. Sed neque illud æque nos negabimus scire, temporibus quondam civitatis et reipublicæ duris, vel quæ lues infesta faciebat continua populum contage conficiens, vel quæ hostes validi et ad periculum libertatis auferendæ præliorum prosperitate jam proximi; jussis et monitis vatum, transmarinis ex gentibus quosdam deos accitos, magnificisque honoratos templis, et luis sedasse flagrantiam, et viribus hostium fractis frequentissime triumphatum, et auctos imperii fines, innumerasque provincias sub leges vestri cecidisse dominatus. Sed neque hoc nostram conscientiam fugit lectum et positum, ictum cum esset Capitolium fulmine, multaque in hoc alia, Jovis etiam simulacrum sublimi

quod in culmine stabat, suis esse ab sedibus provolutum : responsum deinde ab haruspicibus editum, res sævas tristissimasque portendi ab incendiis, cædibus, ab legum interitu, et ab juris occasu, maxime tamen ab domesticis hostibus, atque ab impia conjuratorum manu : sed flecti hæc posse, imo aliter publicari scelerata non posse consilia, nisi Jupiter rursus altiore in culmine figeretur, orientalem conversus ad cardinem, radiisque oppositus solis : affuisse dicto fidem; nam, subrecto culmine, conversoque ad solem signo, patuisse res abditas, et reserata in maleficia vindicatum. Habent quidem miraculi speciem, quinimo habere creduntur cuncta ista quæ dicta sunt, si ita ut sunt prompta humanum veniant ad auditum : nec diffitemur inesse his quiddam quod, in prima positum, quemadmodum dicitur, fronte, perstringere aures possit, et veritatis similitudine circumvenire. Cæterum si penitus intueri res factas, personas et personarum volueris voluptates, nihil esse reperies diis dignum, et quod sæpe jam dictum est, quod ad hujus nominis speciem dignitatemque referatur. Quis est enim primum, qui deum illum fuisse credat qui currentibus frustra delectaretur equuleis, avocarique se genere hoc ludicri jucundissimum duceret? Imo illum fuisse quis est qui assentiatur Jovem, quem deum principem dicitis et rerum quæcumque sunt conditorem, qui spectatum proficisceretur e cœlo cantherios de velocitate certantes, replicantes gyros septem; et quos dissimiles ipse corporum esse in mobilitate voluisset, eos tamen gaudere transire, transiri, pronos et cernuos ruere, cum curribus resupinos verti, trahi alios cruribus et claudicare præfractis; et ineptias nugis et crudelitatibus mixtas summis in voluptatibus habuisse, quas homo quivis lætus, nec ad studium plenæ gravitatis ac ponderis eruditus, puerilia duceret atque aspernaretur ut ludicra? Quis est, inquam, qui credat, repe-

tamus ut assidue hanc vocem, generis eum fuisse divini qui quoniam ludis actus per Circi est spatium meritorum pœnas et supplicia redditurus, ira exacerbatus ardesceret, seseque ad vires accingeret ultionis ? Si enim nocens servus, atque illa fuerat animadversione puniendus, qui debuit Jupiter indignatione aliqua commoveri, cum ageretur injuste nihil, imo cum nocens caput pœnis convenientibus plecteretur ? Sin autem immunis ab scelere, neque ulli obnoxius crimini, vitiosi præsulis ipse fuit in causa, cui cum subvenire potuisset non fecit, imo ipse quæsivit et pati quod improbabat, et ab aliis pœnas suæ permissionis exigere : et cur læsum deinde illo se quæstus est et pronuntiavit in præsule, quia crucis ad pœnas per Circi actus est medium, virgis dilaceratus et flagris ? Et quid ex hoc facto labis potuit et fœditatis effluere, quod aut Circum faceret minus purum, aut Jovem contaminatum, cum per exigua momenta, per puncta, tot in orbe conspiceret millia mortis in generibus variis, et cruciatibus interire diversis ? Ante, inquit, est actus, ludi quam inciperent confici. Si sacrilego pectore, religionisque contemptu, est ut ignoscere debeamus Jovi indignanti se spretum, nec Circensibus propriis sollicitiorem adhibitam curam. Sin autem errore, vel casu, latens illud non est animadversum et cognitum vitium, nonne fuerat rectum, Jovique conveniens, ut humanis ignosceret lapsibus et imprudentiæ cæcitatem veniali concessione donaret ? Sed vindicanda res fuit. Et post hæc aliquis fuisse illum deum credet, qui puerilis incuriam ludicri civitatis ultus est et persecutus interitu ? gravitatis ac ponderis, aut ullius habuisse constantiæ firmitatem, qui ut sibi ex integro voluptatis in gaudia curreretur, venenatam in perniciem aëris haustus vertit, et pestilentiæ morbo stragem mortalitatis indixit ? Si ludorum exhibitor magistratus minus curavit ediscere quisnam esset illo die Circi actus

per medium, contractaque est ex hoc culpa : quid infelix commeruerat populus, ut aliena delicta capitis sui dissolveret pœnis, pestilentibusque contagiis crudeliter expelleretur e vita? imo quid fœminarum genus, quas ab negotiis publicis conditio fragilitatis excepit? quid adultæ virgines? quid puerculi fecere pusiones? quid denique adhuc parvi nutricum sub alimonia constituti, ut in eos immitteretur par et una sævitia, priusque acerbitatem mortis quam dulcedinem aliquam perciperent luminis? Si sibi Jupiter ludos scrupulosius fieri, restituique quærebat, si fideliter reddere suam populo sanitatem, nec malum quod fecerat prorogari ulterius et augeri : nonne rectius fuerat, consulem ut ad ipsum veniret, sacerdotum ad aliquem publicorum, pontificem maximum, aut ad flaminem suum dialem, eique per somnium, et præsulis vitium, et funesti causam temporis indicaret? Quæ fuerat ratio ut ruri hominem suetum, obscuritate incognitum nominis, urbanarum inscium rerum, quid sit præsul fortasse nescientem, voluntatis suæ deligeret nuntium, et expetitæ satisfactionis auctorem? Quem si utique sciebat, divinus modo si fuerat, tergiversatorem in obsequio futurum, nonne fuerat pronius, et deo conveniens, mentem hominis vertere, et parendi subigere voluntatem, quam vias aggredi sæviores, et latrocinii ritu sine ulla passim ratione sævire? Si enim rusticus, senior, inexpeditus in rebus obeundis, cunctabatur in re jussa causis superioribus retardatus, quid infelices ejus commeruerant liberi, ut in eos ira et indignatio verteretur, offensasque alterius luminis sui spoliatione pensarent? Et quisquam est hominum qui fuisse illum deum credat tam injustum, tam impium, nec mortalium saltem constituta servantem, apud quos nefas haberetur magnum alterum pro altero plecti, et aliena delicta aliorum cervicibus vindicari? Sed et ipsum fecit pestilitatis sævitia comprehendi.

Nonne ergo præstantius, quinimo æquius fuerat, si hoc esse videbatur faciendum, ut ab ipso patre terror coërcitionis inciperet, apud quem causa tanti fuerat motus, et inobeda cessatio, quam in ejus dolorem vim liberis facere, et innoxias urere atque abolere personas? Quænam illa sævitia, crudelitas fuit quæ tanta, ut extincta sobole intestinis periculis post terriraret patrem? Quod jamdudum si facere, id est, loco priore voluisset, nec germanitas conficeretur innoxia, et voluntas numinis cognosceretur offensa.

XX. At enim completo annuntiationis officio, statim morbus evanuit, et sanitati homo est continuo restitutus. Et quid habet admirationis res ista, si malum quod inspiraverat repulit, seseque inani ostentatione jactavit? Quod si penitus res pendas, magis illa crudelitas quam beneficium salutis fuit; si quidem hominem miserum, et interire post filios cupientem, non gaudia servavit ad vitæ, sed ut suam solitudinem disceret, et orbitatis cruciamenta sentiret. Consimili ratione per alias ire licebit historias, et ostendere in his quoque longe aliud quam esse dii debeant, de ipsis dici, et earum in expositionibus indicari : velut in hac ipsa, quam deinceps ponam, una ei duabusve conjunctis, fastidium ne immoderatione pariatur. Post advectos, inquitis, transmarinis ex gentibus deos quosdam, postque condita his templa, post cumulatas sacrificiis aras, male habens sese recreatus convaluit populus, et pestilentes morbi inducta sinceritate fugerunt. Qui, effamini, dii quæso? Æsculapius, inquitis, Epidauro bonis deus valetudinibus præsidens, et Tiberina in insula constitutus. Si esset nobis animus scrupulosius ista tractare, vobis ipsis oblineremus auctoribus, minime illum fuisse divum qui conceptus et natus muliebri alvo esset ; qui annorum gradibus ad eum finem ascendisset ætatis in quo illum vis fulminis, vestris quemadmodum litteris continetur et vita expulisset et lu-

mine. Sed quæstione ab ista discedimus : Coronidis filius sit, ut vultis, ex immortalium numero, et perpetua præditus sublimitate cœlesti. Ex Epidauro tamen quid est aliud allatum, nisi magni augminis coluber? Fidem si annalium sequimur, et exploratam eis attribuimus veritatem, nihil, ut conscriptum est, aliud. Quid ergo dicimus? Æsculapius iste quem prædicatis, deus præstans, sanctus deus, salutis dator, valetudinum pessimarum propulsator, prohibitor et extinctor, serpentis est forma et circumscriptione finitus : per terram reptans, cœno natis ut vermiculis mos est, solum mento radit et pectore : tortuosis voluminibus se trahens, atque ut pergere prorsus possit, partem sui postremam conatibus prioris adducit. Et quoniam legitur usus cibis etiam, quibus vita in corporibus immoratur, habet patulas fauces, quibus cibos transvoret oris hiatibus appetitos : habet receptaculum ventris, ut ibi mansa et vorata decoquat viscera, sanguis detur ut corpori, et viribus redintegratio subrogetur : habet et extremos tramites, per quos immunda fæx eat, aversabili corpora fœditate deonerans. Si quando mutat loca, et ab aliis transgredi in alias regiones parat, non ut deus obscure per cœli evolat sidera, punctoque in temporis, ubi causa postulaverit, sistitur : sed velut animal brutum, vehiculum quo sustineatur petit : undas pelagi vitat; atque ut tutus possit incolumisque præstari, cum hominibus navem ascendit, et ille publicæ sanitatis deus fragili se ligno et tabularum compagibus credit. Non arbitramur evincere atque obtinere vos posse, Æsculapium illum fuisse serpentem, nisi hunc colorem volueritis inducere, ut in anguem dicatis convertisse se deum, quo mentiri se posset quisnam esset, aut quales homines intueri. Quod si fuerit a vobis dictum quam infirmiter invalideque dicatur, ipsa rerum inæqualitas indicabit. Si enim se deus videri ab hominibus evitabat, nec in forma serpen-

tis velle debuit conspici; cum in qualibet forma non ab ipso se alius, sed ipse esset futurus. Sin autem intenderat cernendum se dare, non debuit oculorum negare conspectui: cur non talem videri se præbuit qualem sciebat se esse, qualemque se noverat sui numinis in potentia contineri? Erat enim hoc potius, multoque præstantius augustæque conveniens dignitati, quam fieri belluam, horrentisque animalis in similitudinem verti, et dare ambiguis contradictionibus locum essetne verus deus, an nescio quid aliud, longeque ab supera sublimitate sejunctum. Sed si deus, inquit, non erat, cur e navi postquam extulit sese, Tyberinam ad insulam repsit, nusquam statim comparuit, et viderier ut ante desiit? Possumus enim scire utrumne aliquod obstaculum fuerit, cujus sese objectu atque oppositione protexerit, an hiatus aliquis? Vos pronuntiate, vos dicite quidnam illud fuerit, aut cuinam rerum generi debuerit applicari, si personarum officia sunt certa certarum vestra. Cum res ita sit, deque vestro numine vestraque et religione tractetur, vestrum est potius edocere, vestrumque monstrare, quid illa res fuerit, nostras velle quam exaudire sententias, nostraque expectare decreta. Nam nos quidem quid aliud possumus dicere, nisi quod fuit et visum est, quod historiæ prodidere omnes, et oculorum sensibus est comprehensum? Hanc tamen scilicet colubram validissimi corporis, et prolixitatis immensæ? aut si nomen hoc sordidum est, anguem dicimus, serpentem nominitamus; aut si quod aliud nobis usus vocamen obtulerit, aut ampliatio sermonis effinxerit. Si enim repsit ut coluber, non pedibus se ferens, neque suas subexplicans itiones, sed ventre nixus ac pectore; si ex materia formatus carnis longitudinem porrigebatur in lubricam, caput si habuit atque caudam, si obsita squamis terga, si macularum suffectionibus varia, si os dentibus horridum, et ad infligendos instructum morsus: quid aliud possumus.

quam generis eum dicere fuisse terreni? quamvis fuerit immanis et nimius, quamvis illum ab Regulo exercitus vi cæsum, longitudine corporis et roboris anteiret. Sed aliud nos remur, et labefacimus et destruimus veritatem. Ergo vestrum est explicare quidnam ille fuerit, vel cujus generis, nominis et qualitatis cujus. Nam deus esse qui potuit, cum haberet ea quæ diximus, quæ dii habere non debent, si cogitant dii esse et vocaminis hujus eminentiam possidere. Tyberinam postquam ad insulam repsit, nusquam continuo apparuit: qua ex re numen fuisse monstratur. Possumus enim scire ùtrumne istic aliquod rei fuerit alicujus obstaculum, cujus sese objectu atque oppositione protexerit; an hiatus aliquis, aut ex molibus inæqualiter aggeratis successus quidam et fornices, in quos intulit se raptim, circumscripto tuentium visu? Quid enim si flumen transilivit? quid si transnatavit? quid si silvarum densitatibus se dedit? Argumentatio flaccida est, ea re suspicari deum illum fuisse serpentem, quod ab oculis sese properata omni festinatione subtraxit; cum deum non fuisse eadem rursus possit argumentatione monstrari. Sed si deus præsens anguis ille non fuit, cur post illius adventum pestilentiæ vis fracta est, et populo salus reddita Romano? Referimus et nos contra: Si ex libris fatalibus vatumque responsis invitari ad urbem deus Æsculapius jussus est, ut ab luis contagio morbisque pestilentibus tutam eam incolumemque præstaret, et venit non aspernatus, ut dicitis, colubrarum in formam conversus: cur toties Romana civitas mali hujus afflicta est cladibus; toties aliis aliisque temporibus dilacerata, vexata est, et innumeris stragibus civium minor facta est millibus? Cum enim deus accitus in hoc esse dicatur, ut omnino omnes causas quibus pestilentia conflabatur averteret, sequebatur ut civitas intacta esse deberet, flatuque a noxio immunis semper innocuaque præstari. Atquin videmus, ut superius dictum est, sæpenumero his morbis cursus eam vitæ habuisse funestos,

nec dispendiis levibus esse populi fractas debilitatasque virtutes. Ubi ergo Æsculapius fuit, ubi ille promissus oraculis venerabilibus? Cur templa post condita, sibique exædificata delubra, diutius haberi perpessus est bene meritæ civitatis luem, cum in id esset accitus ut et malis mederetur instantibus, nec sineret in futurum tale aliquid quod metueretur irrepere? Nisi forte aliquis dicet, minoribus et consequentibus sæculis idcirco dei talis defuisse custodiam, quod impiis jam moribus et improbabilibus viveretur; opem autem contulisse majoribus, quod innoxii fuerint et ab omni scelerum contagione dimoti. Quod ratione cum aliqua et audiri forsitan potuisset et dici, si aut in temporibus priscis omnes essent usque ad unum boni, aut sequentia tempora malos omnes generarent et nulla diversitate discretos. Cum vero res ita sit, ut in magnis populis, nationibus, quinimo et in civitatibus cunctis mixtum sit humanum genus naturis, voluntatibus, moribus, tamque potuerint in prioribus sæculis quam in novellis ætatibus boni simul malique existere : stultum satis est dicere, propter malitias posteros auxilia numinum non meruisse mortales. Si enim propter malos sequentium sæculorum boni non sunt protecti temporum novellorum, et propter antiquos malos boni æque majores non debuerant merere benevolentiam numinum. Sin propter bonos priscos mali etiam conservati sunt prisci, et propter bonos minores, ætas debuit sequens, quamvis esset improbabilis, protegi. Aut ergo, jam fracta atque imminuta vi morbi, anguis ille perlatus famam conservatoris assumpsit, cum nihil omnino commoditatis attulisset : aut fatalia dicenda sunt carmina, multum veris aberravisse præsagiis, cum remedium ab his datum non deinceps cunctis, sed auxilio fuisse uni tantum reperiatur ætati.

Sed et magna, inquit, Mater accita ex Phrygio Pessinunte, jussis consimiliter vatum, salutaris populo et magnarum causa lætitiarum fuit. Nam et diu potens hostis ab Italiæ

possessione detrusus est, et gloriosis illustribusque victoriis decus Urbis restitutum est pristinum, et imperii fines longe lateque porrecti, et innumeris gentibus, civitatibus, populis libertatis jus raptum est, et jugum servitutis impositum; multæque res aliæ foris domique perfectæ, ineluctabili firmitate gentis nomen majestatemque fundarunt. Si verum loquuntur historiæ, neque ullas inferunt rerum conscriptionibus falsitates, allatum ex Phrygia nihil quidem aliud scribitur missum rege ab Attalo, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset, coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inæqualis, et quem omnes hodie ipso illo videmus in signo, oris loco positum, indolatum, et asperum, et simulacro faciem minus expressam simulatione præbentem. Quid ergo dicemus? Hannibalem illum Pœnum, hostem potentem ac validum, sub quo anceps et dubia res Romana contremuit, et magnitudo trepidavit, lapis ex Italia depulit, lapis fregit, lapis fugacem ac timidum, suique esse dissimilem fecit? Et quod rursus exilivit ad imperii columen, et regium principatum, nihil consiliis actum est, nihil hominum viribus, nec ad reditum sublimitatis antiquæ tot tantisque ab ducibus quidquam est scientia militari aut rerum experientia collatum? Lapis aliis vires, aliis roboris infirmitatem dedit; hos secundis præcipitavit ab rebus, aliorum extulit stratas desperatione fortunas? Et quis hominum credat terra sumptum lapidem, sensu agitabilem nullo, fuliginei coloris atque atri corporis, deum fuisse Matrem? aut quis rursus accipiat, hoc enim solum restat, numinis alicu jus habitasse in silicis fragmentis more subjectam, venisque in ejus abstrusam? Et unde parta victoria est, si Pessinuntio lapidi nullum inerat numen? Sedulitate possumus dicere ac virtute pugnantium, usu, tempore, consilio, ratione, fato etiam possumus et reciproca varietate fortunæ. Sed si auxilio lapidis res facta est melior, et felix recuperata victoria est, ubinam Mater Phrygia tem-

pore illo fuit cum, tot tantisque exercitibus cæsis, inclinata est res summa, et ad ultimæ labis periculum venit? Cur non minaci fortiter se obtulit? cur impetus tantos belli non prius fregit, ac repulit, quam immanes inciderent plagæ, quibus omnis effunderetur sanguis, et exhaustis rueret vita ipsa pene vitalibus? Advecta enim nondum, nec favorem fuerat ut commodaret rogata. Sed bonus auxiliator nunquam rogari se poscit, spontanea semper opitulatione subveniens. Hostem pellere ac fugare non potuit, multo adhuc mari terrisque habitabilibus discreta. Sed deo, si deus est, longum nihil omnino est, cui punctum terra est, et sub nutu omnia constituta. Sed fuerit præsens, ut exposcitis credi, illo ipso numen in lapide : et mortalium quisquam est, quamvis ille sit credulus et facillimas aures quibuslibet fictionibus præbeat, qui eam judicet fuisse, aut tempore illo deum, aut hodie dici appellarique debere, quæ modo hæc appetat, modo illa deposcat, suos deserat fastidiatque cultores; provinciis ab humilioribus migret, potentioribus populis ditioribusque se jungat? Verum bellicas res amat, interque esse desiderat pugnis, cædibus, mortalitatibus et cruori. Si deorum est proprium, si modo sunt veri et quos deceat nuncupari vi vocis istius, et potentia numinis nihil facere malitiose, nihil injuste, hominibusque se cunctis una et parili gratia sine ulla inclinatione præbere : generis eam fuisse divini quisquamne hominem credat, aut habuisse æquitàtem diis dignam, quæ humanis sese discordiis inferens, aliorum opes fregit, aliis se præbuit exhibuitque fautricem? libertatem his abstulit, alios ad columen dominationis erexit? quæ ut una civitas emineret in humani generis perniciem nata, orbem subjugavit innoxium?

SANCTUS PAMPHILUS,

PRESBYTER ET MARTYR.

APOLOGIA PRO ORIGENE.

RUFINI, DE ADULTERATIS LIBRIS ORIGENIS.

SANCTUS PAMPHILUS,

PRESBYTER ET MARTYR.

GRÆCUS.

(ANNO 309.)

S. Pamphilus nobili prosapia apud Beryten in Phœnicia ortus est, ubi extranearum doctrinarum studio plurimum enituit; imo et ad præcipua judiciarii muneris officia evectus est. Deinde vero omnibus terrenis nuntium remittens, soli Scripturarum notitiæ incubuit : ita ut « in divinis dogmatibus, ac cœlitus » inspiratis Scripturis, omnium qui secum versaban» tur, audacter sed tamen vere dico, appareret ver» satior; insuper autem polleret prærogativa propriæ » scilicet aut potius a Deo donatæ intelligentiæ ac » sapientiæ. » (Act. pass., nº 11.) Hinc, ut ait B. Hieronymus, « Cum Demetrium Phalereum et Pisistra» tum in sacræ Bibliothecæ studio vellet æquare, » imaginesque ingeniorum, quæ vera sunt et æterna » monumenta toto orbe perquireret, tunc vel ma» xime Origenis libros impensius prosecutus Cæsa» riensi Ecclesiæ dedicavit. Quam ex parte corruptam » Acacius dehinc et Euzoius, ejusdem Ecclesiæ sa» cerdotes, in membranis instaurare conati sunt. » (Hieron. Epist. ad Marcellum.) Imo et eodem teste « maximam partem Origenis voluminum sua

» manu descripsit, quæ usque hodie » (id est, B. Hieronymi tempore), « in Cæsariensi bibliotheca habentur. » (Catal. cap. LXXV.)

Omnibus doctis amicus, hoc meruit audire encomium : « Quis studiosorum amicus non fuit Pamphili? Si quos videbat ad victum necessariis indigere, præbebat large quæ poterat (Euseb. lib. III » de vita Pamphili apud Hieronym. lib. I in Rufin). » Scripturas quoque sanctas non ad legendum tantum, sed et ad habendum tribuebat promptissime, » non solum viris, sed et fœminis quas vidisset lectioni deditas : unde et multos codices præparabat, » ut cum necessitas poposcisset, volentibus largiretur. » (Ibid.) Juxta Isidorum Hispalensem triginta millia voluminum in hanc bibliothecam congesserat, simulque academiam scholamque instituit, quam, adjuvante (ut videtur) celeberrimo Eusebio, moderatus est. Eodem cooperante, quinque primos Apologiæ Origenis libros confecit.

Studio licet addictus litterarum, nonminus virtutum studio incumbebat, omnibusque terrenis divitiis in pauperum manus effusis, pauperem vitam ducebat, divinam potius ambiens philosophiam : unde ab Eusebio *Ascetis* cognomine donatus est (Euseb. de Mart. Palæst. c. XI).

Quo tempore Cæsariensis consecratus fuerit presbyter, non satis constat; sed qua gloria non incertum. Nam, ut Eusebii verbis utar, « Pamphilus hic » fuit vir Dei amantissimus, Cæsariensis Ecclesiæ ornamentum, qui presbyteralem cathedram presbyter existens glorificavit, ornans simul et ornatus eo » quod ibi offertur sacrificio. » (Euseb. Hist. lib. VIII, c. XIII). Eusebius ejus vitam tribus libris, qui nunc desiderantur, conscripserat. Cæsareæ, imperante

Diocletiano, ann. Christi 309, post duos in carcere annos, martyrio vitam consummavit.

Ex omnibus S. Pamphili scriptis unum remanet opus, nempe Apologia pro Origene, quæ oratio Martyri tribuenda recte videtur, licet illud negare sæpius B. Hieronymus tentaverit. Sic de Pamphilo Photius : « Lecti sunt Pamphili martyris et Eusebii » pro Origene libri sex, quorum quinque sunt a Pam» philo in carcere, præsente etiam Eusebio, elaborati; » sextus vero, postquam jam martyr ferro privatus » vita ad unice desideratum Deum migrarat, ab Eu» sebio est absolutus. » (Phot., cod. CXVIII.) Ex illa Apologia superest tantum primus liber, ex Rufini versione ad annum 397 referenda; cæteri desiderantur.

Hinc, licet posteriore confectus sit liber ætate, propter argumentorum connexionem, hic statim post Origenem lectori subjiciendus esse visus est, cum libro Rufini *De adulteratis libris Origenis*.

Legitur *Apologia pro Origene*, tum in Bibliotheca Patrum Gallandii, tom. IV, tum in quarto tomo Origenis, edentibus Benedictinis, ex quibus deprompta hic excuditur.

Vide D. Guillon, Bibl. Gallicam, tom. IV, p. 318 et seqq. Parisiis, an. 1824, in-8°.

IN APOLOGETICUM S. PAMPHILI

PRO ORIGENE

RUFINI PRÆFATIO AD MACARIUM.

Cognoscendæ veritatis amore permotus, o vir desideriorum Machari, injungis mihi rem quæ tibi agnitæ veritatis gratiam conferat : mihi tamen non dubito quin offensam maximam comparet eorum qui se læsos putant ab eo qui de Origene non aliquid male senserit. Et quamvis non meam de eo sententiam, sed sancti martyris Pamphili sciscitatus sis, et librum ejus, quem pro Origene in græco scripsisse traditur, transferri tibi poposceris in latinum : tamen non dubito futuros quosdam qui et in eo læsos se putent, si nos aliquid pro eo vel alieno sermone dicamus. Quos tamen et ipsos deprecamur nihil præsumpto vel præjudicato animo agere : sed quoniam ad judicium Dei venturi sumus, non refugiant scire quod verum est, ne forte ignorantes delinquant; sed considerantes quia falsis criminationibus percutere fratrum infirmorum conscientias, in Christum peccare est, ideo non accommodent criminatoribus aurem suam, nec ab alio discant alterius fidem, maxime cum coram experiri sit copia, et oris sui confessio quid vel qualiter unusquisque credit ostendat. Sic enim scriptum est, quia « corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit » ad salutem[1] : » et, ex verbis suis unusquisque justificabitur, et ex verbis suis condemnabitur. Qualiter ergo Origenes de singulis capitulis sanctarum Scripturarum senserit tenor libelli hujus edoceat. De his autem quæ apud eum contraria sibi inveniuntur, quid causæ sit, in ultimo brevi adjectione docebimus. Nos autem, sicut traditum est nobis a sanctis patribus, ita tenemus, quod sancta Trinitas coæterna sit, et unius naturæ, uniusque virtutis atque substantiæ; et quod

[1] Rom. x, 10. Matth. xii, 37.

Filius Dei in novissimo tempore homo factus est, et pro peccatis nostris passus est, et in ea ipsa carne in qua passus est resurrexit a mortuis, propter quod et resurrectionis spem humano generi tribuit. Carnis vero resurrectionem non per aliquas præstigias, sicut nonnulli calumniantur, dicimus; sed hanc ipsam carnem in qua nunc vivimus, resurrecturam credimus; non aliam pro alia, nec corpus aliud quam hujus carnis dicimus. Sive ergo corpus resurrecturum dicimus, secundum Apostolum dicimus; hoc enim nomine usus est ille : sive carnem dicimus, secundum traditionem Symboli confitemur. Stulta enim adinventio calumniæ est, corpus humanum aliud putare esse quam carnem. Sive ergo caro secundum communem fidem, sive corpus secundum Apostolum dicitur quod resurget, ita credendum est sicut Apostolus definivit, quia quod resurget in virtute resurget et in gloria; et incorruptibile resurget et spirituale corpus; quia « corruptio incorruptionem non possidebit[1]. » Salvis ergo his prærogativis futuri corporis vel carnis, resurrectio carnis credenda est integre atque perfecte, ut et natura carnis eadem servetur, et incorrupti ac spiritualis corporis status et gloria non infringatur. Sic enim scriptum est : Hæc in Jerosolymis in Ecclesia Dei a sancto sacerdote ejus Joanne prædicantur : hæc nos cum ipso et dicimus et tenemus. Si quis præter hæc vel credit, vel docet, vel a nobis aliter credi quam exposuimus putat, anathema sit. Nostræ ergo fidei documentum si quis habere vult, habeat ex his. Si quid autem aut legimus, aut hujus nostræ fidei facimus ratione, secuncundum Apostolum probantes omnia, quod bonum est obtinentes, ab omni specie mala nos abstinentes : « et si qui hanc » regulam sequuntur, pax super illos et super Israël Dei[2]. » Amen.

[1] 1 Cor xv, 42 et seq. Ibid. 50. — [2] 1 Thess. v, 21, 22. Galat. vi, 15.

APOLOGIA

SANCTI PAMPHILI MARTYRIS

PRO ORIGENE.

PRÆFATIO

Ad Confessores ad metalla Palæstinæ damnatos.

Nihil mirum, fratres, videmini mihi esse perpessi, quod ita vos Origenis subterfugit intellectus, ut vos quoque ea æstimetis de illo quæ et alii nonnulli : qui sive per imperitiam sui, qua non valent sensus ejus altitudinem contueri; sive pravitate mentis, qua studium gerunt non solum dicta ejus incusare, verum etiam adversus eos qui hæc legunt hostiles inimicitias sumere, tam pertinaciter id agentes ut nulla prorsus venia eos dignos haberi putent, ne ea quidem quam impertire solent, verbi gratia, his qui vel Græcorum sæcularium libros, vel nonnunquam etiam hæreticorum, percunctandi atque agnoscendi studio decurrunt : sibi solis scilicet concedi debere peritiam probandi sermonis putant, ut si quid bene ab aliquo dictum est, retinere sciant, ab omni autem specie mala abstinere se noverint ; ab his vero qui Origenis libros legunt, istud penitus exclusum putant esse mandatum, quo probabiles jubentur effici trapezitæ, scientes quod bonum est retinere, ab omni autem specie

mala se abstinere[1] : sed tantummodo si quis legere libros illius visus fuerit, statim ab his hæreticorum perfundetur infamia. Denique cum multis honestæ vitæ et religiosi propositi viris, in quibus nihil prorsus culpæ inveniunt, inimicitias propter hoc solum habent, si eorum studium circa memorati viri libros propensius esse perspexerint; invidiosius etiam ista fingentes, quod ab his in loco sanctorum Apostolorum vel Prophetarum tam ipse quam dicta ejus habeantur. Sed de hoc certum non habeo utrum calumniandi voto tantummodo ista jactitent, an etiam ab aliquibus simplicioribus et propensiore affectu diligentibus virum, aliquando fortassis tale aliquid audierint. Nos tamen perspicimus frequenter ea quæ ab eo cum magno timore Dei et cum omni humilitate dicuntur, cum veniam petit pro his quæ per nimiam discussionem et per multam scrutationem Scripturarum animo disputantis occurrunt : quæ cum exponit, frequenter addere solet et profiteri se non hæc quasi definitiva pronuntiare sententia, nec statuto dogmate terminare, sed inquirere pro viribus, et sensum discutere Scripturarum, nec tamen profiteri quod integre perfecteque comprehenderit; suspicari magis se de quamplurimis dicens, nec tamen certum esse quia in omnibus quod perfectum est et integrum assecutus sit. Sed et nonnunquam invenimus eum de multis hærere se profitentem, in quibus ea quidem quæ in quæstionem veniunt movet, nec tamen eorum absolutiones adjungit, sed cum omni humilitate et veritate non erubescit fateri hæc sibi non liquere. Audivimus etiam illud ab eo frequenter intexi, quod hodie ne isti quidem ipsi imperitissimi omnium obtrectatores ejus dicere dedignantur, ut si quis melius de his locis quæ ille disseruit dixerit, vel exposuerit, illi potius qui rectius dixerit, quam sibi, esset auscultandum. Præterea comprehen-

[1] I Thess. v, 21, 22.

dimus eum nonnunquam diversas expositiones ejusdem capituli facere; et cum omni reverentia, quasi qui sciat se de sanctis Scripturis dicere, cum multa quæ sibi occurrerunt exposuerit, præcipit his qui legunt probare de singulis quæ dixerit, et quod rectius prudens lector judicaverit, obtinere : profecto quia nec ipsum latebat quod non omnia quæ moverat vel discusserat, probabilia vel fixa haberi deberent, pro eo quod multa mystica in Scripturis sanctis et in secreto recondita esse credantur. Illud denique ejus si intentius advertamus, quam integre et catholice de omnibus tractatibus suis in præfatione eorum librorum quos in Genesim scribit protestatus est, omnem ejus sensum ex hoc facile cognoscemus.

ORIGENES.

« Nisi omnimodis pigri essemus ac desides, ne ad inquirendum quidem accedere Domino et Salvatore nostro ad hoc nos provocante, profecto revocassemus pedem, considerantes quod longe simus ab ea magnitudine spiritualis intelligentiæ, qua de tam magnis rebus investigari debeat intellectus [1]. »

PAMPHILUS.

Et paulo post ait.

ORIGENES.

« Si cui vero in disceptatione profundum aliquid occurrerit, de hoc dicendum quidem est, sed non cum omni affirmatione. Hoc enim aut temerarii hominis est, et ejus qui sensum humanæ infirmitatis perdiderit, oblitusque sui sit; aut certe perfectorum virorum, et eorum qui confidenter se sciant ab ipso Domino Jesu didicisse, id est, a Verbo veritatis, et ab ipsa Sapientia per quam omnia facta sunt, agnovisse; vel eorum qui divina responsa, ingressi turbinem et caliginem ubi Deus ipse est, cœlitus acceperunt, in quod vix ille Moyses ingressus vel intelli-

[1] De Præfatione librorum in Genesim.

» gere talia potuit vel proferre. Nos vero pro eo solo quod » mediocriter licet, credimus tamen Domino Jesu, et ejus » gloriamur esse discipuli, nec tamen audemus dicere quod » facie ad faciem ab ipso traditam susceperimus intelligen- » tiam eorum quæ in divinis libris referuntur : quæ quidem » certus sum quod ne ipse quidem mundus pro virtute ac » majestate sensuum capere potest [1]. Propter quod pronun- » tiare quidem de his quæ dicimus, sicut Apostoli potue- » runt non audemus : in eo autem gratias agimus, quod cum » multi imperitiam suam nesciant, et motus suos incompo- » sitos et inordinatos, interdum etiam et ineptos ac fabulo- » sos cum omni intentione, sicut sibi videntur, quasi verissi- » ma assertione annuntient, nos de rebus magnis, et his quæ » supra nos sunt, ignorantiam nostram non ignoramus. »

PAMPHILUS.

Cum ergo hæc eum de se dicere audiamus, et hujuscemodi mente ac voto quæ dicit asserere, miramur in tantum temeritatis aliquos esse provectos, ut qui se ita humilitate judicat, astruant quod ab aliis dicta ejus vel libri pro sermonibus Apostolicis vel dictis Propheticis habeantur, aut quod ille ipse vel Prophetis vel Apostolis ab aliquo comparetur. Et quidem quod et honore presbyterii in Ecclesia præditus fuerit, et vitam abstinentissimam egerit et valde philosophicam, quodque puram religionis observaverit disciplinam, et præ cæteris verbo Dei et doctrinæ operam dederit, nulli dubium est et ex his quæ ad nos laboris et studii ejus certissima designantur indicia ; præcipue vero per eos tractatus, quos pene quotidie in ecclesia habebat ex tempore, quos et describentes notarii ad monimentum posteritatis tradebant. Consequens igitur erat, ex his omnibus laborum et studiorum suorum testimoniis amplecti talem virum, et neque defensionis studio plus dare ei meriti quam

[1] Joan. XXI, 25.

mensura deposcit; neque rursus obtrectandi vitio facile condemnare, et alienum ab Ecclesiastica doctrina temere pronuntiare : cum utrumque istud præcipitium providens ante divinus Sermo prohibuerit dicens : « Non sit in te mensura » major, neque mensura minor. Abominabile est enim in » conspectu Domini utrumque [1]. » Unicuique enim, prout dignum est, tribuere, justitiæ hoc proprium est. Propter quod et mensura integra et pondus æquale acceptabile est apud Deum, non hoc quod mentitur veritatem, per quod vel plus donatur rebus quam merita exposcunt, vel subtrahitur meritis quod debetur. Quanto rectius agerent obtrectatores isti, si absque ulla animi præventione, cum omni religione veritatis, quam omnibus proximis nostris cum charitate jubemur expendere, intelligerent et ipsum unum de proximis esse quibus charitatem ex mandato debemus, et assumptos libros ejus legerent cum ea venia quam ipse in præfationibus suis deposcit, sicubi venia dignum aliquid invenirent. Nunc vero e contrario videas eos maledictis quidem probrisque mihi non parcere, eos vero qui Scripturarum intelligendarum secundum mandatum Domini et Salvatoris nostri studium gerunt, a lectione librorum ejus deterrere; quælibet etiam aliai nepta, etiam nihil profutura, potius quam illius Commentarios legi debere affirmantes. In quibus sæpe etiam ridiculi aliquid pati solent. Nam ut eorum contentiosa præsumptio, vel, ut verius dicam, præjudicata vesania facilius declaretur, accidere solet vel casu, vel interdum studio, ut nomine in codice non prætitulato legatur aliquid ipsius in auribus obtrectatorum quasi alterius tractatoris : quod tamdiu placet et laudatur, atque in omni admiratione habetur, quamdiu nomen non fuerit indicatum; at ubi Origenis cognita fuerint esse quæ placebant, statim displicent, statim hæretica esse dicuntur ; et

[1] Prov. xx, 10.

ea quæ paulo ante ad cœlum usque ferebantur, iisdem vocibus eademque lingua usque ad inferos demerguntur. Præterea etiam illud est invenire, quod nonnunquam tales sunt accusatores ejus, qui nec Græcam noverint linguam, alii omnimodis imperiti : nonnulli, etiamsi aliquid videntur habere peritiæ, non tamen etiam id studii habuisse inveniuntur ut libris ejus operam dederint; aut si acciderit ut etiam legerint, non continuo etiam tantæ eruditionis fuerint ut altitudinem sensus ejus assequi quiverint, quo ea quæ ille diverso prospectu pro locis et causis disserere solet, advertere valuerint. Multos invenias, quos si interroges in quibus libris aut in quibus locis dicta sint hæc quæ arguunt, confitentur se quidem nescire ea de quibus affirmant, nec legisse unquam, audisse autem alios dicentes. Ex quo cuivis plena ridiculi sententia eorum videbitur, cum de his judicant, atque ea condemnant quæ nec discere quidem prius ac nosse potuerunt. In alios vero novi furoris morbus et inauditæ labes incessit insaniæ, cum tam multa ejus volumina referta totius utilitatis et instructionis habeantur, et satis rara et perpauca forte loca sint in quibus vel imperitiores quique, vel, quod verius, malevoli posse sibi videantur offendi : omnia quidem illa quæ et catholica et ad ædificationem animæ, atque ad scientiæ instructionem etiam ipsi apta fatentur, omittunt et negligunt; nec aliquid inde, unde possunt et debent proficere, ea vero sola quæ ad calumniam proficiant, summo studio ediscunt : ut qui boni nihil unquam forte didicerunt, hæc quæ ipsi non esse bona dicunt, apprime memoriæ retinenda commendent; quo videlicet promptius ea proferentes, exercitatius valeant concinnare calumnias. Aliud quoque est genus hominum fœdum sane et turpe quantum ad probitatem pertinet morum, sed ad calumniandum vehementius, et tetrius ad incusandum, quos Græci φαγολοιδόρους appellarunt : qui sum-

mum quidem studium, sed et satis intentam operam libris ejus dederunt, ita ut et magistro eo in omnibus uterentur, et se ei tanquam speciales discipulos manciparent; sed ubi ad id loci ventum est ut jam se magistros malint quam discipulos nominari, ubi auditoris plausus sectari cœptus est, ibi si forte aliquis audientium quæ laudantur Origenis esse obmurmuraverit, ne vel laude cedant magistro, vel culpæ judicio, alienum esse Origenem continuo protestantur, nihil sibi cum ipsius doctrina commune esse confirmant. Anathema quoque dicere eum non dubitant improbe, et inferre maledicta non parcunt; ne illum quidem Apostolicum sermonem verentes quo designat, quia maledici regnum Dei non possidebunt [1]. In tantum autem horum, de quibus supra diximus, progressa malitia est, ut quidam etiam conscribere adversus eum ausi sint, et libellis editis derogare ei viro qui per tot annos magister Ecclesiæ fuit, qui in Ecclesia catholica senuit, qui adversus eas hæreses quæ illo tempore Ecclesiam impugnabant ita constanter, ita fortiter dimicavit, ut omnia eorum diabolicæ machinationis fundamenta subverterit; non studiorum laborem, non continentiæ, non institutionis, non humilitatis, quæ super cæteras omnes virtutes ejus maximam gratiam continet, non illud certe considerantes quod presbyterii dignitate in Ecclesia honoratus est. Quæ si omnia ad revocandam linguam comprimendumque sermonem sufficere non possunt, illud saltem contemplari debuerant, quantam ridendi materiam Gentilibus, quantamque hæreticis præbeant, cum eos quos assertores Christiani dogmatis et defensores putabant, confutari nunc videant et refelli a propriis, et velut civili bello gaudeant impugnatum, quem ipsi hostiliter impugnare non poterant. Quoniam ergo quamplurimi ex simplicioribus quibusque fratribus a supra dictis

[1] 1 Cor. vi, 10.

lædunlur, non solum de his qui de ipso male sentiunt, sed etiam de his qui studio scientiæ et intelligendarum Scripturarum inter cæteros libros etiam ipsius scripta conspiciunt; ita ut vos quoque ipsi in dubium veneritis, ne forte vel multitudini vel auctoritati calumniatorum fides debeat adhiberi de his quæ passim sine ullo respectu diffamantur : visum nobis est, primo quidem curare suspicionem vestram; simul etiam per occasionem vestri, omnium qui ei obtrectant confutare calumnias. Quod ita nobis prosequi rectius visum est, ut non nostris verbis et assertionibus defensionem paremus, sed ex suis propriis vocibus, quibus ipse aliena sibi hæc esse quæ isti objiciunt, proprio sermone testatur, id est, omne quidquid præter fidem catholicam prædicatur : quia si nostris verbis hæc asserere velimus, suspiciosum videri forte possit, eo quod nos amore ejus si quid ipse prave senserit celaverimus. Ubi autem ejus ipsius qui accusatur vocibus utimur, et ad omnes objectiones accusatorum suis verbis eum, non nostra assertione, defendimus; quæ ultra relinqui potest criminationis occasio, saltem his ipsis qui non veri studio, sed velut libidine quadam culpandi semper agitantur? Et quoniam de eo nunc sermo est qui utique apud homines defunctus est, quid apud omnes judices pro defuncto fortius et firmius valere debet, quam et litteræ et scripta defuncti?

Incipientes igitur indiciis scriptorum suorum ostendere quid de singulis senserit, ex his præcipue libris testimonia congregabimus quos accusatores ejus quammaxime criminantur, id est, quos per spatium et quietem in secreto conscripsit : hos enim asserunt maxime a prædicatione Ecclesiastica discrepare; ex his præcipue libris, quos περὶ Ἀρχῶν attitulavit, in quibus quamplurima a calumniatoribus incusantur. In his ergo ipsis inter principia quali expositione fidei usus sit proferemus : tum deinde et ex his quæ sparsim

vel per ipsos libros vel cæteros sensit, assignabimus eum prædicationem Apostolicam custodisse. Est ergo lectio ex primo libro περὶ Ἀρχῶν, quam promisimus, hæc.

CAPUT I.

Catalogus Ecclesiasticæ prædicationis.

ORIGENES.

« Sicut enim, multis apud Græcos et Barbaros pollicen- » tibus veritatem, desivimus apud omnes eam quærere qui » eam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus » Filium esse Dei Christum, et ab ipso nobis hanc discen- » dam esse persuasimus : ita, cum multi sint qui se putant » sentire quæ Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prio- » ribus sentiant, servetur vero Ecclesiastica prædicatio per » successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad » præsens in Ecclesiis permanens; illa sola credenda est ve- » ritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat. » Illud autem scire oportet, quoniam sancti Apostoli fidem » Christi prædicantes, de quibusdam quidem quæcumque » necessaria crediderunt omnibus credentibus, etiam his » qui pigriores erga inquisitionem divinæ scientiæ videban- » tur, manifestissime tradiderunt, rationem scilicet asser- » tionis eorum relinquentes ab his inquirendam qui Spiritus » dona excellentia, et præcipue sermonis, sapientiæ et scien- » tiæ, per ipsum Spiritum sanctum percipere merebantur : » de aliis vero dixerunt quidem quia sint; quomodo autem, » aut unde sint, siluerunt : profecto ut studiosiores quique » ex posteris suis amatores sapientiæ et scientiæ, exercitium » habere possent in quo ingenii sui fructum ostendere vale- » rent, hi videlicet qui dignos se et capaces sapientiæ præ- » pararent. Species vero eorum quæ per prædicationem

» Apostolicam manifeste traduntur, istæ sunt. Primo quod » unus est Deus qui omnia creavit atque composuit, qui» que ex nullis esse fecit universa, Deus a prima creatura et » conditione mundi omnium justorum Deus, Adam, Abel, » Seth, Enos, Enoch, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, » duodecim Patriarcharum, Moysis, et Prophetarum [1]; et » quod hic Deus in novissimis diebus, sicut per Prophetas » suos ante promiserat, misit Dominum Jesum Christum, » primo quidem vocaturum Israël, secundo vero etiam Gen» tes post perfidiam populi Israël. Hic Deus justus et bo» nus, Pater Domini nostri Jesu Christi, Legem et Prophe» tas et Evangelia ipse dedit, qui et Apostolorum Deus est, » et veteris et novi Testamenti. Tum deinde quia Christus » Jesus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex » Patre est. Qui cum in omnium conditione Patri ministras» set, *per ipsum* namque *omnia facta sunt* [2], novissimis » temporibus seipsum exinaniens homo factus est, incarna» tus est cum Deus esset, et homo factus mansit quod erat » Deus; corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo dif» ferens, quod natus ex virgine et Spiritu sancto est. Et » quoniam hic Jesus Christus natus et passus est in veritate, » et non per imaginem, communem hanc mortem sustinuit » vere mortuus : vere enim et a mortuis resurrexit, et post » resurrectionem conversatus cum discipulis suis, et as» sumptus est. Tum deinde honore ac dignitate Patri et » Filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. In hoc non » jam manifeste discernitur utrum natus sit, an innatus [3].»

PAMPHILUS.

Qui de nato vel innato requirit, sine dubio creaturæ in eo nullam habet opinionem, alioquin et hoc adduxisset ad inquisitionem. Et adjungit :

[1] 2 Macchab. vii, 28. — [2] Joan. i, 3.— [3] De Præfat. libror. περὶ Ἀρχῶν, num. 2 et seq.

ORIGENES.

« Vel Filius etiam ipse Dei habendus sit, necne. Sed » inquirenda jam ista pro viribus sunt de sancta Scriptura, » et sagaci perquisitione investiganda. Sane quod iste Spiri- » tus sanctus unumquemque sanctorum vel Prophetarum, vel » Apostolorum inspiraverit, et non alius Spiritus in veteri- » bus, alius vero in his qui in adventu Christi inspirati sunt, » fuerit, manifestissime in Ecclesiis prædicatur. Post hæc » jam quod anima substantiam vitamque habens propriam, » cum ex hoc mundo discesserit, pro suis meritis dispen- » sabitur, sive æternæ vitæ ac beatitudinis hæreditate po- » titura, si hoc ei sua gesta præstiterint; sive igni æterno » ac suppliciis mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa » detorserit. Sed et quia erit tempus resurrectionis mor- » tuorum, cum corpus hoc quod « in corruptione semi- » natur surget in incorruptione, » et quod « seminatur in » ignominia, surget in gloria [1]. » Est et illud definitum in » Ecclesiastica prædicatione, omnem animam esse rationa- » bilem, liberi arbitrii et voluntatis : esse quoque ei certa- » men adversus diabolum et angelos ejus, contrariasque » virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant, » nos vero, si recte consulteque vivamus, ab hujuscemodi » onere exuere nos conemur. Unde et consequens est intel- » ligere non nos necessitati esse subjectos, ut omni modo, » etiam si nolimus, vel bona, vel mala agere cogamur. Si » enim nostri arbitrii sumus, impugnare nos fortasse pos- » sunt aliquæ virtutes ad peccatum, et aliæ juvare ad salu- » tem; non tamen necessitate cogimur vel recte agere vel » male. Quod fieri arbitrantur qui stellarum cursum et mo- » tus causam dicunt humanorum esse gestorum, non eorum » quæ extra arbitrii accidunt libertatem, sed eorum quæ in » nostra sunt posita potestate. De anima vero, utrum ex se-

[1] 1 Cor. XV, 42.

» minis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius vel substantia » inserta ipsis corporalibus seminibus habeatur; an vero » aliud initium habeat : et hoc ipsum initium si genitum » est, aut non genitum, vel certe si extrinsecus corpori in» ditur, necne, nec satis manifesta prædicatione distingui» tur. De diabolo, et angelis ejus, contrariisque virtutibus » Ecclesiastica prædicatio docuit quoniam sint quidem hæc : » quæ autem sint, vel quomodo sint, non satis clare expo» suit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod An» gelus fuerit iste diabolus, et apostata effectus quampluri» mos Angelorum secum declinare persuaserit, qui et nunc » usque angeli ipsius nuncupantur. Est præterea et illud in » Ecclesiastica prædicatione, quod mundus iste sit factus, » et a certo tempore cœperit, et sit pro ipsa sui corruptione » solvendus : quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut » quid post mundum erit, jam non pro manifesto multis » innotuit : non enim evidenter de his in Ecclesiastica præ» dicatione sermo profertur. Tum deinde quod per Spiritum » Dei Scripturæ conscriptæ sint, et sensum habeant, non » eum solum qui in manifesto est, sed et alium quemdam » latentem quamplurimos. Formæ enim sunt hæc quæ scri» pta sunt sacramentorum quorumdam, et divinarum rerum » imagines : de quo totius Ecclesiæ unus est sensus, esse » quidem omnem Legem spiritualem, non tamen ea quæ spi» rat Lex esse omnibus nota, nisi his solis quibus gratia » Spiritus sancti in verbo sapientiæ ac scientiæ condona» tur. »

PAMPHILUS.

Et post pauca ait :

ORIGENES.

« Est etiam illud in Ecclesiastica prædicatione, esse An» gelos Dei quosdam, et virtutes bonas, qui ei ministrent » ad salutem hominum consummandam : sed quando isti

» creati sint, vel quales aut quomodo sint, non satis in ma-
» nifesto distinguitur. De sole autem, et luna, et stellis,
» utrum animantia sint, an exanima, manifeste non tradi-
» tur. Oportet igitur velut elementis ac fundamentis hujus-
» modi uti, secundum mandatum quod dicit, « Illuminate
» vobis lumen scientiæ[1], » eum qui cupit seriem quamdam
» et corpus ex horum omnium ratione conficere, ut mani-
» festis et necessariis assertionibus de singulis quibusque
» quid sit in vero rimetur, et unum, ut diximus, corpus
» efficiat exemplis et affirmationibus, vel his quas in sanctis
» Scripturis invenerit, vel quas ex consequentiæ ipsius in-
» dagine, ac recti tenore repererit. »

PAMPHILUS.

Hæc quidem inter principia primi libri περὶ Ἀρχῶν disseruit, ut ostenderet quæ sint illa quæ manifeste in Ecclesiastica prædicatione tradita sunt, et quæ sint quæ non aperte definiuntur. De quibus singulis secundum eam divisionem, quam supra ostendit, sparsim disputat in reliquo corpore librorum, ea quidem quæ ex definito prædicari ab Ecclesia supra docuit, omnibus adhibitis probamentis, ex Scripturis sanctis manifestius et constantius asserens; de his vero de quibus ostendit non manifeste neque ex definito in Ecclesia prædicari, opinionibus magis, et his sensibus qui disputanti ei et tractanti de talibus occurrere potuerunt, quam certis aliquibus ac definitis assertionibus utitur, id est, discutiens et pertractans potius quam affirmans. In omnibus tamen sermonis sui meminit, ejus quem supra exposuit, cum ait illam solam recipiendam et credendam esse veritatem, quæ in nullo Apostolicis et Ecclesiasticis dogmatibus adversatur : et non solum in his libris quorum supra fecimus mentionem, sed et in omnibus quæ de Scripturis exponit, hac sententia uti solet, et in his præcipue in qui-

[1] Osee, x, 12.

bus plures unius capituli interpretationes exponit, hoc asserens, se quidem ne quid quod dici possit omitteret, plura vel diversa, prout sentire potuit, protulisse; illud autem debere teneri quod Apostolicus atque Ecclesiasticus lector probaret. Hoc idem facit etiam cum hæreticorum discutit sectas : quibus omnibus confutatis atque convictis, unam solam, eamque quam supra exposuit, Catholicæ veritatis sententiam tenet. De quibus singulis qualiter responderit hæreticis, et quomodo universa eorum dogmata destruens ipse semper Apostolicam confirmaverit fidem, si velimus omnes sententias ejus congregare, et longum satis est, et erit tam nobis qui scribimus onerosum, quam legentibus tædiosum. Sed sufficit pauca proferre, in quibus omnium profecto facile dignoscentur indicia. Neque enim contra Domini sententiam sentiendum est, ut qui in paucis invenitur fidelis, non etiam in multis et haberi debeat et credi fidelis [1]. Primum ergo ex ejus libris ponemus exemplum quod illi superiori conveniat, ex eo libro quem in Epistolam Pauli Apostoli ad Titum scripsit de eo capitulo in quo dicit Apostolus : « Hæreticum hominem post unam correptionem » devita, sciens quia perversus est, et peccat, qui est a se- » metipso damnatus [2]. » De quo dicit qualis sit qui hæreticus, et qualis sit qui Catholicus est et Ecclesiasticus.

ORIGENES.

« Nomen hæresis, quantum ego deprehendere potui, » etiam in Epistola ad Corinthios designatur hoc modo : « Oportet enim hæreses esse, ut probati manifesti fiant in- » ter vos [3]. » Et iterum ad Galatas inter opera carnis hæresis » quoque nomen ascribitur, sicut ait : « Manifesta autem sunt » opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudici- » tia, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmu- » lationes, iræ, rixæ, discordiæ, hæreses, ebrietates, com-

[1] Luc. XVI, 10. — [2] Tit. III, 10, 11. — [3] I Cor. XI, 19.

» essationes, et his similia, quæ et prædico vobis quoniam » qui talia agunt regnum Dei non possidebunt[1]. » Per quæ » cognoscimus, quoniam sicut hi qui fornicationibus vel im» munditiis, atque impudicitiis, et idolorum cultibus ma» culati sunt, regnum Dei non possidebunt; ita et hi qui in » hæresim declinaverint. Neque enim putandum est tanti » Apostoli tam absolutam sententiam posse ullo genere va» cillare. Apostolus enim est omnium Ecclesiarum Christi, » non ab homine, neque per hominem, sed per Jesum Chri» stum et Deum Patrem electus[2]. Propterea ergo, secun» dum auctoritatem sententiæ ipsius, oportet nos sicut re» liqua mala quæ numeravit, ita etiam nomen hæresis de» vitare, neque cum talibus orationis societate misceri[3]. »

PAMPHILUS.

Et post hæc, paucis quibusdam per medium insertis, adjecit :

ORIGENES.

« Quid vero sit hæreticus homo, pro viribus nostris, se» cundum quod sentire possumus, describamus. Omnis qui » Christo se credere confitetur, et tamen alium Deum Legis » et Prophetarum, alium Evangeliorum Deum dicit, et Pa» trem Domini nostri Jesu Christi non eum dicit esse qui a » Lege et Prophetis prædicatur, sed alium nescio quem ig» notum omnibus atque omnibus inauditum, hujusmodi ho» mines hæreticos designamus, quamlibet variis ac diversis » et fabulosis concinnent ista figmentis, sicut sectatores » Marcionis, et Valentini, et Basilidis, et hi qui se Tethia» nos appellant. Sed et Apelles licet non omnibus modis » Dei esse deneget Legem vel Prophetas, tamen et ipse hæ» reticus designatur : quoniam Dominum hunc qui mundum » edidit, ad gloriam alterius ingeniti et boni Dei eum con» struxisse pronuntiat; illum autem ingenitum Deum in

[1] Galat. v, 19, 20, 21. — [2] Idem, I, 1. — [3] Ex Comment. in Ep. ad Titum.

» consummatione sæculi misisse Jesum Christum ad emen-
» dationem mundi, rogatum ab eo Deo qui eum fecerat,
» ut mitteret Filium suum ad mundi sui correctionem. Et
» si quidem hic solummodo qui de Deo Patre aliter sentit
» quam regula pietatis exposcit, hæreticus habendus esset,
» sufficeret utique quod superius dictum est. Sed nunc
» unum atque idem credendum est etiam de eo qui de Do-
» mino nostro Jesu Christo falsi aliquid senserit, sive secun-
» dum eos qui dicunt eum ex Joseph et Maria natum, sicut
» sunt Ebionitæ et Valentiniani; sive secundum eos qui pri-
» mogenitum eum negant, et totius creaturæ Deum, et Ver-
» bum, et Sapientiam, quæ est initium viarum Dei antequam
» aliquid fieret, ante sæcula fundatam, atque ante omnes col-
» les generatam[1], sed hominem solum eum dicentes; vel se-
» cundum eos qui Deum quidem eum fatentur, non tamen
» assumpsisse animam corpusque terrenum : qui sub specie
» quasi amplioris gloriæ Jesu Domino deferendæ, omnia quæ
» ab eo gesta sunt, visa geri magis quam vere gesta esse tes-
» tantur; quique neque de Virgine natum fatentur, sed tri-
» ginta annorum virum eum apparuisse in Judæa. Alii vero ex
» virgine quidem eum credunt esse progenitum, sed putasse
» se magis virginem peperisse, non tamen vere peperisse
» confirmant. Latuisse quippe etiam Virginem putativæ ge-
» nerationis asserunt sacramentum. Qui quomodo non ab
» Ecclesia longe ponendi sunt, cum philarchiæ morbo lan-
» guentes dogmata statuerint, quibus ad suum nomen dis-
» cipulos declinarent? Sed et eos qui hominem dicunt Do-
» minum Jesum præcognitum et prædestinatum, qui ante
» adventum carnalem substantialiter et proprie non exsti-
» terit, sed quod homo natus Patris solam in se habuerit
» deitatem, ne illos quidem sine periculo est Ecclesiæ nu-
» mero sociari : sicut et illos qui superstitiose magis quam

[1] Proverb. VIII, 22, 25, 26.

» religiose, uti ne videantur duos deos dicere, neque rursum negare Salvatoris deitatem, unam eamdemque subsistentiam Patris ac Filii asseverant, id est, duo quidem nomina secundum diversitatem causarum recipientem, unam tamen ὑπόςασιν subsistere, id est, unam personam duobus nominibus subjacentem : qui Latine Patripassiani appellantur. Sed et si qui sunt qui Spiritum sanctum alium quidem dicunt esse qui fuit in Prophetis, alium autem qui fuit in Apostolis Domini nostri Jesu Christi, unum atque idem delictum impietatis admittunt quod illi qui, quantum in se est, naturam deitatis secant, et scindunt unum Legis et Evangeliorum Deum. Sed et illi qui non omnes humanas animas unius ejusdemque naturæ dicunt esse vel substantiæ, sed diversas naturas animarum, inter eas hæreses numerandi sunt quæ iniquitatem in Excelsum loquuntur[1], atque injustitiam iniquitatemque ejus accusant. Necnon et illi qui liberi arbitrii potestatem ex animabus auferre nituntur velut perniciosa dogmata, communi humanæ vitæ, et virtuti continentiæ labem quamdam inferre judicandi sunt, ne humani propositi res putetur bonum quid vel facere, vel dicere, vel sentire : ex quo ad contemptum ac negligentiam divini judicii mens humana formabitur. Sit autem in ecclesiastico ordine etiam de peccatorum suppliciis fides, et de his qui præmia bonæ conversationis et vitæ in regno Domini justo ejus judicio recepturi sunt. Si quis ergo horum aliquid quæ supra exposuimus, commutare vel subvertere conatur, velut *perversus* et *a semetipso damnatus*[2] secundum sententiam Apostoli, etiam a nobis præcepto obsequentibus ejus, similiter habendus est. Designet autem ecclesiasticum virum cum his omnibus quæ supra exposuimus, etiam de mortuorum resurrectione fides, de qua

[1] Psal. LXXII, 8. — [2] Tit. III, 11.

» sanctus Apostolus Paulus ita pronuntiat, quia si quis ne-
» gat resurrectionem mortuorum, consequens est ut Christi
» resurrectionem neget[1]. Habeatur nihilominus in ecclesia-
» stico ordine etiam de diabolo ratio, et de omni ejus exer-
» citu, quod agones quosdam et certamina adversum omnes
» homines, præcipue tamen adversus eos qui credunt in
» Dominum nostrum Jesum Christum, movent; et quod
» necessitatem quidem imponere peccandi per agones et
» certamina non valent, persuadere tamen et decipere
» ad subversionem possunt eos qui non omni custodia sua
» corda præmuniunt. Habendum est autem in ecclesiasticis
» observationibus, quod neque hominum quis a Deo in per-
» ditionem traditus est, sed unusquisque pereuntium sua
» negligentia pereat et culpa, qui habens arbitrii libertatem,
» eligere quod bonum est et potuit et debuit. Quod etiam
» de ipso diabolo sentiendum est, qui in conspectu Domini
» omnipotentis describitur restitisse, et deseruisse statum
» suum in quo fuerat immaculatus[2] : qui utique potuisset in
» hoc statu in quo ab initio fuit, usque in finem perseverare
» si voluisset. Designatus, ut arbitror, nobis est, prout po-
» tuimus, et descriptus quis et qualis esset hæreticus, et
» quæ vel in quibus ejus dogmata falsæque opiniones ha-
» beantur, et quæ sit ecclesiasticæ observantiæ puritas. »

PAMPHILUS.

Et post pauca addidit hæc :

ORIGENES.

« Requisierunt sane quidam utrum hæresim an schisma
» oporteat vocari eos qui Cataphrygæ nominantur, obser-
» vantes falsos Prophetas, et dicentes : Ne accedas ad me,
» quoniam mundus sum : non enim accepi uxorem nec est
» sepulcrum patens guttur meum, sed sum Nazaræus Dei,
» non bibens vinum sicut illi. »

[1] 1 Cor. xv, 13. — [2] Daniel. x, 13. Apocal. xii. 7. Judæ vi.

PAMPHILUS.

Istæ voces sunt ejus qui velut hæreticus accusatur, et corruptio ac perditio animarum, ab his qui nequaquam ostium ori suo et claustra labiis suis imponere[1] a Propheta didicerunt. Quæ quidem non in publico ab eo dicta sunt, id est, in communi ecclesiæ auditorio, ne forte putetur propter audientes favorabilem aptasse sermonem; sed ex illis hæc libris protulimus quos in secreto apud semetipsum nullo arbitro intercedente dictabat. In quo attentius vos illud volo considerare quod dixit, quia si quis horum aliquid commutaverit, hæreticus est, et peccat in subversione positus, et « a semetipso damnatus[2], » secundum Apostoli sententiam : cujus et nos auctoritati obsequentes, eadem sentire debemus. Cum ergo hæc ita se habeant, consequens arbitror interrogare istos ipsos accusatores ejus, si ipsi aliter quam ejus vocibus designatum est, vel de hæretico sentiunt, vel de Catholico. Dicant ipsi quæ alia sunt Ecclesiastica dogmata, si hæc non sunt quæ superius ab illo digesta sunt. Et hæc quidem generaliter de omnibus Ecclesiasticis dogmatibus ab illo dicta sint.

Pergamus autem et quæ specialiter de singulis, et maxime de principalibus rebus, de sancta ac beata Trinitate, id est, de Patre, et Filio, et Spiritu sancto, senserit indicantes, et proferentes in medium ea quæ in diversis sui operis voluminibus inserta mandavit, et ut ipsius sententia de maximis et divinis rebus quæ fuerit ostendatur, et duobus vel tribus vocum suarum testibus stet omne verbum defensionis ejus[3]. Indicat ergo quid de Deo Patre omnipotente senserit in his ipsis libris qui quammaxime ab accusatoribus celebrantur, id est, περὶ Ἀρχῶν, scribens hæc :

[1] Psal. CXL, 3. — [2] Tit. III, 11. — [3] Matth. XVIII, 16.

CAPUT II.

De Deo Patre omnipotente.

ORIGENES.

« Omni igitur sensu qui corporale aliquid de Deo intelligi suggerit, prout potuimus, confutato, dicimus secundum veritatem quidem Deum incomprehensibilem esse, atque inæstimabilem. Si quid enim illud est quod sentire vel intelligere de Deo potuerimus, multis longe modis eum meliorem esse ab eo quod sensimus, necesse est credi. Sicut enim si videamus aliquem vix posse scintillam luminis, aut brevissimæ lucernæ lumen aspicere, et eum cujus acies oculorum plus luminis capere quam supra diximus, non valet, si velimus de claritate et splendore solis edocere; nonne oportebit nos ei dicere, quia omni hoc lumine quod vides, ineffabiliter et inæstimabiliter melior et præstantior solis est splendor? Ita mens nostra cum intra carnis et sanguinis claustra concluditur, et pro talis materiæ participatione hebetior atque obtusior redditur, licet ad comparationem naturæ corporeæ longe præcellens habeatur, tamen cum ad incorporea nititur, atque eorum intuitionem rimatur, tunc scintillæ alicujus aut lucernæ vix obtinet locum. Quid autem in omnibus intellectualibus, id est, incorporeis, tam præstans omnibus, tam ineffabiliter atque inæstimabiliter præcellens est, quam Deus? Cujus utique natura acie humanæ mentis intendi atque intueri, quamvis sit purissima mens ac limpidissima, non potest. Verum non videtur absurdum, si ad evidentiorem rei manifestationem etiam alia utamur similitudine. Interdum oculi nostri ipsam naturam lucis, id est, substantiam solis intueri non possunt; splendorem vero ejus, vel radios fenestris forte, vel quibuslibet

» luminum brevibus receptaculis infusos intuentes, considerare possumus fomes ipse vel fons quantus sit corporei » luminis. Ita ergo quasi radii quidam sunt Dei naturæ opera » divinæ providentiæ, et ars universitatis hujus, ad comparationem ipsius substantiæ ac naturæ. Quia ergo mens » nostra ipsum per seipsam Deum sicut est non potest intueri, ex pulchritudine operum, et decore creaturarum, » parentem universitatis intelligit. Non ergo corpus aliquod » aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis » natura, simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, » uti ne majus aliquid et inferius in se habere credatur, sed » ut sit ex omni parte μονὰς et, ut ita dicam, ἑνὰς; et mens » ac fons ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est. Mens vero ut moveatur vel operetur, non indiget » loco corporeo, neque sensibili magnitudine, vel corporali » habitu aut colore; neque alio ullo prorsus indiget horum » quæ corporis vel materiæ propria sunt. Propter quod natura illa simplex, et tota mens, ut moveatur vel operetur » aliquid, nihil dilationis aut cunctationis habere potest, ne » per hujusmodi adjunctionem circumscribi vel inhiberi aliquatenus videatur divinæ naturæ simplicitas, uti ne quod » est principium omnium, compositum inveniatur et diversum, et sit multa, non unum, quod oportet totius corporeæ admixtionis alienum una sola, ut ita dixerim, deitatis » specie constare[1]. »

PAMPHILUS.

Hæc in primo libro περί Ἀρχῶν scribit de divina natura. In secundo vero, quia idem Deus veteris et novi Testamenti sit, hoc modo refert.

ORIGENES.

« His per ordinem, prout potuimus, breviter digestis, » consequens est, secundum id quod ex initio propositum

[1] Ex lib. I de Princip. cap. I, num. 5.

» est, confutare etiam eos qui putant alium Deum esse Patrem Domini nostri Jesu Christi, præter illum qui vel » Moysi responsa Legis dabat, vel Prophetas mittebat, qui » est Deus patrum Abraham, Isaac et Jacob. Oportet enim » primo in hac nos fidei ratione firmari. Considerandum » ergo est illud quod frequenter in Evangeliis dicitur, et in » singulis quibusque Domini et Salvatoris nostri gestis adjungitur : *Ut impleatur quod dictum est per Prophetam*[1] » illum et illum ; cum manifestum sit Prophetas esse illius » Dei qui mundum fecit. Ex ipsa ergo consequentia concluditur, quoniam qui Prophetas misit, de Christo quæ » gerenda erant ipse prædixit : et dubium non est quod hæc » non alienus quis ab eo, sed Pater ipsius prædicebat. Sed » et illud quod frequenter exempla de veteri Testamento a » Salvatore proferuntur, vel ab Apostolis ejus, non aliud » indicat, nisi quod auctoritas veteribus a Salvatore et ab » ejus discipulis adhibetur. Sed et illud quod ad benignitatem provocans discipulos suos Salvator dicit : « Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, qui solem » suum oriri jubet super bonos et malos, et pluit super justos et injustos[2] ; » cuivis etiam exiguæ intelligentiæ viro » evidentissimum suggerit intellectum, quod non alium ad » imitandum proponit discipulis suis Deum, nisi factorem » solis et imbrium præbitorem[3]. »

PAMPHILUS.

Post hæc in consequentibus multis argumentis atque exemplis Scripturarum affirmans, ostendit quoniam unus et idem Deus est Deus Legis, et Evangeliorum, et Prophetarum, et Apostolorum, justus et bonus, visibilium et invisibilium, ac totius universitatis dominus. Quomodo ergo senserit de

[1] Matth. XIII, 35 ; et XXVII, 35. — [2] Idem, v, 45, 48. — [3] Ex lib. II de Principiis, cap. IV, num. 1.

Deo Patre, ex his ejus scriptis quæ supra exposuimus claruit. Videamus ergo nunc qualiter et de Dei Filio disserat.

CAPUT III.

De Deitate Filii Dei.

ORIGENES.

« Pro viribus igitur nostris perexiguis considerata ex ope-
» rum suorum, magis quam ex nostri sensus contemplatio-
» ne, divina natura, intuitisque nihilominus creaturis ejus
» visibilibus, fide quoque invisibilibus contemplatis, quia
» non omnia vel oculis visere potest humana fragilitas, vel
» ratione complecti, eo quod omnium rationabilium infir-
» mius et fragilius animal nos sumus homines ; præstantiora
» enim sunt ea quæ vel in cœlo vel super cœlos habentur :
» superest ut harum omnium creaturarum et Dei medium,
» id est, mediatorem quæramus, quem Paulus Apostolus pri-
» mogenitum omnis creaturæ pronuntiat. Videntes enim ea
» quæ de ejus majestate in Scripturis sanctis referuntur, et
» intuentes quod « imago invisibilis Dei primogenitus omnis
» creaturæ » dicatur, et quod « in ipso creata sint omnia, sive
» quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt, visibilia et invisibilia,
» sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Pote-
» states, omnia per ipsum et in ipso creata sunt : et ipse est
» ante omnes, et omnia in illo constant[1], » qui est caput om-
» nium, solus habens caput Deum Patrem, sicut scriptum
» est, *Caput autem Christi Deus*[2] *:* pervidentes etiam quod
» scriptum est, quoniam « nemo novit Patrem, nisi Filius ;
» neque Filium quis novit, nisi Pater[3] : » (quis enim nosse
» potest quæ sit sapientia, nisi qui genuit eam ? aut quis ad
» liquidum quæ sit veritas novit, nisi veritatis Pater ? quis
» certe universam Verbi sui naturam, atque ipsius Dei qui

[1] Coloss. I, 15, 16, 17, 18. — [2] I Cor. XI, 3. — [3] Matth. XI, 27.

» ex Deo est, investigare potuit, nisi solus Deus, apud quem » erat Verbum?) pro certo habere debemus, quod hoc Verbum, sive ratio dicenda est, hanc sapientiam, hanc veritatem nullus alius nisi solus Pater novit; de quo, sicut » scriptum est, « ne ipsum quidem mundum capere posse » arbitror libros qui scriberentur[1] » de gloria et de majestate Filii Dei. Impossibile namque est litteris committere ea quæ ad Salvatoris gloriam pertinent[2]. »

PAMPHILUS.

Unum istud testimonium de deitate Filii Dei ex illis libris protulimus qui maxime ab accusatoribus arguuntur. Dubium autem non est quod eodem sensu etiam in cæteris sentiat, nec sibi sit ipse contrarius. De eo quod non sit Pater antequam Filius, sed coæternus sit Filius Patri, in primo libro de Genesi hæc ait:

ORIGENES.

« Non enim Deus, cum prius non esset Pater, postea Pater esse cœpit, velut impeditus aliquibus ex causis, quibus homines mortales impediri solent, ut non statim ex » quo sunt etiam patres esse possint. Si enim semper perfectus est Deus, nec deest ei virtus qua Pater sit, et bonum est esse eum Patrem talis Filii, quid differt, aut quid » hoc bono se fraudat, et non statim, si ita dici potest, ex » quo potest esse Pater, efficitur Pater? Id ipsum autem » etiam de Spiritu sancto dicendum est[3]. »

PAMPHILUS.

Aliud testimonium de eadem re ex libris Epistolæ ad Hebræos.

ORIGENES.

« Lux autem æterna quid aliud sentiendum est, quam » Deus Pater, qui nunquam fuit quando lux quidem esset,

[1] Joan. XXI, 25. — [2] Ex lib. II de Principiis, cap. VI, num. 1. — [3] Ex lib. I, in Genesim.

» splendor vero ei non adesset? Neque enim lux sine splen-
» dore suo unquam intelligi potest. Quod si verum est, nun-
» quam est quando Filius non Filius fuit. Erat autem non,
» sicut de æterna luce diximus, innatus, ne duo principia
» lucis videamur inducere, sed sicut ingenitæ lucis splen-
» dor, ipsam illam lucem initium habens ac fontem, natus
» quidem ex ipsa; sed non erat quando non erat[1]. »

PAMPHILUS.

Aliud testimonium de eadem re de libris Epistolæ ad Romanos.

ORIGENES.

« Quod promiserat, *inquit*, per Prophetas suos in Scrip-
» turis sanctis de Filio suo qui secundum carnem factus est
» ex semine David[2]. » Factus est quod ante non erat. Ma-
» nifestum est enim quia secundum carnem non erat prius:
» secundum spiritum vero erat ante, et non erat quando
» non erat[3]. »

PAMPHILUS.

Item in libro primo περί ἀρχῶν. Quod extra ullum initium est generatio Filii Dei.

ORIGENES.

« Si ergo semel recte receptum est unigenitum Filium
» Dei sapientiam ejus esse substantialiter subsistentem, ne-
» scio si jam ultra evagari sensus noster debeat ad suspi-
» candum ne forte ipsa subsistentia ejus corporeum aliquid
» habeat, cum omne quod corporeum est, vel habitu, vel
» colore, vel magnitudine designetur. Et quis unquam sani
» sensus habitum vel colorem, aut mensuræ magnitudinem
» in Sapientia requisivit, per quod Sapientia est? Quomodo
» autem extra hujus Sapientiæ generationem fuisse aliquando
» Deum Patrem, vel ad punctum momenti alicujus potest

[1] Ex libris in Epist. ad Hebræos. — [2] Rom. I, 2, 3. — [3] Ex lib. I in Epist. ad Rom. num. 4 et 5.

» quis sentire vel credere, qui tamen pium aliquid de Deo » intelligere noverit, vel sentire? Aut enim non potuisse » Deum dicet generare Sapientiam antequam generaret, ut » eam quæ non erat postea genuerit ut esset; aut potuisse » quidem, sed (quod ne dici quidem de Deo fas est) no- » luisse generare : quod utrumque et absurdum esse et im- » pium omnibus patet, id est, ut aut ex eo quod non potuit » Deus, proficeret ut posset; aut ex eo cum posset, dissi- » mularet generare Sapientiam. Propter quod nos semper » Deum Patrem novimus unigeniti Filii sui ex ipso quidem » nati, et quod est ab ipso trahentis, sine ullo tamen initio, » non solum eo quod aliquibus temporum spatiis distingui » potest, sed ne illo quidem quod sola apud semetipsam » mens intueri solet, et nudo, ut ita dixerim, intellectu at- » que animo conspicari. Extra omne ergo quod vel dici vel » intelligi potest initium, generatam esse credendum est Sa- » pientiam [1]. »

PAMPHILUS.

Aliud testimonium de eisdem.

ORIGENES.

« Qui autem initium dat Verbo Dei, vel Sapientiæ Dei, » intuere ne magis in ipsum ingenitum Patrem impietatem » suam jactet, cum eum neget semper Patrem fuisse, et ge- » nuisse Verbum, et habuisse Sapientiam anterioribus vel » temporibus, vel sæculis, vel si quid illud est quod nomi- » nari potest [2]. »

PAMPHILUS.

Item aliud testimonium de eisdem.

ORIGENES.

« Efficitur ergo virtus altera in sua proprietate subsis- » tens, ut ait sermo Scripturæ, vapor quidem primæ et in- » genitæ virtutis Dei, hoc quidem quod est inde trahens :

[1] Ex lib. I de Principiis, cap. II, num. 2. — [2] Ex eodem capite, num. 3.

» non est autem quando non fuerit[1]. Si enim quis voluerit » dicere quasi prius non extiterit, sed postea ad subsisten- » tiam venerit, dicat causam quare qui eam substituit Pa- » ter, ante hoc non fecerit. Quod si aliquod semen initium » dederit quo vapor iste ex Dei virtute processerit, iterum » interrogabitur quare non et ante illud quod dixit initium : » et ita semper de anterioribus inquirentes, et verbo inter- » rogationis ascendentes, perveniemus in illum intellectum, » ut quoniam semper et poterat Deus et volebat, nunquam » vel decuerit, vel causa aliqua existere potuerit ut non hoc » quod bonum et volebat et poterat, semper habuerit. Ex » quo ostenditur semper fuisse vaporem istum virtutis Dei » nullum habentem initium, nisi ipsum Deum. Neque enim » decebat aliud ei esse initium, nisi ipsum, unde est et nas- » citur, Deum. Secundum Apostolum vero dicentem, quia » Christus *Dei virtus est*[2], jam non solum vapor virtutis » Dei, sed et virtus ex virtute dicenda est[3]. »

PAMPHILUS.

Item aliud testimonium de eisdem.

ORIGENES.

« Sempiternum, vel æternum proprie dicitur, quod ne- » que initium ut esset habuit, neque cessare unquam potest » esse quod est. Hoc autem designatur apud Joannem, » cum dicit : *Quoniam Deus lux est*[4]. Splendor autem lucis » ejus Sapientia sua est, non solum secundum quod lux est, » sed et secundum quod sempiterna lux est; ita ut æternus » et æternitatis splendor sit Sapientia sua. Quod si integre » intelligatur, manifeste declarat quia subsistentia Filii ab » ipso Patre descendit, sed non temporaliter, neque ab ullo » alio initio, nisi, ut diximus, ab ipso Deo[5]. »

[1] Sap. VII, 25. — [2] 1 Cor. I, 19. — [3] Ex eodem cap. num. 9. — [4] 1 Joan. I, 5. — [5] Ex eodem cap. num. 11.

PAMPHILUS.

Item, de æternitate Filii Dei, et inseparabilitate ejus a Patre, aliud testimonium de libro primo.

ORIGENES.

« Infandum autem est et illicitum, Deum Patrem in ge-
» neratione Filii sui unigeniti, atque in subsistentia ejus,
» exæquare alicui vel hominum, vel aliorum animantium
» generanti : sed necesse est exceptum aliquid esse et Deo
» dignum, cujus nulla prorsus comparatio non in rebus so-
» lum, sed ne in cogitatione quidem vel sensu inveniri po-
» test, ut humana cogitatio possit apprehendere quomodo
» ingenitus Deus Pater efficitur unigeniti Filii. Est namque
» ita æterna et sempiterna generatio, sicut splendor genera-
» tur ex luce. Non enim per adoptionem Spiritus Filius fit
» extrinsecus, sed natura Filius est[1]. »

PAMPHILUS.

Item de eodem aliud testimonium.

ORIGENES.

« Videamus ergo quis sit Salvator noster. Splendor dici-
» tur gloriæ, id est, æternæ lucis splendor : et certum est
» quod splendor ex lumine inseparabiliter generatur, et do-
» nec permanet lux permanet semper et splendor. Salvator
» ergo noster qui Sapientia est (Sapientia autem Dei ipsa
» est splendor æternæ lucis) inseparabiliter et indesinenter
» generatur ex Patre. Sic enim et ipsa de se Sapientia per
» Salomonem dicit : *Ante omnes colles generat me*[2]. Non
» enim dixit : *Ante omnes colles* genuit me, sed, *generat*
» *me.* In quo significantia sempiternitatis est[3]. »

[1] Ex eodem cap. num. 4. — [2] Prov. VIII, 25. — [3] Ex Homil. in Jerem. num. 4.

CAPUT IV.

De Spiritu sancto.

In libro secundo.

ORIGENES.

« Tempus est nunc pro viribus de Spiritu sancto pauca » describere, quem Dominus et Salvator noster in Evangelio » secundum Joannem Paracletum nominavit[1]. Sicut enim » idem ipse Deus, atque idem ipse Christus; ita idem ipse » et Spiritus sanctus est, qui etiam in Prophetis et in Apo- » stolis fuit, id est, sive in illis qui ante adventum Christi » Deo crediderunt, sive in his qui per Christum confuge- » runt ad Deum. Et duos quidem Deos audivimus ausos esse » hæreticos dicere, et duos Christos : duos autem Spiritus » sanctos nunquam audivimus ab aliquo prædicari[2]. »

PAMPHILUS.

Quod eadem sit inconvertibilitas Spiritus sancti, quæ Patris et Filii. De libro primo περὶ Ἀρχῶν.

ORIGENES.

« Nulla ergo natura est, secundum quod nos sentimus, » quæ non possit recipere malum; sed non continuo, quia » dicimus nullam esse naturam quæ non possit recipere ma- » lum, idcirco confirmamus omnem naturam recepisse ma- » lum, id est, malam effectam : sed sicut est dicere, quia » omnis hominis natura recipit ut possit navigare, non ta- » men ex eo etiam omnis homo navigabit; et iterum omni » homini possibile est discere artem grammaticam, vel me- » dicinam, non tamen idcirco ostenditur omnis homo vel » medicus esse, vel grammaticus : ita si dicimus nullam esse » naturam quæ non possit recipere malum, non tamen con-

[1] Joan. XIV, 26. — [2] Ex lib. II de Princip. cap. VII, num. 1.

» tinuo etiam recepisse malum designatur. Et rursum : nulla » natura est quæ non recipiat bonum : nec tamen idcirco » omnis natura probabitur recepisse quod bonum est[1]. »

PAMPHILUS.

Et post pauca addidit.

ORIGENES.

« Nulla ergo natura est quæ non recipiat malum, excepta » Dei natura, quæ fons bonorum omnium est, et Christi. » Sapientia enim est, et sapientia utique stultitiam recipere » non potest. Et justitia est ; justitia autem nunquam pro- » fecto injustitiam capiet. Et Verbum est, vel ratio, quæ » utique irrationabilis effici non potest. Sed et lux est, et » lucem certum est quod tenebræ non comprehendant. Si- » militer autem et natura Spiritus sancti, quæ sancta est, » non recipit pollutionem. Naturaliter enim, vel substantia- » liter, sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex » assumptione hoc vel inspiratione Spiritus sancti habet » ut sanctificetur, non ex sua natura hoc possidens, sed ac- » cidens ; propter quod et decidere potest quod accidit. Ita » et justitiam accidentem quis habere potest, unde et deci- » dere eam possibile est. Sed et sapientiam quis accidentem » nihilominus habet, quamvis in nostra sit positum pote- » state studio nostro et vitæ merito, si sapientiæ operam » demus, effici sapientes ; et si semper id studii geramus, » semper sapientiæ participemus ; et id nobis vel plus vel » minus accidat vel pro vitæ merito, vel pro studii quanti- » tate. »

PAMPHILUS.

Quod æqualis sibi sit Trinitas, et quod Spiritus sanctus non sit creatura. De libro primo περὶ Ἀρχῶν.

ORIGENES.

« De Spiritu vero sancto, quia est, multæ nos Scripturæ

[1] Ex lib. I de Princip. cap. VIII, num. 3.

» docuerunt, sicut David in quinquagesimo Psalmo dicit : « Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me[1]. » Et in Da» niele dicitur : « Spiritus sanctus qui in te est[2]. » In novo vero » Testamento abundantibus testimoniis edocemur, cum Spi» ritus sanctus super Christum descendisse perscribitur, et » cum ipse Dominus insufflavit in Apostolos post resurrec» tionem, dicens : « Accipite Spiritum sanctum[3]. » Et ad Ma» riam dicitur ab Angelo : « Spiritus sanctus veniet super te[4]. » » Paulus vero docet, quia « nemo potest dicere Dominum Je» sum, nisi in Spiritu sancto[5]. » Et in Actibus Apostolorum » per impositionem manuum Apostolicarum Spiritus sanc» tus dabatur in baptismo[6]. Ex quibus omnibus didicimus » tantæ esse et auctoritatis et dignitatis substantiam sancti » Spiritus, ut salutare baptisma non aliter nisi excellentis» simæ omnium Trinitatis auctoritate, id est, Patris, et Fi» lii, et Spiritus sancti cognominatione compleatur, et in» nato Deo Patri, et unigenito ejus Filio, nomen quoque » Spiritus sancti copuletur. Quis ergo non obstupescat » quanta majestas sit Spiritus sancti, cum eum qui dixerit » verbum in Filium hominis audiat sperare veniam posse[7]; » eum vero qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, ve» niam non habere neque in præsenti sæculo neque in fu» turo[8] ?

PAMPHILUS.

Et post pauca adjecit :

ORIGENES.

« Verumtamen usque ad præsens nullum sermonem in » Scripturis sanctis invenire potuimus, per quem Spiritus » sanctus factura esse vel creatura diceretur[9]. »

[1] Psal. L, 13. — [2] Dan. IV, 6. — [3] Joan. XX, 22. — [4] Luc. I, 35. — [5] I Cor. XII, 3. — [6] Act. VIII, 18. — [7] Matth. XII, 32. Luc. XII, 10. — [8] Ex lib. I de Princip. cap. III, num. 2. — [9] Ex eodem cap. num. 3.

PAMPHILUS.

Et insertis compluribus testimoniis de virtute Spiritus sancti, post aliquanto etiam hæc adjecit :

ORIGENES.

« Si revelante Filio cognoscit Patrem Spiritus sanctus, » ergo ex ignorantia ad scientiam venit : quod utique et im- » pium pariter et stultum est, Spiritum sanctum confiteri, » et ignorantiam ei ascribere. Non enim cum aliud aliquid » esset antea quam Spiritus sanctus, per profectum venit » in hoc ut esset Spiritus sanctus : ut quis audeat dicere, » quia tunc quidem cum nondum esset Spiritus sanctus, » ignorabat Patrem ; postea vero quam recepit scientiam, » etiam Spiritus sanctus effectus est. Quod si esset, nun- » quam utique in unitate Trinitatis, id est, Dei Patris incon- » vertibilis, et Filii ejus, etiam, ipse Spiritus sanctus habe- » retur, nisi quia et ipse semper erat Spiritus sanctus[1]. »

PAMPHILUS.

Et post pauca adjecit :

ORIGENES.

« Rectum tamen videtur inquirere quid causæ sit quod » qui regeneratur per Deum in salutem, opus habet et Pa- » tre, et Filio, et Spiritu sancto, non percepturus salutem » nisi sit integra Trinitas ; nec possibile sit participem vel » Patris, vel Filii, salvari sine Spiritu sancto. De quibus » discutientes, sine dubio necessarium erit ut operationem » specialem Spiritus sancti, specialem Patris, vel Filii, de- » scribamus. Arbitror igitur operationem quidem esse Pa- » tris (22), et Filii, tam in sanctis quam in peccatoribus, in » rationabilibus hominibus et in mutis animalibus ; sed et in » his quæ exanima sunt, et in omnibus omnino quæ sunt : » operationem vero Spiritus sancti nequaquam prorsus in- » cidere vel in ea quæ exanima sunt, vel in ea quæ animantia

[1] Ex eodem cap. num. 4.

» quidem, sed muta sunt; sed ne in illis quidem inveniri qui » rationabiles quidem sunt, sed in malitia positi, nec om- » nino ad meliora conversi. In illis autem solis arbitror esse » opus Spiritus sancti, qui jam se ad meliora convertunt, et » per vias Christi Jesu incedunt, id est, qui sunt in novis » actibus incedentes et in Deo permanentes. Quoniam au- » tem operatio Patris et Filii est et in sanctis et in pecca- » toribus, manifestatur ex eo quod omnes qui rationabiles » sunt, Verbi Dei, id est, rationis participes sunt, et per hoc » velut semina quædam insita sibi gerunt sapientiæ et scien- » tiæ, quod est Christus. Sed et hoc ipsum quod est et per- » manet omnis creatura, operatio est Dei Patris qui dixit : « Ego sum qui sum[1] : » quæ pervenit super omnes. Ipse est » enim « qui solem suum oriri jubet super bonos et malos, » et pluit super justos et injustos[2]. [3] »

PAMPHILUS.

Et post multam de Patre et Filio per Scripturarum exempla assertionem, addidit hæc :

ORIGENES.

« Spiritus vero sancti participationem a sanctis tantum- » modo haberi invenimus. Propter quod dicitur : « Nemo » potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto[4]. » » Et vix aliquando ipsi Apostoli digni habentur audire : « Ac- » cipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos[5]. » » Propter quod et consequens puto, quia qui peccaverit in » Filium hominis, venia dignus est[6], pro eo quod is qui Verbi » vel rationis est particeps, si desinat rationabiliter vivere, » videtur in ignorantiam vel stultitiam decidisse, et propter » hoc veniam promereri; qui autem jam dignus est habitus » sancti Spiritus participatione, et retro fuerit conversus,

[1] Exod. III, 14. — [2] Matth. v, 45. — [3] Ex eodem cap. num. 5, 6. — [4] I Cor. XII, 3. — [5] Act. I, 8. — [6] Matth. XII, 32.

» hic reipsa et opere blasphemasse dicitur in Spiritum sanc-
» tum[1]. »[2]

PAMPHILUS.

Quod sicut Pater novit initia omnium quæ sunt, et fines, sic et Filius, sic et Spiritus sanctus sciat, eo quod Deo possibile est omnem creaturam cognoscere. De quarto libro περὶ Ἀρχῶν.

ORIGENES.

« Paulus Apostolus per Spiritum sanctum qui perscru-
» tatur etiam profunda Dei, altitudinem divitiarum sapien-
» tiæ ac scientiæ Dei scrutans, nec tamen ad finem, et, ut
» ita dixerim, ad intimam cognitionem prævalens pervenire,
» desperatione rei et stupore proclamat et dicit : « O altitudo
» divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei[3] ! » Et quod despera-
» tione perfectæ comprehensionis hæc exclamaverit, audi
» ipsum dicentem : « Quam inscrutabilia sunt judicia Dei,
» et quam investigabiles viæ ejus ! » Non enim dixit difficile
» posse scrutari, sed omnino non posse, judicia Dei : nec
» dixit difficile investigari posse vias ejus, sed non posse in-
» vestigari. Quantumcumque enim quis scrutando promo-
» veat, et studio intentiore proficiat, gratia quoque Dei ad-
» jutus, sensuque illuminatus, ad perfectum finem eorum
» quæ requiruntur pervenire non poterit : nec omnis mens
» quæ creata est possibile habet ullo genere comprehendere ;
» sed cum invenerit aliquantulum ex his quæ quæruntur,
» iterum videt alia quæ quærenda sunt. Quod si et ad ipsa
» pervenerit, multo iterum plura ex illis quæ quæri debeant
» pervidebit. Propter quod et sapientissimus Salomon na-
» turam rerum per sapientiam contuens, ait : « Dixi, Sapiens
» efficiar, et ipsa sapientia longe facta est a me longe plus
» quam erat : et altitudinem profundam quis inveniet[4] ? »

[1] Luc. XII, 10. — [2] Ex eodem cap. num. 7. — [3] Rom. XI, 33. — [4] Eccles. VII, 24, 25.

» Sed et Esaias sciens rerum initia a natura mortali inve-
» niri non posse, sed ne ab his quidem naturis quæ quam-
» vis diviniores sint quam humana est, factæ tamen et ipsæ
» sunt vel creatæ : sciens ergo quod a nulla harum neque
» initium neque finis inveniri potest, ait : « Priora quæ fue-
» rint dicite, et sciemus quia dii estis : vel novissima quæ
» sint annuntiate, et tunc videbimus quod dii estis [1]. » Nam
» et Hebræus doctor ita tradebat (23), pro eo quod initia om-
» nium vel finis non posset ab ullo comprehendi, nisi tan-
» tummodo a Domino Jesu Christo et ab Spiritu sancto;
» idcirco aiebat per figuram visionis Esaiam dixisse duos
» Seraphim solos esse qui duabus quidem alis operiunt
» faciem Dei, duabus vero pedes et duabus volare eos, et
» clamare ad invicem sibi dicentes : « Sanctus, Sanctus,
» Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est universa terra
» gloria tua [2]. » Quod ergo sola Seraphim utrasque alas suas
» habent in facie Dei et in pedibus ejus, videndum est pro-
» nuntiare, quod neque exercitus sanctorum Angelorum,
» neque sanctæ Sedes, neque Dominationes, neque Princi-
» patus, neque Potestates scire possunt integre initium om-
» nium, et finem universitatis. Sed intelligendum est sanc-
» tos istos, quos enumeravimus, spiritus et virtutes, proximos
» quidem esse ipsis initiis, et attingere tantum quantum
» consequi non valent reliqui. Verumtamen quantumcum-
» que illud est quod revelante Filio Dei ac Spiritu sancto
» didicerint istæ virtutes, quamplurima quidem assequi po-
» terunt, et multo plura priores inferioribus; omnia tamen
» comprehendere impossibile eis est, quia scriptum est :
« Quamplurima ex operibus Dei in secretis sunt [3]. » Unde
» et optabile est ut pro viribus se unusquisque semper ex-
» tendat « ad ea quæ priora sunt, ea quæ retrorsum sunt
» obliviscens [4], » tam ad opera meliora quam etiam ad sen-

[1] Isai. XLI, 22, 23. — [2] Idem, VI, 3. — [3] Eccli. XVI, 22. — [4] Philip. III, 13.

» sum intellectumque puriorem, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, cui est gloria in sæcula sæculorum.[1] »

CAPUT V.

De incarnatione Verbi Dei.

ORIGENES.

« In omni orbe terrarum, in omni Græcia atque exteris » nationibus innumeri sunt et immensi qui, relictis patriis » legibus et his quos putabant deos, vel observantia Moysis » legis, in discipulatum se Christi cultumque tradiderunt, » et hoc non sine ingenti odio eorum qui simulacra vene- » rantur; ita ut ab his frequenter et cruciatibus affligantur, » nonnunquam etiam agantur in mortem. Amplectuntur » tamen, et cum omni affectu custodiunt doctrinæ Christi » sermonem. Et est videre quomodo brevi tempore ipsa re- » ligio creverit, pœnis cultorum mortibusque proficiens, » sed et bonorum direptionibus, atque omni ab his afflictio- » num genere tolerato. Et eo maxime mirum est, quod ne » doctores quidem ipsi vel satis idonei sunt, vel satis plures. » Prædicatur tamen sermo iste in omni orbe terrarum, ita » ut Græci ac Barbari, sapientes et insipientes religionem » Christianæ doctrinæ suscipiant. Ex quo dubium non est » non hæc humanis viribus aut opibus agi, ut cum omni po- » testate et persuasione sermo Jesu Christi apud omnium » mentes atque animos convalescat. Nam et prædicta esse » ab eo hæc ipsa, et divinis ab eo responsis confirmata, ma- » nifestum est cum dicit, quia « Apud præsides et judices » adducemini propter me, in testimonium ipsis, et genti- » bus[2]. » Et iterum : « Multi mihi dicent in illa die : Domine, » Domine, nonne in nomine tuo manducavimus et bibimus, » et in nomine tuo dæmonia ejecimus ? Et dicam illis : Dis-

[1] Ex lib. IV de Princip. num. 26. — [2] Matth. x, 18.

» cedite a me, operarii iniquitatis : nunquam vos cognovi[1]. »
» Quæ si ita quidem dicta ab eo fuissent, nec ad finem tamen ea quæ prædicta sunt pervenissent, fortassis minus esse vera viderentur, nec habere aliquid auctoritatis : nunc vero cum in effectum res quæ fuerant ab eo prædictæ perveniant, cum tanta autem potestate atque auctoritate prædicta sint, manifestissime declaratur Deum vere esse qui homo factus salutaria præcepta hominibus tradidit. Quid vero inde dicendum est quod Prophetæ de ipso ante prædixerint non cessaturos principes ex Juda, neque duces ex femoribus ejus, usquequo veniat ille cui repositum est, regnum scilicet, et usquequo veniat expectatio Gentium[2]? Manifestissime enim ex ipsa historia apparet, et ex his quæ hodie pervidentur, quia ex temporibus Christi ultra reges apud Judæos non extiterunt. Sed et omnes illæ ambitiones Judaïcæ in quibus jactantiæ quamplurimum gerebant, et in quibus gloriabantur, id est, vel de Templi decore, vel de altaris insignibus, atque omnibus illis sacerdotalibus infulis indumentisque pontificum, simul universa destructa sunt. Completa est enim prophetia quæ dixerat : « Per dies multos sedebunt filii Israël sine rege, sine principe : non erit hostia, nec altare, nec sacerdotium, nec responsa[3]. » His ergo testimoniis utimur adversus eos qui videntur asserere de his quæ in Genesi ab Jacob dicta sunt de Juda, et dicunt permanere adhuc principem ex genere Judæ, istum videlicet qui est gentis ipsorum princeps, quem nominant Patriarcham ; nec deficere posse de semine ejus, qui permaneat usque ad adventum ejus Christi quem sibi ipsi describunt. Sed si verum est quod ait Propheta, quia « dies multos sedebunt filii Israël sine rege, sine principe ; nec est sacrificium, neque altare, neque sacerdotium ; » et ex quo utique sub-

[1] Matth. VII, 22, 23 — [2] Genes. XLIX, 10. — [3] Osee, III, 4.

» versum est Templum, nec hostiæ offeruntur, nec altare » invenitur, nec sacerdotium constat : certissimum est defecisse principem ex Juda, sicut scriptum est, et ducem ex » femoribus ejus usquequo veniat ille cui repromissum est[1]. » Constat ergo quia venit ille cui repositum est, in quo ex» pectatio Gentium est. Quod manifeste videtur impletum » de multitudine eorum qui per Christum Deo ex diversis » gentibus crediderunt. Sed et in Deuteronomii cantico per » prophetiam designatur pro peccatis prioris populi futura » esse insensatæ gentis electio : non alia utique quam hæc » quæ per Christum facta est. Sic enim ait : « Exacerbave» runt me in simulacris suis, et ego in zelo concitabo eos, » in gente insipiente irritabo illos[2]. » Est ergo satis eviden» ter agnoscere quemadmodum Hebræi, qui Deum exacer» basse dicuntur in his qui non sunt dii, et irritasse eum » in simulacris suis, irritati sunt et ipsi in zelotypiam per » gentem insipientem, quam Deus elegit per adventum » Christi Jesu et discipulos ejus. Sic enim dicit Apostolus : « Videte enim vocationem vestram, fratres, quoniam non » multi sapientes inter vos secundum carnem, non multi » potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi » elegit Deus et ea quæ non sunt, ut ea quæ erant prius, » destrueret[3]. » Non ergo glorietur carnalis Israël; ita enim » ab Apostolo vocatur : « non, *inquam,* glorietur caro in con» spectu Dei[4]. » Sed et de his quæ in Psalmis prophetantur de » Christo, quid dicendum est, in eo maxime qui superscri» bitur : « Canticum pro dilecto, *ubi refertur, quia* lingua » *ejus* calamus scribæ velociter scribentis : decorus specie » super filios hominum, *quoniam* effusa est gratia in labiis » *ejus*[5]. » Indicium autem effusæ gratiæ in labiis ejus hoc » est, quod brevi tempore transacto doctrinæ ejus (anno

[1] Genes. XLIX, 10. — [2] Deuter. XXXII, 21. — [3] I Cor. I, 26, 27, 28. — [4] Ibid. 29. — [5] Psal. XLIV, 2.

» enim et aliquot mensibus docuit), universus tamen orbis » prædicatione ac fide pietatis ejus impletus est. Orta est » ergo « in diebus ejus justitia, et multitudo pacis[1] » per» manens usque in finem; qui finis ablatio lunæ appellata » est « et dominatur a mari usque ad mare, et a flumine » usque ad fines orbis terræ. » Datum est autem et signum » domui David[2]. *Virgo* enim in ventre et concepit, *et* peperit » *Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus*[3], et im» pletum est quod ait ipse Propheta : *Nobiscum Deus, sci*» *tote Gentes et vincimini*[4]. Victi enim nos sumus et supe» rati ex Gentibus, et velut exuviæ ejus existimus, qui ejus » gratiæ nostra colla subjecimus. Sed et locus nativitatis » ejus prædictus est in Michæa propheta dicente : « Et tu » Bethleem, terra Juda, nequaquam exigua es in ducibus » Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Is» raël[5]. » Sed et septimanæ annorum impletæ sunt usque » ad Christum ducem, quas prædixerat Daniel Propheta[6]. » Adest nihilominus et is qui per Job prædictus est belluam » ingentem consumpturus[7], qui et dedit potestatem familia» ribus suis discipulis calcare super serpentes et scorpio» nes, et supra omnem virtutem[8] inimici nihil ab eo nocen» dis.[9] »

PAMPHILUS.

Hæc est de summis rebus, id est, de sancta Trinitate, Origenis fides, quam et paucissimis testimoniis de quampluribus ejus voluminibus assumptis edocuimus. Et quid tam rectum, quid tam verum, quid tam catholicum, quid certe ad instructionem omnium magis utile, vel apud istos certe ipsos qui inimica adversus eum mente desæviunt quid tam irreprehensibile?

[1] Psal. LXXI, 7, 8. — [2] Isai. VII, 14. — [3] Matth. I, 23. — [4] Isai. VIII, 9. — [5] Mich. V, 2. — [6] Dan. IX, 24. — [7] Job, III, 8. — [8] Luc. X, 19. — [9] Ex lib. IV de Princip. num. 1, 2, 3, 4, 5.

Et quidem in summa hæc posuisse de fidei ejus documento ac probatione sufficeret, nisi etiam ad reliqua his qui eum criminantur, respondere necessarium videretur. Intueamur tamen quæ sint istæ ipsæ criminationes quæ a malevolis intenduntur.

I[a] illa est, quod aiunt eum innatum dicere Filium Dei.

II[a], quod dicunt per prolationem, secundum Valentini fabulas, in subsistentiam venisse Filium Dei dicere.

III[a], quæ his omnibus valde contraria est, quod dicunt eum, secundum Arteman vel Paulum Samosatenum, purum hominem, id est, non etiam Deum dicere Christum Filium Dei.

IV. Post, ista est, quæ istis omnibus adversatur (cæca enim est malitia), quod dicunt eum dicere, δοκήσει, id est, putative tantum et per allegoriam, non etiam secundum ea quæ per historiam referuntur, gesta esse omnia quæ a Salvatore gesta sunt.

V. Alia quoque criminatio est, qua asserunt eum duos Christos prædicare.

VI. Addunt illud quoque, quod historias corporales, quæ per omnem sanctam Scripturam referuntur de gestis sanctorum, penitus deneget.

VII. Sed et de resurrectione mortuorum et de impiorum pœnis non levi impugnant eum calumnia, velut negantem peccatoribus inferenda esse supplicia.

VIII. Quidam vero disputationes ejus, vel opiniones, quas de animæ statu vel dispensatione disseruit, culpant.

IX. Ultima vero omnium est criminatio illa, quæ cum omni infamatione dispergitur, μετενσωματώσεως, id est, quod humanas animas in muta animalia, vel serpentes, vel pecudes asserat transmutari post mortem, et quod etiam ipsæ mutorum animalium animæ rationabiles sint. Quam criminationem idcirco novissimam posuimus, ut plura de libris

ejus coacervantes exempla, evidentius ejus falsitas nosceretur.

Si ergo bene meminimus ordinis criminationum quem supra conscripsimus, incipiamus a prima.

RESPONSIO AD PRIMAM CRIMINATIONEM.

Quod ex Deo Patre natus est Filius, et unius est cum Patre substantiæ; alienus vero a substantiis creaturarum.

Ex primo libro Epistolæ ad Romanos.

ORIGENES.

« Quærat fortassis aliquis si Filius charitas est, præcipue » propter hoc quod Joannes ad Deum Patrem retulit hanc » vocem, dicens, *Quia Deus charitas est* [1]. Sed rursum ex » ipsa ejus Epistola proferemus et illud quod ait : « Charis» simi, diligamus invicem, quoniam charitas ex Deo est [2]. » » Qui ergo dixit : *Quia Deus charitas est*, ipse iterum » charitatem docet esse ex Deo : quam charitatem credo » non esse alium, nisi unigenitum Filium ejus, sicut Deum » ex Deo, ita charitatem ex charitate progenitum [3]. »

PAMPHILUS.

De eisdem in quinto libro de Evangelio secundum Joannem.

ORIGENES.

« Unigenitus Filius Salvator noster, qui solus ex Patre » natus est, solus natura et non adoptione Filius est [4]. »

PAMPHILUS.

Item in ipso libro.

ORIGENES.

« Unus ergo est verus Deus, « qui solus habet immorta-

[1] I Joan. IV, 8, 16. — [2] Ibid. 7. — [3] Vide notas lib. I in Epist. ad Rom. num. 5, p. 466. — [4] Ex lib. V in Evang. Joann.

» litatem, lucem habitat inaccessibilem [1]. » Unus et verus » Deus, ne scilicet multis veri Dei nomen convenire cre- » damus. Ita ergo et hi qui accipiunt « spiritum adoptionis » filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater [2], » filii quidem » Dei sunt, sed non sicut unigenitus Filius. Unigenitus enim » natura Filius, et semper, et inseparabiliter Filius est : » cæteri vero pro eo quod susceperunt in se Filium Dei, « po- » testatem *acceperunt* Filii Dei fieri. Qui licet non ex san- » guine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, » sed ex Deo nati [3] » sint, non tamen ea nativitate sunt nati » qua natus est unigenitus Filius. Propter quod quantam » differentiam verus Deus habet ad eos quibus dicitur : *Ego* » *dixi : Dii estis :* tantam differentiam habet verus Filius » ad eos qui audiunt : *Filii Excelsi omnes* [4]. »

PAMPHILUS.

De libris Epistolæ ad Hebræos, quomodo ὁμοούσιος est cum Patre Filius, id est, unius cum Patre substantiæ, alienus autem a substantiis creaturæ.

ORIGENES.

« Interrogamus igitur eos quos piget confiteri Deum esse » Filium Dei, quomodo poterat sola humana natura nihil in » se habens eximium, neque aliquid divinæ substantiæ, hæ- » reditatem capere omnem principatum, et omnem potes- » tatem, et virtutem, et his omnibus præferri ac præponi a » Patre. Unde rectum videtur quod præstantior esse debeat » is qui hæreditatem capit, et genere utique, et specie, et » substantia, et subsistentia vel natura, atque omnibus qui- » busque modis debet esse præstantior [5]. »

PAMPHILUS.

Et post pauca in eodem libro.

[1] I Tim. VI, 16. — [2] Rom. VIII, 15. — [3] Joan. I, 12, 13. — [4] Psal. LXXXI, 6. — [5] Ex Comment. in Epist. ad Hebræos.

ORIGENES.

« Cum autem discutitur hoc quod dictum est de Filio » Dei, quod sit *splendor gloriæ* [1], necessario videtur simul » disserendum et illud quod dictum est, non solum quia » *splendor est lucis æternæ* [2], sed et quod huic simile in Sa- » pientia Salomonis refertur, in qua seipsam Sapientia de- » scribit dicens : « Vapor est enim virtutis Dei, et aporrhœa » gloriæ Omnipotentis purissima [3]. »

PAMPHILUS.

Et post aliquanto

ORIGENES.

« Oportet autem scire nos quia per ineffabilia quædam et » secreta ac recondita quemdam modum sibi faciens Scri- » ptura sancta conatur hominibus indicare et intellectum » suggerere subtilem. Vaporis enim nomen inducens, hoc » ideo de rebus corporalibus assumpsit, ut vel ex parte ali- » qua intelligere possimus quomodo Christus, qui est Sa- » pientia, secundum similitudinem ejus vaporis qui de sub- » stantia aliqua corporea procedit, sic etiam ipse ut quidam » vapor exoritur de virtute ipsius Dei : sic et Sapientia ex eo » procedens, ex ipsa substantia Dei generatur : sic nihilo- » minus et secundum similitudinem corporalis aporrhœæ, » esse dicitur aporrhœa gloriæ Omnipotentis pura quædam » et sincera. Quæ utræque similitudines manifestissime os- » tendunt communionem substantiæ esse Filio cum Patre. » Aporrhœa enim ὁμοούσιος videtur, id est, unius substantiæ » cum illo corpore ex quo est vel aporrhœa, vel vapor. »

PAMPHILUS.

Satis manifeste, ut opinor, et valde evidenter ostensum est, quod Filium Dei de ipsa Dei substantia natum dixerit, id est, ὁμοούσιον, quod est, ejusdem cum Patre substantiæ ;

[1] Hebr. I, 3. — [2] Sap. VII, 26. — [3] Ibid. 25.

et non esse creaturam, neque per adoptionem, sed natura Filium verum, ex ipso Patre generatum.

Superest ut et secundæ criminationi illatæ sibi ab accusatoribus, per nos quidem prolatis sed suis verbis ipse respondeat, duobus vel tribus testimoniis adhibitis, quibus æquum est secundum legem nostram omne verbum stare[1].

RESPONSIO AD SECUNDAM CRIMINATIONEM.

Quod non per prolationem natum dicat esse Filium Dei secundum Valentini impietatem.

ORIGENES.

« Ego arbitror quod sufficere debeat voluntas Patris ad » subsistendum hoc quod vult Pater. Volens enim non alia » via utitur, nisi quæ consilio voluntatis profertur. Ita ergo » et ab eo Filii subsistentia generatur : quod necesse est in » primis suscipi ab his qui nihil ingenitum, id est, innatum, » præter solum Deum Patrem fatentur. Observandum namque est ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum » qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam » naturam in partes vocent, et Deum Patrem, quantum in » se est, dividant, cum hoc de incorporea natura vel leviter » suspicari non solum extremæ impietatis sit, verum etiam » ultimæ insipientiæ, nec omnino vel ad intelligentiam consequens, ut incorporeæ naturæ substantialis divisio possit » intelligi. Magis ergo sicut voluntas procedit e mente, et » neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur aut dividitur, tali quadam specie putandus est Pater » Filium genuisse, imaginem scilicet suam : ut sicut ipse » est invisibilis per naturam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. Verbum enim est Filius, et ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, et in

[1] 2 Cor. XIII, 1.

» Sapientia nihil corporeum suspicandum est. « Lumen *est* » verum quod illuminat omnem hominem venientem in » hunc mundum[1], » sed nihil habet commune ad Solis hu- » jus lumen. [2] »

PAMPHILUS.

De his ipsis ex quarto libro περὶ Ἀρχῶν.

ORIGENES.

« Tempus est, decursis his quæ de Patre et Spiritu sancto » disseruimus, de illis quoque quæ a nobis relicta fuerant, » pauca repetere. Deus Pater cum et invisibilis sit, et in- » separabilis a Filio, non per prolationem ab eo, ut quidam » putant, generatus est Filius. Si enim prolatio est Filius » Patris, prolatio vero dicitur quæ talem significat genera- » tionem, qualis animalium vel hominum solet esse proge- » nies, necessario corpus est et is qui protulit, et is qui » prolatus est. [3] »

PAMPHILUS.

Tum deinde in consequentibus vehementius adversum Valentini hæresim talia describentem invectus, longe his contrariam suam sententiam secundum Catholicæ fidei protulit veritatem. Ex secundo libro secundum Joannem de his ipsis.

ORIGENES.

« Unigenitus ergo Deus Salvator noster Solus a Patre ge- » neratus, natura et non adoptione Filius est. Natus est au- » tem ex ipsa Patris mente, sicut voluntas ex mente. Non » enim divisibilis est natura divina, id est, ingeniti Patris, » ut putemus vel divisione vel imminutione substantiæ ejus » Filium esse progenitum. Sed sive mens, sive cor, aut sen- » sus de Deo dicendus est, indiscussus permanens, germen » proferens voluntatis, factus est Verbi Pater; quod Ver-

[1] Joan. I, 9. — [2] Ex lib. I de Princip. cap. II, num. 6. — [3] Ex lib. IV de Princip. num. 28.

» bum in sinu Patris requiescens, annuntiat *Deum* quem » *nemo vidit unquam*[1], et revelat Patrem quem nemo cognovit nisi ipse solus [2], his quos ad eum Pater cœlestis attraxerit. [3] »

PAMPHILUS.

Sufficiat per hæc respondisse secundæ criminationi. Nunc consequenter respondebimus etiam his qui purum hominem, id est, sine Deo, ab eo dici asserunt Christum.

RESPONSIO AD TERTIAM CRIMINATIONEM.

Quod non purus homo, sed divinæ naturæ sit Christus.

De primo libro Epistolæ ad Galatas.

ORIGENES.

« Ex eo quod dixit Apostolus ; « Paulus Apostolus non ab » hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum [4], » manifeste intelligi datur, quia non erat homo Jesus Christus, sed erat divina natura. Non enim si homo » esset, dixisset Paulus hoc quod ait : « Paulus Apostolus » non ab hominibus, neque per hominem. » Si enim homo » fuit Jesus, et per ipsum assumptus est in apostolatum » Paulus, utique per hominem erat Apostolus factus. Si autem per hominem erat Apostolus, nunquam dixisset, quia » *neque per hominem :* sed manifeste separat ab humana » natura Jesum Paulus per hæc verba. Non enim sufficit ei » dixisse : *Neque per hominem;* sed adjecit dicens : *Sed* » *per Jesum Christum.* Quem utique quia sciebat excellentioris esse naturæ, propterea dixit se non assumptum esse » per hominem. [5] »

PAMPHILUS.

Hæc in initio Epistolæ dicens, in sequentibus libri ipsius

[1] Joan. I, 18. — [2] Matth. XI, 27. Joan. VI, 44. — [3] Ex lib. II in Evang. Joann. — [4] Galat. I, 1. — [5] Ex lib. I in Epist. ad Galatas.

similia adjecit, exponens illud capitulum in quo scriptum est : « Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium quod » prædicavi vobis, quoniam non est secundum hominem : » neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revela- » tionem Jesu Christi [1]. »

ORIGENES.

« Adverte ego quid scribit, quia convenienter quis et hæc » adjungens prioribus, intelligere poterit et ostendere his » qui negant deitatem Jesu Christi, sed hominem eum so- » lum pronuntiant, quod non est homo, sed Deus, Dei Fi- » lius Jesus Christus. Sic enim dicit Apostolus, quia « Evange- » lium quod evangelizavi vobis, non est secundum hominem, » sed » secundum Jesum Christum. Evidenter ergo osten- » dit quia Christus Jesus non est homo : si autem non est » homo, sine dubio Deus est; imo non aliud erit, nisi Deus » et homo. Et iterum si verum est quod dicit Paulus, quia » *non ab homine* accepit Evangelium, *sed per revelationem* » *Jesu Christi*, certum est quia Jesus Christus qui revela- » vit, plus quam homo est. Alienum enim est ab homine » revelare quæ in occulto sunt et velata sunt : quod etiam » si aliquando per hominem fiat, non tamen ab homine fit, » sed ab eo qui in homine loquitur Christus. »

PAMPHILUS.

Tempus est his ita evidenter ostensis, nos etiam ad insequentis criminationis tendere defensionem, brevitatis studio paucorum testimoniorum probatione contentos.

[1] Galat. I, 11, 12.

RESPONSIO AD QUARTAM CRIMINATIONEM.

Adversum eos qui dicunt eum per allegorias adimere omnia quæ a Salvatore scripta sunt corporaliter facta.

ORIGENES.

« Adjungendum est etiam illud his quæ supra diximus, » quoniam corpus Christi non erat alienum a terrena sub- » stantia secundum hoc quod filius est David et filius Abra- » ham, sicut scribit Matthæus : « Liber generationis Jesu » Christi, filii David, filii Abraham [1] ; » et sicut Paulus dicit, » Christum esse ex semine Abrahæ et ex semine David se- » cundum carnem [2]. Quod ergo dictum est, quia « consum- » matis quadraginta diebus jejunii et quadraginta noctibus, » postea esuriit [3], » sine dubio hoc indicat quod evacuari » et repleri, similiter ut nostra corpora solent, etiam illius » poterat corpus. Si vero quis objiciat nobis hujus miraculi » rationem de quadraginta dierum jejunio ; facile solvi po- » test, cum adhibetur etiam illud exemplum de Moyse et » Elia, qui similiter pertulisse jejunium referuntur [4]. Sed et » illud, quod itineris et æstus labore fatigatus ; sedens super » puteum requiescit, et sitit, quid aliud indicat, nisi nervo- » rum fatigatione et solis ardore nimio elementum cor- » porei humoris absumptum [5] ? Quod vero in melioribus » occupatus, hoc quod bibere voluerat distulit, nec bibit, » non propterea dicendum est quia neque passus est sitim. » Sed et illud quod frequenter per cœnas vocatur, et in con- » spectu omnium manducat et bibit, non decipiens vel fal- » lens oculos videntium facit, neque putative, ut quidam » arbitrantur, hæc gerit, maxime cum ita sumeret cibum ac » potum ut a quibusdam etiam quasi pro præsumptione ni-

[1] Matth. I, 1. — [2] Gal. III, 16. Rom. I, 3. — [3] Matth. IV, 2. — [4] Exod. XXXIV, 28. 3 Reg. XIX, 8. — [5] Joan. IV, 6, 7.

» mia culparetur, velut cibum ac potum propensius appe-
» tens. Si autem quis violentius velit asserere ideo hæc dicta
» esse, quia per phantasiam manducabat, et illi quomodo
» hæc fierent nesciebant, respondendum est ad ea ex his
» quæ ipse Dominus dixit : « Venit Joannes Baptista neque
» manducans neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet.
» Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce
» homo devorator et vinum bibens [1]. » Ipso enim Salvatore
» dicente quia *venit Filius hominis manducans et bibens,*
» quomodo ausus est aliquis dicere neque manducasse eum
» neque bibisse? Quæ utique manifesta incredulitas est doc-
» trinæ ejus. Si autem manducabat et bibebat, et substan-
» tia vini atque escæ in carnem ejus efficiebatur, sine dubio
» per omnes corporis ejus compages ac membrorum per-
» plexiones diffundebatur. Spiritalem enim naturam (sicut
» quidam de ejus corpore sentiunt, quod imperite satis et
» absurde faciunt) impossibile est vini atque escæ recipere
» substantiam. Si vero quis indignas obscœnasque ad hæc
» proferat inquisitiones, requirens si etiam digestiones in
» corpore fiebant, nihil absurdum videtur fateri secundum
» consequentiam naturæ corporeæ. Si vero etiam exemplis
» a nobis hæc exigant affirmari, ostendendum est illos satis
» hæc insipienter inquirere. Ubi enim ista vel de Apostolis,
» vel de cæteris sanctis facta esse referuntur, vel etiam de
» impiis et peccatoribus, ex abundanti de eo requiritur. Sed
» et circumcisionis ejus ratio nobis quidem non generabit
» angustiam, dicentibus eum consequenter humano corpore
» et circumcisum esse, et præputium ejus terræ mandatum,
» fortassis usque ad tempus : aut si aliter est, in alia dispu-
» tatione requiretur. Hæc tamen ejus circumcisio satis coan-
» gustabit eos qui ex diverso sunt. Spiritale enim corpus
» quomodo poterat circumcidi ferro terreno? Propter quod

[1] Matth. xi, 18, 19.

» non erubuerunt quidam ex ipsis de præputio circumci-
» sionis ejus etiam libros edere, quibus ostendere conaren-
» tur quod in substantiam cesserit spiritalem. Non minus
» autem angustabuntur etiam illi qui animale corpus dicunt
» esse corpus Christi. Sed et de sanguine ejus et aqua quæ
» processit de latere ejus hasta compuncto a milite, eadem
» sentienda sunt [1]. Sed his qui sciunt quid audiant per hoc
» quod dicitur, quia fixuræ clavorum erant in ejus corpore [2],
» manifeste declaratur quia caro erat terrena, id est, hu-
» manæ naturæ : quæ utique non erat talis, ut recipiendo-
» rum vulnerum subterfugeret qualitatem. Quod si non
» etiam multa humanæ infirmitatis in ipsa morte sensisset,
» cur anima ipsius perturbatur, et tristis est pro ea usque
» ad mortem [3]? Quæ omnia evidenter ostendunt quod non
» falso, sed quasi homo dixerit : *Spiritus quidem prom-*
» *ptus est, caro autem infirma* [4]. Eadem nihilominus osten-
» dit etiam somni ratio, cum dicitur, quia *erat in puppi*
» *super cervical dormiens* [5], sicut Marcus refert, et ab ho-
» mine suscitatur e somno. Hæc enim licet habeant spirita-
» lem intellectum, tamen manente prius historiæ veritate,
» etiam spiritalis recipiendus est sensus. Licet enim cæcos
» semper curet secundum spiritalem intelligentiam, cum
» ignorantia excæcatas illuminat mentes, tamen et corpo-
» raliter tunc cæcum sanavit. Et mortuos semper suscitat;
» fecit tamen et tunc hujuscemodi mirabilia, sicut et filiam
» principis synagogæ, et filium viduæ, et Lazarum susci-
» tando [6]. Et quamvis semper cum excitatur a discipulis
» compescat Ecclesiæ turbines, vel procellas [7], tamen certum
» est etiam tunc gesta esse quæ per historiam referuntur.
» Sic ergo sanum est sensum Scripturæ recipere; nec opor-

[1] Joan. XIX, 34. — [2] Id. XX, 25 et seq. — [3] Id. XII, 27. Marc. XIV, 34. — [4] Ibid. 38. — [5] Id. IV, 38. — [6] Id. VIII, 25; et X, 52. Luc. VIII, 55; et Joan. XI, 44. — [7] Marc. IV, 39.

» tet inclinare aurem his qui dicunt per Mariam, et non ex » Maria eum esse natum : quod Apostolus præsciens ita » prædixit : « Cum autem venit plenitudo temporum, misit » Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, » ut eos qui sub lege erant redimeret[1]. » Vides quia non » dixit, factum per mulierem, sed, *factum ex muliere*[2]. »

PAMPHILUS.

Quid tam evidenter aut integre, quam ex his omnibus quæ scripsit, confirmatur ? Confirmatur ab eo et Dominicorum gestorum veritas, et historiæ Scripturarum fides. Sed persequamur consequenter etiam alia, in quibus accusatur quasi duos Christos dicens, unum Deum Verbum, et alium Jesum Christum qui ex Maria natus est.

RESPONSIO AD QUINTAM CRIMINATIONEM.

Quod unus est Christus Filius Dei.

Ex primo libro de Esaia.

ORIGENES.

« Sicut dicit Apostolus, *Quoniam æmulatores estis spi-* » *rituum*[3]. Sicut enim cum unus sit Spiritus sanctus, tanti » per singulos dicuntur Spiritus sancti, quanti sunt hi qui » habent in se Spiritum sanctum : ita et de Christo dicen- » dum est. Ab uno enim Christo multi fiunt Christi, de qui- » bus Scriptura dicit : « Nolite tangere Christos meos, et in » Prophetis meis nolite malignari[4]. » Sic et ab uno Deo dii » multi dicuntur, omnes scilicet hi in quibus habitat Deus : » sed *nobis unus est Deus Pater, ex quo omnia*[5]. Unus ergo » est verus Deus, qui, ut ita dixerim, præstator est deitatis, » et unus Christus factor Christorum, et unus Spiritus san-

[1] Galat. IV, 4, 5. — [2] Ex eodem lib. in Epist. ad Galatas. — [3] I Cor. XIV, 12. — [4] Psal. CIV, 15. — [5] I Cor. VIII, 6.

» ctus qui per singulas animas sanctorum facit Spiritum » sanctum. Christus vero sicut per hoc quod Christus est » Christos facit, ita et per hoc quod Filius Dei est, et Filius » proprius et unigenitus, omnes eos qui percipiunt ab eo » spiritum adoptionis, filios Dei facit [1]. »

PAMPHILUS.

Unum hoc testimonium est quod Christus verus unus sit, qui participatione sui multos facit Christos. Adhibeamus tamen et aliud ex primo libro de Evangelio secundum Matthæum, in quo hoc modo dicit.

ORIGENES.

« Si Christus Jesus, « cum in forma esset Dei, non rapi- » nam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum » exinanivit formam servi accipiens, et in similitudinem » hominum factus, habitu repertus ut homo est, humilians » seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem au- » tem crucis [2], » dubium non est quod nativitas ejus non est » talis, ut quasi qui ante non fuerit, esse cœperit, sicut de » nativitate hominum putatur : sed qui prius erat, et erat » in forma Dei, venit etiam formam servi suscipere. Deni- » que *quod natum est ex carne, caro est,* inquit. *Quod na-* » *tum est,* id est, ex ea quæ dixit : « Ecce ancilla Domini, » fiat mihi secundum verbum tuum [4]: » hæc est forma servi, » quæ utique caro est [5]. »

PAMPHILUS.

Et in tertio libro Epistolæ ad Colossenses de eisdem ita scribit.

ORIGENES.

« Data est autem lex Moysi per Angelos in manu et vir- » tute mediatoris Christi [6], qui cum esset in principio Ver- » bum Dei, et apud Deum esset, et Deus esset Verbum,

[1] Ex lib. I in Esaiam. — [2] Philip. II, 6, 7, 8. — [3] Joan. III, 6. — [4] Luc. I, 38. — [5] Ex lib. I in Matthæum. — [6] Galat. III, 19.

» Patri in omnibus ministravit. *Omnia* enim *per ipsum facta* » *sunt*[1], id est, non solum creaturæ, sed et Lex et Prophetæ: » et ipse est *mediator Dei et hominum*[2]. Quod Verbum in » fine quidem sæculorum homo factus est Jesus Christus : » sed ante hunc manifestum in carne adventum media- » tor quidem erat hominum, sed nondum erat homo. Erat » tamen et tunc *mediator Dei et hominum :* unde et data » lex per Angelos, sine ipsius mediatoris manibus data esse » non dicitur, ut esset *lex sancta, et mandatum sanctum,* » *et justum, et bonum*[3], et omnia hæc sanctificarentur a » Christo[4]. »

PAMPHILUS.

Sufficere opinor etiam de hoc tribus testimoniis confutatam esse calumniam. Si quis sane offenditur quod dixit Salvatorem etiam animam suscepisse : nihil de hoc amplius respondendum puto, nisi quod hujus sententiæ non Origenes auctor est, sed ipsa sancta Scriptura testatur, ipso Domino et Salvatore dicente : « Nemo tollet animam meam a me[5] : » et : « Tristis est anima mea usque ad mortem[6] : » et: « Nunc anima mea turbata est[7]. » Et multa his similia in sanctis Scripturis invenies.

Superest respondere ad illam accusationem quæ calumniatur eum omnem Scripturam in allegoriam vertere. Ex ipsis libris quos vel maxime obtrectatores ejus incusant, id est, de quarto περὶ Ἀρχῶν libro proferemus quia non negat ea quæ in Scripturis referuntur, etiam secundum litteram gesta.

[1] Joan. I, 3. — [2] I Tim. II, 5. — [3] Rom. VII, 12. — [4] Ex lib. III, in Ep. ad Colossenses. — [5] Joan. X, 18. — [6] Matth. XXVI, 38. — [7] Joan. XII, 27.

CAPUT VI.

RESPONSIO AD SEXTAM CRIMINATIONEM.

Quod ea quæ in Scripturis referuntur, etiam secundum litteram gesta sint.

ORIGENES.

« Ne quis autem suspicetur nos hoc dicere, quia nullam » historiam Scripturæ factam esse sentiamus, quoniam ali» qua ex his non esse facta suspicamur; vel nulla præcepta » legis secundum litteram stare, quoniam quædam secun» dum litteram dicimus observari non posse, in quibus vel » ratio, vel rei possibilitas non admittit; vel ea quæ de Sal» vatore scripta sunt, non putare etiam sensibiliter impleta, » vel præcepta ejus secundum litteram non debere servari; » respondendum est quoniam a nobis evidenter decernitur » in quamplurimis servari oportere historiæ veritatem. Quis » enim negare possit quod Abraham in duplici spelunca se» pultus est in Ebron, sed et Isaac, et Jacob, et singulæ » eorum uxores? vel quis dubitet quod Sichima in portio» nem data est Joseph? vel quod Jerusalem metropolis est » Judææ, in qua constructum est Templum Dei a Salo» mone? et alia innumerabilia. Multo enim plura sunt quæ » secundum historiam vera sunt, quam ea quæ nudum sen» sum continent spiritalem. Tum deinde quis non affirmet » mandatum hoc quo præcipitur, « Honora patrem tuum et » matrem tuam, ut bene sit tibi[1], » sine ulla spiritali inter» pretatione sufficere, et esse observantibus necessarium? » maxime cum et Paulus eisdem verbis repetens confirma» verit ipsum mandatum[2]. Quid vero oportet dicere de eo » quod dictum est : « Non adulterabis, non occides, non » furtum facies, non falsum testimonium dices[3], » et cætera

[1] Exod. xx, 12. — [2] Ephes. vi, 2. — [3] Exod. xx, 13.

» hujusmodi? Jam vero de his quæ in Evangelio mandata » sunt, ne dubitari quidem potest quin secundum litteram » observentur, sicut cum dicit : « Ego autem dico vobis non » jurare omnino[1] : » et cum ait : « Qui autem inspexerit mu» lierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam » in corde suo : » et apud Paulum Apostolum quæ præci» piuntur : « Commonete inquietos, consolamini pusillani» mes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes[2]; » et » alia quamplurima[3]. »

PAMPHILUS.

De Epistola Pauli Apostoli ad Philemonem.

ORIGENES.

« Sed et de singulis sanctorum qui in Scriptura sancta » conscripti sunt, quosque justos, et electos Dei esse Scrip» tura testatur, debet esse fides ab his qui salvari cupiunt. » Non enim potest esse perfecta in Deum fides, nisi quis ha» beat et hanc fidem, qua de sanctis quod sancti sunt cre» ditur. Quod autem dicimus tale est. Qui crediderit in » Deum, et dogmata ejus vera esse susceperit, credit et hoc » quod Adam quidem primus homo formatus est[4] : credit » et de Eva, quod unam e costis Adam sumens Deus, ædifi» caverit eam ut esset ejus mulier[5] : credit et quod Enos » vere *speravit invocare nomen Domini Dei*[6]; et quod » Enoch, quia in annis ducentis placuerit Deo, posteaquam » Mathusalem genuit translatus est[7] : et de Noë, quia re» sponsa accepit ut fabricaretur arca[8], et solus salvatus est » ex diluvio, cum his tantummodo qui secum arcam fuerant » ingressi[9]. Similiter et de Abraham, quod meruerit testi» monium Dei[10], et quod susceperit hospitio, cum esset sub » ilice Mambre, tres viros, ex quibus unus Dominus erat[11].

[1] Matth. v, 28, 34. — [2] 1 Thess. v, 14. — [3] Ex lib. iv, de Princip. num. 19. — [4] Genes. ii, 7. — [5] Ibid. 21 et seq. — [6] Id. iv, 26, 22 et seq. — [7] Id. v, 21 et seq. — [8] Id. vi, 14. — [9] Id. viii, 16 — [10] Id. xvii, 2. — [11] Id. xviii, 2.

» Credit et de Isaac vel quomodo natus est, vel quomodo » oblatus est a patre, vel quomodo responsa Dei audire » meruerit[1] : sed et de Jacob, quod mutato nomine Israël » a Deo cognominatus est[2] : et de Moyse, quod per signa » et virtutes ministraverit Deo[3]. Credit et quod Jesus nave » exauditus a Deo stare fecerit solem super Gabaon, et » lunam super vallem Helon[4]. Quid autem dicendum est » de fidelibus Judicibus, et de his quæ per eos gesta refe- » runtur : vel in Regnorum libris de Samuele, quod mes- » sium tempore pluvias a Deo poposcerit, et acceperit[5]? et » de David quem assumpsit Dominus ab ovibus, ut regeret » Jacob puerum suum, et Israel hæreditatem suam[6]? et de » Nathan quod prophetaverit[7] : necnon et Gad[8] : sed et de » Salomone, quod apparuerit ei in visu Dominus[9] : et de » Elia, quod assumptus est per ascensionem in cœlum, ef- » fectis illis omnibus, quæ scripta sunt, signis et prodigiis: » sed et de Elisæo, quoniam non solum resuscitavit filium » Sunamitis, sed et mortuum super ossa sua projectum[10]. » Oportet ergo unumquemque fidelium credere et omnibus » quæ scripta sunt de Ezechia, quod in diebus ejus retror- » sum repedaverit umbra solis[11]. Est ergo fides nostra primo » quidem omnium in Dominum nostrum Jesum Christum, » consequenter vero etiam in omnes sanctos Patriarchas, vel » Prophetas, vel Apostolos Christi, eo ordine quo superius » diximus[12]. »

PAMPHILUS.

Sufficienter ista ad probationem catholicæ ejus fidei, et qualiter etiam de ipsa Scripturarum historia senserit, dicta sint.

[1] Genes. XXI, 22 et 25. — [2] Id., XXXII, 28. — [3] Exod. VII. — [4] Josue, X, 12, 13. — [5] 1 Reg. XII, 17, 18. — [6] Id. XVI, 11 et seq. — [7] 2 Reg. XII et 24. — [8] 3 Reg. III, 5. — [9] 4 Reg. II, 11. — [10] Id. IV, 34, 35; et XIII, 21. — [11] Id. XX, 9, 10, 11. — [12] Ex Comment. in Epist. ad Philemonem.

Et quoniam inter cæteras criminationes quas ei inferunt, etiam quam maximam ponunt, quod resurrectionem futuram deneget mortuorum, quod utique futurum manifeste in ecclesiis prædicatur, consequens est etiam de hoc ipsius nos verbis calumniosos ostendere, et mendaces evidenter arguere eos qui etiam scripta de hoc edere adversus eum non pepercerunt. Tam ex ipsis igitur libris quos de Resurrectione scripsit, quam ex cæteris ejus diversis voluminibus, approbabimus etiam in hac parte quam catholice senserit.

CAPUT VII.

PRIMA RESPONSIO AD SEPTIMAM CRIMINATIONEM.

Quomodo sentiebat de Resurrectione.

ORIGENES.

« Quomodo enim non videtur absurdum, ut hoc corpus, » quod pro Christo pertulit cicatrices, et pariter cum anima » persecutionum toleravit sæva tormenta, carcerum quoque » ac vinculorum et verberum supplicia pertulit, igne etiam » cruciatum, ferro cæsum est, insuper et bestiarum cruen- » tos morsus, crucis patibula, ac diversa pœnarum genera » perpessum est, tantorum certaminum præmiis defraude- » tur? Quippe si sola anima, quæ non sola certaverit, co- » ronetur, et corporis sui vasculum quod ei cum magno la- » bore servivit, nulla agonis ac victoriæ præmia consequatur, » quomodo non contra omnem rationem videtur ut natura- » libus vitiis atque ingenitæ libidini propter Christum caro » resistens, et virginitatem obtinens cum ingenti labore; qui » continentiæ labor utique aut major corporis quam animæ » est, aut certe utriusque æqualis est, præmiorum tempore » altera velut indigna rejiciatur, altera veniat ad coronam?

» Quæ res sine dubio aut injustitiæ alicujus Deum, aut im» possibilitatis accusat [1]. »

PAMPHILUS.

His assertionibus incipiens uti de resurrectione mortuorum, per totam voluminis sui seriem evidentissimis approbationibus usus est. In secundo vero libro ejusdem materiæ, cum prædixisset quia quasi ad Gentiles loqueretur, hujuscemodi suam sententiam declaravit.

ORIGENES.

« Nos vero post corruptionem mundi eosdem ipsos futu» ros esse homines dicimus, licet non in eodem statu, neque » in iisdem passionibus. Non enim iterum ex conventione » viri et mulieris erunt, sed, verbi gratia, ea ratio quæ con» tinet Pauli substantiam (Pauli autem nunc dico corporalis) » salva permanet, et cum voluerit Deus secundum ea quæ » dicta sunt, per sacramentum tubarum in novissima tuba » facere ut mortui resurgant, per illam ipsam substantialem » rationem quæ salva permanet, de terræ pulvere suscitantur » a mortuis ex omnibus locis ii quibus ratio illa substantiæ » corporalis in ipsis corporibus permanebat, quæ in terram » prolapsa Dei voluntate iterum suscitantur. Et hoc arbitror » asserere volentem Apostolum dixisse in prima Epistola ad » Corinthios, post assertionem resurrectionis mortuorum. » Nam cum proposuisset sibi ea quæ possent ab aliis objici » de resurrectione mortuorum, sic ait : « Sed dicit aliquis : » Quomodo resurgunt mortui? Quo autem corpore veniunt? » Stulte, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moria» tur : et quod seminas, non corpus quod futurum est se» minas, sed nudum granum, utputa tritici, aut alicujus » cæterorum. Deus autem dat illi corpus prout voluit [2] » » Cum enim manifeste ostendisset quia mortui resurgunt, » et certum esset quod Salvator noster cum ipso corpore

[1] Ex primo libro de Resurrectione. — [2] 1 Cor. xv, 35, 36, 37, 38.

» resurrexit quod susceperat ex Maria, non autem satis cla» rum esset quomodo resurrecturi essent cæteri, vel quale » corpus habituri : comparat resurrectionem seminibus quæ » seminantur in terram, utputa grano frumenti, quod cum » ceciderit in terram, corrumpitur : sed rationis illius virtus » quæ est insita in interioribus ejus medullis, ipsa rationis » virtus assumpta adjacentem sibi terram, vel aquæ humo» rem, sed et aëris circumstantem temperiem, caloris quo» que sufficientem recipiens fomitem, per divinam poten» tiam in corpus culmi vel spicæ consurgit; et hoc est quod » dicit : « Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius mo» riatur : et quod seminas, non corpus quod futurum est » seminas. » Ergo hoc quod cadit ut semen in terram cor» pus nostrum, comparatum est grano frumenti[1]. »

PAMPHILUS.

Et assertis his per hujuscemodi consequentiam, post pauca addit etiam hæc.

ORIGENES.

« Quod autem omnis illa repromissio resurrectionis mor» tuorum de hoc corpore sit quod mortuum relinquitur, » sanctæ Scripturæ multis modis hoc ostendunt. Sed et hoc » ipsa Domini nostri Jesu Christi resurrectio declarat, qui » *primogenitus ex mortuis* dicitur[2]. »

PAMPHILUS.

Post hæc, quibusdam per medium latius disputatis, adjecit etiam ista.

ORIGENES.

« Sicut enim plus habet omnis rationabilis anima his quæ » vel crescendi, vel nutriendi, vel motus solius officium » exhibere dicuntur : sic ea ratio quæ in humano corpore » est, multo amplius habet, quam quæ in reliquis est corpo» ribus, ex eo quod etiam cum corruptum fuerit corpus hu-

[1] Ex lib. II de Resurrectione. — [2] Coloss. I, 18. Apocal. I, 5.

» manum, subsistere rursum potest Dei virtute servatum et » custoditum usque ad resurrectionis suæ tempus. Quod autem ubicumque fuerit restituatur, id est, ab omni in quo » jacuerit loco, ita ait Joannes in Revelatione sua : « Et reddidit mare mortuos quos habebat in se, et mors et inferus » reddiderunt mortuos suos qui erant in eis[1]. » Forte enim, » ut ego puto, mare hic pro humido omni appellatum est » elemento; inferi autem pro aëre, mors vero pro terra. » Quasi quamdam namque cognationem his inter se invicem » habentibus, corpus nostrum *pulverem mortis* vocat Scri» ptura, vel *terram*, vel *corpus mortis*[2]. Sane qualis fue» rit uniuscujusque præparatio in hac vita, talis erit et re» surrectio ejus. Qui beatius hic vixerit, corpus ejus in » resurrectione diviniore splendore fulgebit, et apta ei man» sio beatorum tribuetur locorum. Huic vero qui in malitia » consumpsit tempus sibi vitæ præsentis indultum, tale da» bitur corpus quod sufficere et perdurare tantummodo » possit in pœnis. Et arbitror quod hanc differentiam vo» lens ostendere Paulus Apostolus, dicit : « Alia caro ani» malium, alia volucrum, alia piscium[3], » et cætera quæ » enumeravit Apostolus. Sed sicut non est putandum quod » animalium corpus accepturus sit peccator, aut volucris, » aut piscium; sic neque solis, aut lunæ, aut stellarum » sperandum est acccipere eos qui resurgunt in gloriam : » sed exempli gratia dicta esse hæc ab Apostolo sentiendum » est, ut designetur per hæc quod alii pro meritis suis hono» rabiliores et clariores erunt, beatiora quoque habitacula » sortituri : aliorum vero indignissimus et abjectissimus pro » gestorum scelere erit status, qui etiam mutis animalibus » dignus fit comparari. »

[1] Apoc. xx, 13. — [2] Psal. xxi, 16. Gen. iii, 19. Rom. vii, 24. — [3] 1 Cor. xv, 39.

PAMPHILUS.

Pauca hæc ad testimonium traximus ex multis et innumeris quæ per hujuscemodi sensum in ipsis libris quos de Resurrectione scribit exposuit. Non autem videtur absurdum ad majorem satisfactionem etiam de reliquis ejus libris consonas his vel paucas adhibere sententias. In vigesimo igitur et octavo libro de Esaia Propheta, de illo capitulo scribens, in quo dicitur : « Resuscitabuntur mor» tui, et resurgent hi qui in sepulcris sunt[1] : » ita ait.

ORIGENES.

« Melius est ergo dicere quod omnes quidem resurgemus, » ut et impii veniant in illum locum ubi fletus est et stridor » dentium[2], et ubi justi recipient, unusquisque in suo ordi» ne, secundum meritum bonorum gestorum suorum, cum » transformabitur corpus humilitatis eorum, ut sit conforme » corporis gloriæ Christi[3] : quod seminatum quidem est in » corruptione, surget vero in incorruptione ; quod semina» tum est in ignominia, surget in gloria; quod seminatum » est in infirmitate, surget in virtute, resurrectionis scilicet » tempore; et quod seminatum est corpus animale, surget » autem corpus spiritale[4]. Licet ergo omnes resurgant, et » *unusquisque in suo ordine* resurgat[5], considerandum est » tamen propter illum sermonem Joannis, quem in Revela» tione sua dicit : « Beatus qui habet partem in resurrec» tione prima, in hoc secunda mors non habet potesta» tem[6] : » ne forte dividi possit omnis resurrectionis ratio » in duas partes : id est, in eos qui salvandi sunt justos, et » etiam in eos qui cruciandi sunt peccatores : ut sit una qui» dem bonorum, quæ dicitur prima; illa vero quæ est mi» serorum, secunda dicatur : et illam quidem in omnibus » esse puram, hilarem, totius plenam lætitiæ; illam vero

[1] Isai. XXVI, 19. — [2] 1 Cor. XV, 51. Luc. XIII, 28. — [3] Philip. III, 21. — [4] 1 Cor. XV, 42 et seq. — [5] Ibid. 23. — [6] Apocal. XX, 6.

» alteram totam tristem, totam mœroris plenam, et actibus » ac vitæ eorum dignam qui in præsenti vita Dei mandata » contempserint, et judicii ejus timore neglecto, semetipsos » tradiderint in operationem totius immunditiæ et avaritiæ, » nec se præparare conati sint, ut resistere adversario pos- » sent adversum contrarias atque inimicas humano generi » potestates. Sepulcra autem mortuorum in hoc loco, sicut » et in multis aliis, secundum certiorem Scripturæ sensum » accipienda sunt, non ea solum quæ ad depositionem hu- » manorum corporum videntur esse constructa, vel in saxis » excisa, aut in terram defossa, sed omnis locus in quocum- » que vel integrum humanum corpus, vel ex parte aliqua » jacet; etiam si accidat ut unum corpus per loca multa » dispersum sit, absurdum non erit omnia ea loca in quibus » pars aliqua corporis jacet, sepulcra corporis ejus dici. Si » enim non ita accipiamus resurgere de sepulcris suis mor- » tuos divina virtute, qui nequaquam sunt sepulturæ man- » dati, neque in sepulcris depositi, sed sive naufragiis, sive » in desertis aliquibus defuncti sunt locis, ita ut sepulturæ » mandari non potuerint, non videbuntur annumerari inter » eos qui de sepulcris resuscitandi dicuntur. Quod utique » valde absurdum est [1]. »

PAMPHILUS.

Nihilominus in eo ipso libro, interjectis quibusdam, dicit.

ORIGENES.

« Cum ergo Paulus scribit, quod « sicut stella ab stella » differt in gloria, ita erit et resurrectio mortuorum [2]; » et » quod dicit : « Seminatur in corruptione, surgit in incor- » ruptione, » et cætera hujusmodi; manifeste hæc de solo » corpore scribit. Non enim anima seminata est in corrup- » tione, aut in infirmitate, aut in ignominia. Denique evi-

[1] Ex lib. XXVIII, in Isaiam. — [2] I Cor. XV, 41, 42.

» denter adjungit his omnibus, et dicit : *Seminatur corpus* » *animale*[1] ; ut ne quis putaret animam esse quæ seminatur » in corruptione, vel in ignominia, vel in infirmitate. »

PAMPHILUS.

Hæc quidem ex his libris quos in Esaiam scripsit. Non præteribimus vero neque illum locum quem de primo Psalmo disseruit, in quo etiam de resurrectione ita scripsit.

ORIGENES.

« Sicut enim eadem in nobis species permanet ab infantia » usque ad senectutem, licet characteres multam videatur » immutationem recipere, ita intelligendum est hanc spe- » ciem quæ nunc est in nobis, ipsam permansuram etiam » in futuro, plurima tamen immutatione in melius et glo- » riosius facta. Necesse est enim animam in locis corporeis » habitantem uti corporibus talibus quæ apta sint his locis » in quibus degit. Et sicut, verbi causa, si in aquis maris » nos habitare, vel degere posceret, sine dubio pro habita- » culi qualitate necessarium videretur habere talem corpo- » ris statum et compositionem, qualem habent illa animalia » quæ in aquis vivunt : ita nunc cum cœlorum habitaculum » promittatur, secundum locorum gloriam consequens est » aptandas esse etiam corporum qualitates. Nec ideo tamen » prior hæc species exterminabitur, licet gloriosior ejus » effecta sit permutatio. Sicut enim ipsius Domini Jesu, vel » Moysi, vel Eliæ species non erat alia in transformatione, » quam fuerat ante transformationem, ita non erit alia sanc- » torum species, etiamsi multo gloriosior fiat [2]. »

PAMPHILUS.

Sed et in quinto decimo psalmo exponens illum versiculum : *Insuper et caro mea requiescet in spe*[3] : de carne Domini hæc ait.

[1] 1 Cor. xv, 44. — [2] Ex Comment. in Psal. i, 5. — [3] Psal. xv, 9.

ORIGENES.

« Dominus Jesus Christus hæc dicit, cujus primum caro » requievit in spe. Crucifixus enim est, primogenitus ex » mortuis factus; et post resurrectionem assumptus in cœ- » lum, secum terrenum corpus evexit, ita ut terrerentur et » obtupescerent virtutes cœlestes videntes carnem ascen- » dentem in cœlum. De Elia enim scriptum est, quia quasi in » cœlum assumptus est [1] : et de Enoch, quia translatus est [2] : » non tamen dictum est quia ascendit in cœlum. Offendatur » qui vult ex nostro sermone; ego autem cum omni fiducia » assevero, quia sicut primogenitus ex mortuis est Christus, » ita primus carnem evexit ad cœlum. Denique novitate ipsa » perterrentur cœlestes virtutes, quia quod nunquam ante » viderant, nunc videbant carnem ascendisse in cœlum : et » propterea dicunt : « Quis est iste qui venit ex Edom, *id est,* » *a terrigenis?* Rubor vestimentorum ejus ex Bosor [3]. » Vide- » bant enim in corpore ejus vestigia vulnerum ex Bosor, id » est, in carne suscepta [4]. »

PAMPHILUS.

Et post pauca.

ORIGENES.

« Hæc propter illud quod dictum est, quoniam *caro mea* » *requiescet in spe* [5]. In qua spe? Non solum quia ex mor- » tuis resurgit, (parum enim hoc est) sed in ea spe requies- » cit, quod assumpta est in cœlum. »

PAMPHILUS.

Quid hoc evidentius et clarius ab aliquo dici potest de resurrectione carnis, quam assignavit, non solum resurrecturam a mortuis, verum etiam in cœlos, si qua tamen id meruerit, assumendam, secuturam scilicet eum qui primogenitus ex mortuis factus, primus in cœlum naturam carnis

[1] 4 Reg. II, 11. — [2] Genes. V, 24. — [3] Isai. LXIII, 1. — [4] Ex Comment. in Psal. XV, 9. — [5] Psal. XV, 9.

invexit? Quid tamen in octavo decimo psalmo exponens illum versiculum, *In ole posuit tabernaculum suum*[1], senserit, audiamus.

ORIGENES.

« Quid est quod dixit : *In sole posuit tabernaculum » suum?* Quidam quidem dicebant quod Salvator noster, » ascendens e terris in cœlum, et corpus suum assumens, » pervenit usque ad eum circulum qui solis zona nominatur, » et ibi, aiunt, posuit tabernaculum corporis sui : non enim » ultra erat possibile id progredi. Sed hæc illi ita sentiunt, » pro eo quod allegoriam nolunt in Scriptura divina reci- » pere : et ideo puræ historiæ deservientes, hujusmodi fa- » bulas et figmenta componunt. Nos vero deprecamur om- » nipotentiam Dei, ut nos dignetur audire, et secreta nobis » spiritualis intelligentiæ dignetur aperire. Quod ergo a no- » bis sentitur in hoc loco, hoc est, *In sole posuit taberna- » culum suum,* quæro quid sit tabernaculum Christi, et » quæ sit habitatio in qua tabernaculum Christi collocatur. » Habitatio tabernaculi Christi sol esse dicitur. Tabernacu- » lum vero Christi Ecclesiam esse intelligo. Solem autem » quem alium sentire debeo, nisi illud « lumen verum, quod » illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum[2]? » » Ipsum video solem, de quo dictum est, « Quia timentibus » nomen Domini orietur sol justitiæ, et sanitas in alis ejus[3]. » » In sole ergo posuit tabernaculum suum, id est, in sole » justitiæ Ecclesiam suam collocavit. In illo enim sole Ec- » clesia collocata est, qui diem æternum facit, sicut dictum » est : « Erit tibi Dominus lux æterna, et Deus gloria tua[4]. »[5]

PAMPHILUS.

Erubescant etiam illi qui et hoc de ipso non dubitaverunt concinnare figmentum, quo dicerent quia corpus vel carnem

[1] Psal. XVIII, 6. — [2] Joan. I, 9. — [3] Malach. IV, 2. — [4] Isai. LX, 19. — [5] Ex Comment. in Psalm. XVIII, 6.

Christi usque ad solem dicit evectam, et ibi esse derelictam. Hoc enim ille ab aliis dictum, non recte dictum esse confutat. Sed ostenderunt se ne hæc quidem intelligere potuisse obtrectatores ejus quæ ille ab aliis non recte dicta coarguit, et quæ sunt quæ ipse confirmat. Tum deinde etiam illi impudentiam suam retundant, qui dicunt eum corpus quidem resurgere confiteri, carnem vero negare. Desinant aliquando a maledictis, videntes eum carnem Verbi Dei cum ipso Verbo Deo in cœlo, quo Verbum ascendit, imponere.

His conjungit de suppliciis peccatorum, quæ nos quoque consequenter ad ea quæ supra dicta sunt, conjungimus, quoniam in ordine criminationum iste fuerat ordo digestus.

CAPUT VIII.

ALTERA RESPONSIO AD SEPTIMAM CRIMINATIONEM.

De pœnis peccatorum.

Ex libro secundo περὶ Ἀρχῶν.

ORIGENES.

« Ego arbitror quod sicut in corpore escæ abundantia, » et qualitas, et quantitas cibi contraria, febres generat, et » febres diversi vel modi, vel temporis, secundum eam mensuram qua intemperies collecta materiam suggerit ac fomitem febrium : quæ materiæ qualitas ex diversa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris » existit : ita anima, cum multitudinem malorum operum et » abundantiam in se congregaverit peccatorum. Competenti » tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad » supplicium, atque inflammatur ad pœnas : cum mens ipsa » vel conscientia per divinam virtutem omnia in memoriam » recipiens, quorum in se signa quædam ac formas, cum

» peccaret, expresserat, et singulorum gestorum suorum » quæ vel fœde vel turpiter gesserat, vel etiam impie com- » miserat, historiam quamdam scelerum suorum ante ocu- » los suos videbit expositam. Tunc et ipsa conscientia propriis » stimulis agitatur atque compungitur, et sui ipsa efficitur » accusatrix, et testis. Quod ita sensisse etiam Apostolum » Paulum puto, cum dicit : « Inter se invicem cogitationibus » accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judica- » bit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum, » per Jesum Christum [1]. [2] »

PAMPHILUS.

Sed et in sequentibus rursum de peccatorum pœnis hoc modo scribit.

ORIGENES.

« Multa sunt autem quæ nos latent, quæ illi sòli cognita » sunt qui est medicus animarum nostrarum. Si enim ad » corporis sanitatem pro his vitiis quæ per escam potumque » collegimus, necessariam habemus interdum austerioris ac » mordacioris medicamenti curam; nonnunquam vero, si id » vitii qualitas depoposcerit, rigore ferri et sectionis aspe- » ritate indigemus; quod si et hæc supergressus fuerit morbi » modus, ad ultimum conceptum vitium ignis exurit : quanto » magis intelligendum est, medicum nostrum Deum volen- » tem diluere vitia animarum nostrarum, quæ ex peccato- » rum et scelerum diversitate collegerant, uti hujuscemodi » pœnalibus curis, insuper etiam ignis inferre supplicium » his qui sanitatem animæ perdiderunt [3] ? »

PAMPHILUS.

Item post pauca addidit etiam hæc.

ORIGENES.

« Quoniam autem pernecessaria pœna est ea quæ per

[1] Rom. II, 15, 16. — [2] Ex lib. II, de Princip. cap. X, num. 4. — [3] Ibid. num. 6.

» ignem inferri dicitur, Esaias docens, de Israël quidem sic » dicit : « Abluet Dominus sordes filiorum ac filiarum Sion, » et sanguinem expurgabit e medio ipsorum spiritu judicii » et spiritu adustionis[1]. » De Chaldæis autem sic dicit : « Ha» bes carbones ignis, sedebis super eos : hi erunt tibi adju» torio[2]. » Et in aliis dicit : « Sanctificabit eos Dominus in » igne ardenti[3]. » Et in Malachia Propheta dicit : « Sedens Do» minus conflabit sicut aurum et argentum populum suum, » conflabit et purgabit eos, et fundet purgatos filios Juda[4]. »

PAMPHILUS.

Hæc quidem ex libris περὶ Ἀρχῶν. Innumerabilia vero dispersa sunt per omnes libros ejus assertionis hujus testimonia, quæ nos studio brevitatis omittimus, commemorantes de his solummodo, quæ in sexto psalmo de hoc ipso pœnarum genere disputavit.

ORIGENES.

« Possibile est considerare ex his maxime doloribus quos » in hoc corpore positi sentimus, qui, quamvis magni sint, » brevis certe sunt temporis, pro eo quod si paulo vehemen» tiores extiterint, continuo etiam vitæ celerem inferunt fi» nem. Denique multi, si res poposcerit, pro pietatis con» fessione in ipsis tormentis animam reddunt : alii vero in » ipso jam coronæ aditu positi denegant fidem, quam usque » ad mortem proposuerant confiteri. Et hoc non utique di» minutione propositi patiuntur, sed vi doloris nimia et into» lerabili superati. Si ergo in hac præsenti vita tam intolerabi» les sunt pœnarum dolores, quid putandum est tunc cum » non jam crassiore anima utetur indumento; sed cum id » spirituale effectum ex resurrectione recipiet, et eo vehe» mentius utique, quo subtilius est, sentiet vim doloris ? Puto » enim quod quanta differentia est in præsenti sæculo nu» dum verberari quam vestitum, ad persentiendum scilicet

[1] Isai. IV, 4. — [2] Id. XLVII, 14. — [3] Id. X. 17. — [4] Malach. III, 3.

» cruciatum, eo quod vehementius nudum corpus crucient » verbera quam vestitum : tantam puto ſuturam differen- » tiam doloris, cum corpus humanum, crassitudinis hujus » indumento deposito, velut nudum cœperit sustinere tor- » menta [1]. »

PAMPHILUS.

Sufficere arbitror etiam ad hujus criminationis calumniam propulsandam, pauca hæc de ejus libris testimonia protulisse, quæ innumera sparsim per libros ejus manifestum est contineri.

Nunc ad ea etiam per nos ipsos respondebimus, quæ ei de anima objiciunt, id est, quod ante corpus eam factam dicat existere. Sciens namque etiam istud dogma de anima non aperte neque manifeste haberi in Ecclesiastica prædicatione, sicubi occasionem aliquam vel suspicionem potius disputandi ei Scripturæ sermo suggessit, discutiens et pertractans ea quæ sensui ejus occurrerant, discernenda hæc legentibus exposuit et probanda, non manifesto dogmate, vel Scripturarum sententiam suam auctoritate definiens, frequenter et illud addens : « Si tamen habere videtur aut » probatur aliquid consequentiæ sermo is quem de anima » tractavimus. » Denique in tam multis et tam diversis ejus libris nusquam omnino invenitur ab eo liber proprie de Anima conscriptus, sicut habet vel de Martyrio, vel de Oratione, vel de Resurrectione. Nusquam prorsus librum proprie de Anima scriptum edidit; sed in diversis locis, sicut superius diximus, incurrentes sibi opiniones ex Scripturæ occasionibus disserebat : quod potius maximi signi reverentiæ ejus ac timoris in divinis dogmatibus esse deberet, quod tanti sensus vir, et tantæ prudentiæ, cum utique magister esset Ecclesiæ, et tanta ab eo dicta scriberentur, non est ausus id sibi auctoritatis assumere, ut proprie de Anima

[1] Ex Comment. in Psal. VI.

librum ederet scriptum. Proculdubio hæc observatio ejus illud indicat, quod nihil audebat de hac re manifesto dogmate confirmare.

Denique in eo libro quem in Epistolam Apostoli ad Titum scribit, hæreticum describens, et animæ faciens mentionem, hæc dicit.

CAPUT IX.

RESPONSIO AD OCTAVAM CRIMINATIONEM.

De anima.

ORIGENES.

« Sunt vero et alia quædam dogmata, quæ in Apostolicis » traditionibus non habentur, de quibus requires si oportet » eos qui quodlibet de his sentiunt vel pertractant, hæreticos putandos, ut puta, verbi causa, dixerim, si quis rationem humanæ animæ inquirat, cum de ea neque quod ex » seminis traduce ducatur, neque quod honorabilior et antiquior corporum compage sit, tradiderit ecclesiastica regula. Propter quod multi nec comprehendere potuerunt » qualiter sentiri oporteret de animæ ratione ; sed et qui » aliquid sentire vel disserere visi sunt, a nonnullis in suspicione habentur velut novi aliquid introducentes [1]. »

PAMPHILUS.

Deinde post pauca ait.

ORIGENES.

« Sed et tu ipse apud temetipsum discutiens considera si » oportet eum qui quolibet modo de his opinatur vel hæreticum, vel Ecclesiasticum temere definiri, aut si non est » periculosum de eo pronuntiare, quoniam et ipse *perversus* sit et peccet, et sit *a semetipso damnatus* [2] : quod de

[1] Ex Comment. in Epist. ad Titum. — [2] Tit. III, 11.

» hæreticis dicitur, si quis forte ex his quæ supra diximus, » quamlibet opinionem, licet novam et quamplurimis pere-» grinam, videatur inducere. »

PAMPHILUS.

Hæc quidem ipse in eo libro quem supra diximus scribit. Nos vero his adjungimus etiam ista quæ nobis ipsa æquitas videtur exposcere. Si manifeste Ecclesia traderet vel prædicaret contraria his quæ ille sensit, sine dubio velut contrarius, et resistens statutis Ecclesiasticis merito culparetur. Nunc vero cum diversitas sit apud omnes Ecclesiasticos, et alii alia de anima sentiant, et omnes diversa, quomodo hic magis quam cæteri incusandus est, maxime cum ea quæ a reliquis affirmantur, multo magis et absurda videantur, et sibi ipsa contraria? Quidam enim opinantur præparatis jam in ventre mulierum deformatisque corporibus, tunc ad præsens creari animas, et inseri deformato jam corpori. Hæc vero sentientes, præter hoc quod manifestas probationes ex sanctis Scripturis adhibere non possunt, insuper etiam injustitiam quodammodo Conditoris accusant, quod non æqualiter omnes utantur, id est, æquas vitæ conversationes tribuat omnibus. Statim enim ut creata fuerit anima, cum nihil utique adhuc in se culpæ commiserit, inseritur interdum, si ita acciderit, cæco corpori, vel alias debili; aliæ vero sanis corporibus et firmioribus; et aliis quidem multum vitæ tempus tribuitur, aliis vero brevissimum; ita ut interdum simul ut natæ fuerint, exturbentur e corpore; et aliæ quidem ad conversationem agrestem quamdam et barbaram, et ubi ex nulla nihil humani aut honesti est, et super omnia ubi paternæ superstitionis impietas obtinet, diriguntur; aliæ vero ad viros honestos, sobrios, humanos, ubi et humanarum legum observatio viget; interdum etiam ad parentes religiosos, ubi educatio nobilis et honesta, ubi etiam eruditio rationabilis, transmittuntur. Quomodo igitur

assertores eorum in talibus divinam providentiam recte omnia dispensantem et æqua lance moderantem, tanquam boni et justi Dei poterunt assignare? Jam vero illi qui ex traduce animas venire affirmant, et simul cum corporali eas semine seminari : siquidem (ut quidam ipsorum affirmare solent) non aliud dicunt animam esse quam insufflationem Spiritus Dei, illam scilicet quam initio facturæ mundi Deus dicitur insufflasse in Adam [1], de ipsa Dei esse eam substantia profitentes : quomodo non et isti videbuntur quodammodo hæc præter Scripturæ regulam et rationem pietatis asserere, quod substantia Dei est quæ peccat, si anima quæ de substantia Dei est peccat; insuper etiam quod et pœnis subdendasit pro peccato? Sed et illud se (quod perabsurdum est) incurrere non vident, quia necesse est eam simul cum corpore mori, et esse mortalem, si simul cum corpore vel seminata, vel formata, vel nata est. Tum deinde illi qui unam quidem ex nullis substantibus a Deo factam esse dicunt animam, id est, illam quæ prima facta est in Adam, et ex ea jam omnium hominum animas existere, et secundum corporalem sine dubio successionum traducem quoque fieri animarum, etiam ipsi quid aliud ostendunt, nisi animas esse mortales? Si enim sicut animalia cætera ex solo semine oriuntur, ita etiam de hominibus sentiamus, ut cum corpore simul in eodem semine etiam anima diffundatur, quid dicimus de his qui imperfecti adhuc et de ventre aborsi sunt, et qui nonnunquam etiam antequam vasculorum naturalium receptaculis semina sint suscepta, depereunt? In quibus sine dubio invenietur, quod simul etiam illæ quæ naturali ratione seminibus insertæ inerant animæ, extinctæ sint pariter et corruptæ. Sive ergo ex insufflatione Dei sint, sive ab una illa quæ prima facta est, necessario simul cum corporibus corrumpentur, si eamdem

[1] Genes. II, 7.

cum corporibus etiam originem sumunt secundum ipsorum rationem. Aut enim nihil omnino ex rationabili atque immortali anima participavit illud quod adhuc in ventre corruptum est; et repulsa illa ratio est quæ affirmat eam in seminis traduce simul cum corporibus seminatam : aut si participat, necessitas imminet confiteri mortalem esse animam : quod fides utique nostra non recipit. Verumtamen quid est quod ex his omnibus ostendi volumus? Illud profecto, quod sicut eos qui unam quamlibet de his quas supra exposuimus, opinionem veram putant, non recta ratione hæreticos quis appellat, pro eo quod neque ex divinis Scripturis certi aliquid de his vel manifeste dictum esse videatur, neque in prædicatione Ecclesiastica contineri : ita neque hunc virum culpari justum est, disserentem quod sibi visum est, maxime cum illud præcipue servaverit quod in Ecclesia de animæ confessione servari omnimodis debet, id est, ne diversas naturas esse diceret animarum : quinimo et dicentes redarguit, et vehementi assertione convincit. Ipse autem fatetur unius substantiæ omnes esse animas, et immortales ac rationabiles, liberi arbitrii ac voluntatis : judicandas quoque esse pro his quæ in hac vita gesserunt : esse tamen eas factas a Deo, qui universa creavit et condidit. Quando autem factæ sint, olim simul, aut nunc per singulos nascentium, quid periculi est alterum e duobus opinari? Sed aliter respondere possibile est, ut omnis penitus culpandi aditus excludatur. Sicut enim de luminaribus cœli diversa singuli, etiam ipsi qui sunt in Ecclesiis, sentiunt; aliis quidem opinantibus esse animantia, et rationabilium animantium; aliis vero putantibus quod irrationabilia sint, imo vero quod non solum anima, sed et omni sensu penitus careant, et sola sine spiritu ac sensu sint corpora : nemo tamen merito alterum eorum qui hæc ita diverse sentiunt, hæreticum dixerit, propterea quod non aperte de his tradi-

tum est in Apostolica prædicatione : ita etiam eos qui de humana anima dubitant, et de initio ejus vel origine diversa opinantur, non est rectum hæreticos pronuntiare, maxime cum in reliquis Ecclesiasticæ doctrinæ regulis quod rectum est et catholicum teneant.

Novissima criminatio est μετενσωματώσεως, hoc est, transmutationis animarum. Ad quod, sicut in cæteris fecimus, ipsius qui accusatur respondebimus verbis : illud primo pernecessario commonentes, quia accusatores ejus non intelligentes qualiter ab eo de ista quæstione tractatum sit, vel quod ratio disputationis ita se habeat, ut non semper sola velut ex persona pronuntiari videantur quæ dicuntur, sed interdum etiam ea quæ e contrario dici poterunt, disputentur : et hanc esse artem disputandi non advertentes, objiciunt ei de hoc dogmate, quod quasi ipse senserit ea quæ ex adversantis persona disseruit. Denique quod discutiendi hæc et non confirmandi dixerit causa, ipse per ea quæ post tractatum rei ipsius adjecit, ostendit hoc modo dicens.

ORIGENES.

« Sed hæc, quantum ad nos pertinet, non sint dogmata; » sed discussionis gratia dicta sint, et abjiciantur. Pro eo » autem solo dicta sunt, ne videatur quæstio mota, non esse » discussa[1]. »

PAMPHILUS.

Sed hæc in eo loco dixit, in quo de animabus animalium requirebat, non de transmutatione animarum. De animarum vero transmutatione in septimo libro in Evangelium secundum Matthæum ita scribit.

[1] Vide notas lib. I de Princip. cap. VIII, not. I.

CAPUT X.

RESPONSIO AD NONAM CRIMINATIONEM.

De transmutatione animarum.

ORIGENES.

» Quidam quidem opinati sunt ex eo quod dictum est : *Ipse* » *est Elias qui venturus est*[1] *:* animam Eliæ eamdem fuisse » quam Joannis. Quod enim dixit, *Ipse est Elias,* non ad » aliud, sed ad animam referendum putarunt, et ex hoc pene » solo sermone dogma introduxerunt μετενσωματώσεως, id est, » transmutationis animarum, quasi etiam ipso hoc Jesu » confirmante. Sed oportuerat intueri, quia si hoc verum » esset, in multis utique Prophetarum vel Evangeliorum » scriptis simile aliquid inveniri deberet. Tum deinde etiam » ille sermo qui huic adjungitur, ostendit secretiorem quem» dam et arcanum sensum in his quæ dicta sunt requiren» dum, magis quam ea quæ illi secundum litteræ solius in» telligentiam susceperunt, cum dicit : *Qui habet aures* » *audiendi, audiat*[2]. Addendum autem et illud, id est, quia » si pro peccatis, secundum quod ipsi sentiunt, transmuta» tio fiat animarum, propter quæ peccata Eliæ anima trans» mutata est in Joannem, qui ab ipso Angelo nasciturus » prænuntiatur, a quo et Jesus Salvator noster? Quomodo » ergo non evidentissimum hoc mendacium est, ut ille qui » tam perfectus fuit, ut ne communem quidem istam mor» tem gustaret, veniret ad transmutationem animæ, quæ » secundum illorum assertionem non potest accidere nisi » ex peccatis? Deinde quomodo hoc exponent quod dictum » est ad Joannem : *Tu Elias es? Et dicit* : *Non sum*[3]. Sed » ut ostendatur convenire hoc etiam illi verbo quod dixit » Dominus : *Si vultis suscipere, ipse est Elias qui venturus*

[1] Matth. xi, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Joan. i, 21.

» *est*[1] *:* hoc quod dixit, *Elias ipse est,* referendum est ad » spiritum et virtutem ipsius Eliæ. Joannes enim processit » *in spiritu et virtute Eliæ convertere corda patrum ad* » *filios*[2]. [3] »

PAMPHILUS.

De eo ipso, ex undecimo libro de Evangelio secundum Matthæum.

ORIGENES.

» Hi quidem qui alieni sunt a catholica fide, transferri » animas ex humanis corporibus in corpora animalium pu- » tant, secundum differentiam peccatorum. Nos vero qui » hoc nusquam cautum invenimus in divina Scriptura, di- » cimus quia per multam vitæ negligentiam humana pru- » dentia, cum fuerit inculta atque neglecta, efficitur velut » irrationabile pecus per imperitiam vel negligentiam, non » per naturam. Similiter autem et hi qui tales fuerint effecti » ex propositi sui negligentia qua erudiri neglexerint, si » eruditioni se atque exercitio rationabili dediderint, ratio- » nabiles efficiuntur atque prudentes : sicut scriptum est » de illis Evangelicis canibus qui manducabant *de micis* » *quæ cadunt de mensa dominorum suorum*[4] *:* ex quibus » conversa Chananæa facta est Dei filia, secundum quod » dicit ad eam Salvator : *O filia, magna est fides tua*[5]. Si- » cut enim virtus animi confert unicuique ut sit filius Dei : » ita malitia mentis et verborum insania atque impudentia » facit unumque, secundum auctoritatem Scripturæ, ap- » pellari canem. Similiter autem intelligendum est etiam » de cæterorum animalium mutorum appellationibus [6]. »

PAMPHILUS.

De eodem, ex tertio decimo libro ex Evangelio secundum Matthæum.

[1] Matth. xi, 14. — [2] Luc. i, 17. — [3] Ex lib. vii, Comment. in Matth. — [4] Matth. xv, 27. — [5] Ibid. 28. — [6] Ex lib. xi Comment. in Matth. num. 17.

ORIGENES

» In his Elias, non anima Eliæ dici mihi videtur, uti ne » incurramus in dogma alienum ab Ecclesia Dei de trans- » mutatione animarum, quod nec ab Apostolis traditum est, » nec usquam in Scripturis cautum est. Contrarium nam- » que est his quæ dicta sunt ab Apostolo : *Quoniam quæ » videntur temporalia sunt*[1], et ubi est hoc quod omnes » Scripturæ confirmant, quod præsens sæculum finiendum » est[2]. Sed nec illud poterit stare quod dictum est : *Cœlum » et terra transibunt*[3]; neque illud quod dicit Apostolus : » *Transibit enim habitus hujus mundi*[4]: et illud : *Cœli » peribunt*[5], et ea quæ sequuntur. Si enim, (ut aiunt auc- » tores hujus dogmatis) nemo potest in id initium restitui, » quod primo fuit ab initio mundi usque ad finem, qua ex » causa immutari animam vel transferri secundo vel tertio » opus est, vel frequenter ? Hoc enim modo reddi delicta » uniuscujusque perhibent, et pœnas lui, si in diversa cor- » pora frequentius transmittantur. Quod utique superfluo » fiet, si finis nullus emendationis occurrat, nec erit un- » quam quando non anima transferatur. Et si semper pro » delictis animabus ad corpora diversa redeundum est, quis » unquam mundo dabitur finis, ut impleatur illud quod » dictum est : *Cœlum et terra transibunt*[6]? Quod et si con- » cedatur, verbi gratia, ut sit aliquis sine peccato, quem » jam non sit necesse revolvi in corpus, per quot tompora » putabimus inveniri unam fortasse vix animam quæ peni- » tus pura sit, nec permutatione corporis indigeat? Quod » et ipsum si concedatur, rursum contrarium suum dogma » efficitur. Si enim demus paucas quasque animas per sin- » gulos ad perfectionem posse restitui, ita ut ultra in cor- » pora venire non indigeant, necesse est (licet per infinita

[1] 2 Cor. IV, 18. — [2] Matth. XIII, 39. — [3] Id. XXIV, 35. — [4] 1 Cor. VII, 31. — [5] Psalm. CI, 27. — [6] Matth. XXIV, 35.

» sæcula et immensa tempora) singulis quibusque animabus ad perfectionem restitutis, cessare jam usum corporum, et per hoc finem mundum recipere ac resolvi. Non tamen ita videtur sanctæ Scripturæ, quæ dicit multitudinem peccantium relinquendam esse in fine sæculi. Quod ex eo manifestissime indicatur quod in Evangelio scriptum est : « Verumtamen putas veniens Filius hominis inveniet fidem super terram [1]? Sicut enim in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis [2]. [3] »

PAMPHILUS.

Et posteaquam de Scripturis multa disseruit, ipse jam suam sententiam hoc modo declarat.

ORIGENES.

« Erit autem his qui tunc erunt vindicta, non ex transmutatione animarum : non enim jam ad peccandum locus erit : sed alia genera erunt pœnæ. Transmutatio namque corporum pœnam non faciet peccatorum, ita ut nulla extrinsecus putentur inferri supplicia : quin potius est peccatoribus pœnarum modus, id est, ut pro his quæ in hoc mundo gesserunt, pœnam recipiant delictorum. Manifestum tamen est quod istæ singulæ rationes his qui possunt rei consequentiam diligenter advertere, contrariæ sunt huic dogmati quo perhibentur animæ transmutari. Quod si Gentilium auctores sequi volunt qui opinionem istam ex principiorum suorum consequentia persecuti sunt, dicentes cum hæc fiant, sine dubio nunquam mundum istum posse finiri : consequens est eos qui hæc sentiunt, Scripturæ nostræ non credere, quæ manifestissime pronuntiat finem mundi futurum, et non exquirere in ipsis Scripturis expositiones, sive assertiones ineptas et inconsequentes, ex quibus nullo genere ostendi potest quod

[1] Luc. XVIII, 8. — [2] Matth. XXIV, 37. — [3] Ex lib. XIII Comment. in Matthæum, num. 1.

» secundum Scripturas nostras nunquam sæculi finis futu-
» rus sit. [1]»

PAMPHILUS.

De eadem re, ex libro de Proverbiis Salomonis.

ORIGENES.

« Videtur autem mihi et illa assertio quæ transformari » animas de corporibus in alia corpora asseverat, perve- » nisse etiam in aliquos eorum qui Christo credere viden- » tur, ex quibusdam Scripturæ sanctæ occasionibus, non » intelligentes quomodo intelligi debeant quæ scripta sunt. » Non enim advertunt quomodo homo efficiatur aut pullus, » aut equus, aut mulus; et putaverunt transmutari huma- » nam animam in pecudum corpora, ut æstimarent quod » aliquando serpentis suscipit corpus, vel viperæ, aliquando » equi, vel reliquorum animalium. Jam ergo consequens » est et hoc illos dicere debere, quod Diabolus, qui leo in » Scripturis dicitur [2], corpore leonis utatur, aut draconis » carnibus, cum draco nominatur [3]. Ita erit ut secundum » illos transmutatio ista animarum perveniat et in dæmo- » num naturam, ut sit aliquando vel leo vel draco animam » habens Diabolum [4]. »

PAMPHILUS.

Et paulopost.

ORIGENES.

» Sed superfluæ sunt istæ omnes adinventiones. Mani- » festum est enim quod una pœna, tam dæmonum naturæ, » quam humano generi, peccatorum a Domino præfinita » sit, illa quam Dominus ipse sua sententia designavit di- » cens : *Ite in ignem æternum, quem præparavit Deus* » *Diabolo et angelis ejus* [5] : ostendens quia eadem species

[1] Ex eodem loco in Matthæum. — [2] Psal. xc, 13. 1 Petr. v, 8. — [3] Psal. ciii, 16. Apoc. xii, 3 et seq. — [4] Ex Comment. in Proverbia Salomonis.— [5] Matth. xxv, 41.

» pœnarum peccatoribus hominibus, et Diabolo, et angelis » ejus præparata sit, licet in eadem pœna diversa sit quantitas pœnæ. Alius enim gravius ac vehementius cruciatur » pro magnitudine peccatorum : alius autem remissius, » cujus leviora et faciliora peccata sunt. »

RUFINI EPILOGUS

IN APOLOGETICUM S. PAMPHILI

AD MACHARIUM,

SEU LIBER

DE ADULTERATIONE LIBRORUM ORIGENIS.

In his quæ in superiori libro secundum Apologeticum sancti martyris Pamphili, quem pro Origene græco sermone edidit, prout potuimus, vel res poposcit, latino sermone digessimus, illud est quod te, desideriorum vir Machari, admonitum esse volo, ut scias hanc quidem fidei regulam, quam de libris ejus supra exposuimus, esse quæ et amplectenda sit et tenenda. In omnibus enim his catholicum inesse sensum evidenter probatur. Inveniri tamen in ejus libris quædam ab his non solum diversa, sed nonnunquam etiam contraria, et ea quæ veritatis regula non admittit agnosce, quæ nos quoque nec recipimus, nec probamus. Sed hoc unde acciderit, opinionem quæ ad nos usque pervenit, ne a te quidem, vel ab his qui quod verum est scire cupiunt, celari volo : si qui tamen sunt qui audientes id quod verum est, et quod ipsa ratio indicat, acquiescant, et obtrectandi studio non quodvis malint verum esse, quam id quod eis obtrectandi materiam perimat. Dubitari non puto quod hoc nullo genere fieri potuit, ut vir tam eruditus, tam

prudens, et certe (quod indulgere etiam accusatores ejus possunt) vir qui neque stultus, neque insanus fuerit, ipse sibi contraria et repugnantia suis sententiis scriberet. Aut etiam si ullo genere concedamus hoc accidere potuisse (fortassis enim dicit aliquis, quia ea quæ in prima ætate conscripsit, potest fieri ut oblivisceretur in ætate vergenti, et aliter quam aliquando senserat, post proferret) quid faciemus quod interdum in eisdem locis, atque, ut ita dixerim, in consequenti pene capite, sententia contrarii sensus invenitur inserta? Numquid in eodem opere ejusdem libri; interdum, ut diximus, statim in consequenti capitulo, oblitus sui esse potuit? verbi causa, ut qui superius dixerat, nusquam inveniri in omni Scriptura, ubi Spiritus sanctus factus vel creatus esse diceretur, continuo subjiceret inter cæteras creaturas factum esse Spiritum sanctum? aut iterum qui Patrem et Filium unius substantiæ, quod græce ὁμοούσιον dicitur, designavit, in consequentibus statim capitulis alterius esse substantiæ, et creatum poterat dicere eum quem paulo ante de ipsa natura Dei Patris pronuntiaverat natum? Vel iterum de resurrectione carnis, qui tam evidenter pronuntiavit naturam carnis in cœlum ascendisse cum Verbo Dei, atque inibi cœlestibus apparuisse Virtutibus novum et admirandum eis sui visum præbentem, possibile erat ut hanc iterum diceret non esse salvandam? Quia ergo hæc incidere ne in eum quidem poterant qui vel mente motus, vel cerebro esset insanus, quid sit in causa, quam possum breviter edocebo. Quanta sit hæreticorum temeritas, quam nihil his sancti, nihil pensi sit, facile intelligi datur ex his quæ frequenter et ausi sunt et convicti. Nam sicut patri ipsorum Diabolo ab initio falsare verba Dei, atque inflectere a suo ordine, et sui veneni interserere virus studium fuit : ita et istis successoribus suis hanc suæ artis hæreditatem reliquit. Denique cum dixisset Deus ad Adam : « Ex omni ligno pa-

» radisi manducabitis[1] : » ille cum vellet Evam decipere, liberalitatem Dei omnia edere permittentem, una tantummodo interjecta syllaba, in quantas coarctavit angustias? Ait enim : « Quid est quod dixit Deus, ut ex omni ligno paradisi non manducetis[2] » Quo scilicet per hoc grave esse præceptum Dei apud hominem conquerens, prævaricationem præcepti facilius persuaderet. Hæc exempla patris sui, atque hanc artem magistri sui secuti hæretici, quoscumque veterum nobilium Tractatorum invenerunt de his, quæ ad gloriam Dei pertinent, plene et fideliter disputasse, ita ut ex lectione ipsorum unusquisque fidelium proficere possit et instrui, non pepercerunt scriptis eorum dogmatum suorum venenatum virus infundere, sive interpolando quæ dixerant, sive quæ non dixerant inserendo, quo facilius videlicet sub nomine doctissimi cujusque et nobilis inter scriptores ecclesiasticos viri hæresis suæ astrueretur assertio, ex eo quod ita sensisse etiam aliqui de claris viris et catholicis viderentur. Et horum manifestissimas inter græcos scriptores ecclesiasticos probationes tenemus. Et quamvis quamplurimi sint ex veteribus in quorum libris hujuscemodi deprehenditur adulterium, paucorum tamen sufficit adhibere testimonia, ex quibus facilius quid etiam Origenis libris acciderit, agnoscatur.

Clemens Apostolorum discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ post Apostolos et episcopus et martyr fuit, libros edidit, qui græce appellantur Ἀναγνωρισμός, id est, *Recognitio* : in quibus cum ex persona Petri Apostoli doctrina quasi vere Apostolica in quamplurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomii dogma inseritur, ut nihil aliud quam ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creatum de nullis extantibus asseverans. Tum deinde etiam illud adulterii inseritur genus, ut naturam Diaboli cæterorumque dæmonum non

[1] Genes. II, 16. — [2] Id. III, 1.

propositi voluntatisque malitia, sed excepta ac separata creaturæ produxerit qualitas, qui utique in cæteris omnem rationabilem creaturam docuerit liberi arbitrii facultate donatam. Sunt etiam alia nonnulla libris ejus inserta, quæ Ecclesiastica regula omnino non recipit. Quid, quæso, de his sentiendum est? Quod Apostolicus vir, imo pene Apostolus (nam ea scribit quæ Apostoli dicunt), cui Paulus Apostolus testimonium dedit, dicens : « Cum Clemente, et » cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro » vitæ[1] : » scribebat hoc quod libris vitæ contrarium est? An id potius credendum est quod supra diximus, quod perversi homines ad assertionem dogmatum suorum sub virorum sanctorum nomine, tanquam facilius credenda, interseruerunt ea quæ illi nec sensisse nec scripsisse credendi sunt?

Clemens quoque alius, Alexandrinus presbyter, et magister illius Ecclesiæ, in omnibus pene libris suis Trinitatis gloriam atque æternitatem unam eamdemque designat, et interdum invenimus aliqua in libris ejus capitula, in quibus Filium Dei creaturam dicit. Numquid credibile est de tanto viro, tam in omnibus catholico, tam erudito, ut vel sibi contraria senserit, vel ea quæ de Deo, non dicam credere, sed vel audire quidem impium est, scripta reliquerit?

Dionysius quoque Alexandrinus episcopus, eruditissimus assertor Ecclesiasticæ fidei, cum in quamplurimis in tantum unitatem atque æqualitatem Trinitatis defendat, ut imperitioribus quibusque etiam secundum Sabellium sensisse videatur : in his tamen libris suis quos adversum Sabellii hæresim scripsit, talia inveniuntur inserta, ut frequenter Ariani auctoritate ipsius se defendere conentur. Propter quod et sanctus episcopus Athanasius compulsus est Apologeticum pro libris ejus scribere, pro eo quod certus erat

[1] Philip. IV, 3.

non illum diverse potuisse sentire, sibique ipsi contraria scribere, sed quod inserta hæc a malevolis nosset.

Et hæc quidem nos ducti rei ipsius consequentia, de sanctissimis viris et Ecclesiæ doctoribus sensimus, quo scilicet non putemus eos sanctos qui rectam et Ecclesiasticam fidem in quamplurimis astruxerunt, in aliquibus sibimetipsis adversa sensisse. De Origene vero, in quo similiter, ut in his quos supra diximus, aliqua diversitas invenitur, istud non sufficiat sentire quod de præjudicatis jam catholicis sentitur vel intelligitur viris ; nec similis causæ similis sufficiat excusatio, nisi et ipsius hoc conquerentis et deplorantis scriptis atque vocibus probemus. Quid enim ipse dum adhuc esset in carne vivens, sentiens vidensque perpessus sit de librorum suorum, vel sermonum corruptionibus, vel adulterinis editionibus, ex ipsius Epistola, quam scribit ad quosdam charos suos Alexandriam, evidenter docetur : et per hoc quæ sit causa quod in ipsius scriptis quædam sibi contraria inveniantur, agnosces.

De adulteratione vel corruptione librorum suorum ex libro Epistolarum Origenis quarto.

Epistolæ scriptæ ad quosdam charos suos Alexandriam.

ORIGENES.

« Quidam eorum qui libenter habent criminari proxi-
» mos suos, ascribunt nobis et doctrinæ nostræ crimen blas-
» phemiæ, quod a nobis nunquam audierunt : de quo ipsi
» viderint, nolentes observare mandatum illud quod dicit,
» quia *maledici regnum Dei non possidebunt* [1], dicentes
» me, patrem malitiæ ac perditionis, et eorum qui de regno
» Dei ejiciuntur, id est, Diabolum, dicere esse salvandum :
» quod ne aliquis quidem mente motus, et manifeste insa-
» niens dicere potest. Sed nihil mirum mihi videtur, si adul-

[1] 1 Cor. vi, 10.

» teretur doctrina mea ab inimicis meis, et tali adulterio
» corrumpatur, quali adulterio corrupta est Epistola Pauli
» Apostoli. Quidam enim sub nomine Pauli falsam Episto-
» lam conscripserunt, ut conturbarent Thessalonicenses,
» quasi instaret dies Domini, et seducerent eos. Propter
» hanc ergo Epistolam in secunda Epistola quam ad Thes-
» salonicenses scribit, hæc dixit : « Rogamus autem vos,
» fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nos-
» træ congregationis in ipsum, ut non moveamini cito a
» sensu vestro neque terreamini, neque per spiritum, neque
» per verbum, neque per Epistolam tanquam per nos mis-
» sam, quasi instet dies Domini. Nemo vos seducat ullo
» modo [1]. » Talia ergo quædam video etiam nobis accidere.
» Nam quidam auctor hæreseos, cum sub præsentia multo-
» rum habita inter nos fuisset disputatio, et descripta, ac-
» cipiens ab his qui descripserant codicem, quæ voluit addi-
» dit, et quæ voluit abstulit, et quod ei visum est permutavit,
» circumferens tanquam ex nomine nostro, insultans, et
» ostendens ea quæ ipse conscripsit. Pro quibus indignan-
» tes fratres qui in Palæstina sunt, miserunt ad me Athe-
» nas hominem qui acciperet a me ipsum authenticum
» exemplar, quod ne relectum quidem vel recensitum a me
» antea fuerat, sed ita neglectum jacebat, ut vix inveniri
» potuerit. Misi tamen, et sub Deo teste loquor, quoniam
» cum convenissem illum ipsum qui adulteraverat librum,
» arguens quare hoc fecisset, velut satisfaciens mihi respon-
» dit: Quoniam magis ornare volui disputationem illam,
» atque purgare. Videte quali purgatione disputationem
» nostram purgavit. Tali nempe, quali purgatione Marcion
» Evangelia purgavit, vel Apostolum; vel quali successor
» ejus post ipsum Appelles. Nam sicut illi subverterunt
» Scripturarum veritatem : sic et iste, sublatis quæ vere

[1] 2 Thess. II, 1, 2, 3.

» dicta sunt, ob nostri criminationem inseruit quæ falsa
» sunt. Sed licet homines hæretici et impii sint qui hæc fa-
» cere ausi sunt, tamen habebunt et illi judicem Deum,
» qui talibus adversum nos criminationibus accommodant
» fidem. Fecerunt hoc et alii nonnulli conturbare volen-
» tes Ecclesias. Denique in Epheso cum vidisset me qui-
» dam hæreticus, et congredi noluisset, neque omnino os
» suum aperuisset apud me, sed nescio qua ex causa id fa-
» cere vitasset, postea ex nomine meo et suo conscripsit
» qualem voluit disputationem, et misit ad discipulos suos,
» ut ego quidem cognovi ad eos qui Romæ erant pervenisse :
» sed non dubito quin et ad alios qui per diversa loca sunt.
» Insultabat autem et apud Antiochiam, priusquam ego il-
» luc venirem; ita ut et ad quamplurimos nostrorum per-
» veniret ipsa disputatio quam portabat. Sed ubi affui, mul-
» tis cum præsentibus argui. Cumque jam sine ullo pudore
» pertenderet impudenter asserere falsitatem, poposci ut
» liber deferretur in medium, et stylus meus agnoseretur
» a fratribus, qui utique cognoscunt quæ soleo disputare,
» vel quali soleo uti doctrina. Qui cum ausus non esset pro-
» ferre librum, convictus ab omnibus et confutatus est fal-
» sitatis : et ita persuasum est fratribus ne aurem crimina-
» tionibus præberent. Si quis ergo vult credere mihi in con-
» spectu Dei loquenti ; etiam de his quæ in Epistola mea
» conficta sunt et inserta credat. Sin autem quis non cre-
» dit, sed vult de me male loqui, mihi quidem nihil damni
» confert : erit autem ipse falsus testis apud Deum, adver-
» sus proximum suum testimonium falsum vel dicens, vel
» dicentibus credens. »

RUFINUS.

Hæc ipse adhuc superstes conqueritur, quæ scilicet per semetipsum deprehendere potuit adulterata esse in libris suis atque falsata. Meminimus sane etiam in alia ejus Epi-

stola similem nos de librorum suorum falsitate legisse querimoniam : cujus Epistolæ exemplar in præsenti non habui, ut etiam ipsius testimonium his pro fide veritatis adjungerem. Sed sufficere arbitror ad satisfaciendum his qui non contentionis atque obtrectationis studio, sed amore veri audiunt quæ dicuntur. Nam quod in veteribus sanctis ac præjudicatis catholicis viris, quorum superius fecimus mentionem, solo argumento ex rerum consequentia, ac recti tenore præsumpto ostenditur ac probatur, quod si quid in libris eorum contra Ecclesiasticam fidem invenitur, id insertum ab hæreticis potius quam ab his scriptum putetur : hoc in Origene non argumento solum simili ut in illis, sed testimonio querimoniarum suarum ex suis scriptis prolato, absurdum non puto si credatur, ne velut stultus aliquis aut insanus contraria sibi scripsisse videatur.

De hæreticorum vero temeritate, quia credi istud scelus facile possit, illa res maximum credulitatis præstat exemplum, quod abstinere impias manus ne a sacrosanctis quidem Evangelii vocibus potuerunt. Apostolorum vero vel Actus, vel Epistolas qualiter polluerint, qualiter corroserint, qualiter in omnibus maculaverint, vel addendo impia, vel auferendo quæ pia sunt, si quis vult plenius scire, ex his libris Tertulliani, quos adversum Marcionem scripsit, plenisime recognoscet. Quid ergo jam erit magnum, si Origenis scripta temerarunt hi, qui Salvatoris Dei nostri dicta ausi sunt temerare ? Nec sane diversitas dogmatum alicui assertionis nostræ deneget fidem, quod alterius hæresis fuerint illi qui Evangelia depravarunt; ad alteram vero hæresim respiciant ista quæ dicimus Origenis libris inserta. Cognoscat qui de his dubitat, quod sicut in omnibus sanctis est Spiritus Dei, sicut et Apostolus dicit, quia « spiritus » Prophetarum Prophetis subjectus est[1] : » qui et iterum

[1] 1 Cor. xiv, 32.

ait, quod «omnes unum spiritum potavimus [1] : » ita et in hæreticis unus est Diaboli spiritus, qui eos eamdem ac similem semper malitiam docet.

Verum ne cui forte minus ad credendum videantur idonea ea quæ ex libris græcorum scriptorum exempla protulimus, quamvis græcus scriptor sit pro quo satisfacere videmur, tamen quoniam quodammodo in latinam linguam sermo devolutus est, et satisfieri etiam latinis hominibus pro his ex quibus calumniosis interpretationibus vulnerantur, magnopere poposcisti, non pigebit etiam latinis scriptoribus talia quædam accidisse monstrare, et calumnias immensas ex adulteratione librorum suorum sanctis et probatissimis viris esse commotas. Et ne quid apertæ credulitati desit, res quæ sunt adhuc memoriæ nostræ retexam, quo testimonii veritas neminem lateat.

Hilarius Pictaviensis episcopus confessor fidei Catholicæ fuit. Hic cum ad emendationem eorum qui Ariminensi perfidiæ suscripserant, libellum instructionis plenissimæ conscripsisset, cumque libellus ipse in manus inimicorum et malevolorum, ut quidam dicebant, corrupto notario, alii vero alia occasione narrabant, (quid interest) tamen cum in manus inimicorum ipso ignorante venisset, ita ab eis corruptus est, illo sancto viro nihil penitus sentiente, ut postea, cum ad concilium episcoporum, secundum ea quæ se in libello ipsius noverant corrupisse, hæreticum eum inimici arguere cœpissent, et ipse libelli sui fidem pro sui defensione flagitaret, de domo sua prolatus libellus talis inventus sit, quem ipse non agnosceret, faceret tamen eum excommunicatum de concilii conventione discedere. Verum quia viventi, et adhuc in corpore posito, res quamvis scelerata et inaudita contigerat, doli cogniti factio deprehensa, detecta scelerum machina potuit emen-

[1] 1 Cor. XII, 13.

dari. Adhibita enim curatio est assertionibus, satisfactionibus, et omnibus his quæ viventes pro se facere possunt. Nam mortui pati nihil refutant.

Sancti Cypriani martyris solet omne Epistolarum corpus in uno codice scribi. Huic corpori hæretici quidam qui in Spiritum sanctum blasphemant, Tertulliani libellum de Trinitate reprehensibiliter (quantum ad veritatem fidei nostræ pertinet) scriptum inferentes, et quamplurimos codices de talibus exemplariis conscribentes, per totam Constantinopolim urbem maximam distrahi pretio viliori fecerunt, ut exiguitate pretii homines illecti ignotos et latentes dolos facilius compararent, quo per hoc invenirent hæretici perfidiæ suæ fidem tanti viri auctoritate conquirere. Accidit tamen ut recenti adhuc facto quidam ex nostris fratribus Catholicis inventi admissi sceleris commenta retegerent, et ex parte aliqua, si quos possent, ab erroris hujus laqueis revocarent. Quamplurimis tamen in illis partibus sanctum martyrem Cyprianum hujus fidei, quæ a Tertulliano non recte scripta est, fuisse, persuasum est.

Adjiciam adhuc unius facti talis exemplum, quod memoriæ quidem recentioris est, (commissæ autem nequitiæ antiquum satis) et quod omnes veterum fabulas vincat.

Damasus episcopus, cum de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionem Ecclesiasticæ fidei, cui iidem editioni, si Ecclesiæ jungi velint, suscribere deberent, conscribendam mandavit amico suo cuidam presbytero viro disertissimo, qui hoc illi ex more negotium procurabat. Necessarium visum est dictanti in ipsa editione de Incarnatione Domini, hominem Dominicum dici. Offensi sunt in hoc sermone Apollinaristæ : novitatem sermonis incusare cœperunt. Adesse sibi cœpit qui dictaverat, et ex auctoritate veterum scriptorum catholicorum virorum confutare eos qui impugnabant. Decidit ut uni ex ipsis qui no-

vitatem sermonis causabantur, ostenderet in libello Athanasii episcopi scriptum esse sermonem de quo quæstio habebatur. Quasi suasus jam ille cui hoc probatum fuerat, rogavit dari sibi codicem, quo et aliis ignorantibus et contradicentibus satisfaceret. Accepto codice, inauditum excogitavit adulterationis genus. Locum ipsum in quo sermo iste scriptus erat, rasit, et ipsum sermonem rursum rescripsit quem raserat. Codex redditus simpliciter receptus est. Movetur iterum pro eodem sermone quæstio : ad probationem codex profertur; invenitur sermo de quo erat quæstio, ex litura in codice positus; fides proferenti talem codicem derogatur, eo quod litura illa corruptionis ac falsitatis videretur indicium. Sed quoniam (ut iterum eadem dicam) viventi hæc facta sunt a vivente, continuo egit omnia ut fraus commissi sceleris nudaretur, et nequitiæ macula non innocenti viro, qui nihil tale gesserat, adhæreret, sed in auctorem facti, atque in uberiorem ejus infamiam redundaret.

Si ergo et Origenes talia ab hæreticis et malevolis se esse perpessum in Epistola sua propria voce conqueritur, et multis aliis viris catholicis tam vivis quam mortuis eadem acciderunt, similesque fraudes scriptis quorumdam probantur illatæ, quæ tandem animi obstinatio est, in æquali causa non æquali uti venia; sed ex iisdem accidentibus aliis excusationis reverentiam, aliis criminationis infamiam intendere? Quin potius aperienda est hoc in loco veritas latens. Non enim possibile est tam iniquo judicio uti quemquam hominum, ut de causa æquali non æqualiter sentiat. Sed quod auctores obtrectatorum ejus ii sunt qui vel in Ecclesia disputare latius solent, vel etiam libros scribere, qui totum de Origene vel loquuntur vel scribunt, ne ergo plures ipsorum furta cognoscant, quæ utique, si ingrati in magistrum non essent, nequaquam criminosa viderentur, simpliciores quosque ab ejus lectione deterrent.

Denique quidam ex ipsis, qui se velut evangelizandi, necessitatem per omnes gentes et per omnes linguas habere putat de Origene male loquendi, sex millia librorum ejus se legisse, quamplurima fratrum multitudine audiente, confessus est. Qui si utique, ut ipse dicere solet, pro cognoscendis malis ejus legebat, sufficere poterant ei decem libri ad cognoscendum, aut viginti certe, vel utplurimum triginta. Sex millia autem libros legere, jam non velle cognoscere est, sed totam pene vitam suam disciplinis ejus et studiis dedere. Quomodo ergo merito iste audiendus est, cum eos culpat qui instructionis suæ causa perpauca ejus salva fidei regula, atque integra pietate legerunt?

Sufficiant hæc ad ostendendum qualiter de Origenis libris sentiendum sit. Et puto quod omnis qui non contentionis, sed veritatis studium gerit, facile his tam evidentibus assertionibus acquiescat. Quod si quis in contentione sua permanet, nos talem consuetudinem non habemus. Definitum enim est apud nos, siquando eum legimus, secundum sancti Apostoli commonitionem tenere quæ bona sunt[1]. Si quid autem inventum fuerit in his quod cum fide Catholica non consonat, hoc et ab hæreticis suspicamur insertum, et tam ab illius sensu, quam a nostra fide ducimus alienum. In quo etiam si fallimur, nihil, ut opinor, periculi hujuscemodi errore incurrimus. Nam et ipsi, Deo juvante, permanemus illæsi, vitando ea quæ suspecta habemus, et improbamus; et accusatores fratrum non inveniemur apud Deum, quia Diaboli proprium hoc opus esse dicitur accusandi fratres : unde et diabolus a criminando nomen accepit[2] : simul et maledicorum sententiam quæ a regno Dei separat eos qui tales sunt, declinamus[3].

[1] 1 Thess. v, 21. — [2] Apoc. xii, 20. — [3] 1 Cor. vi, 10.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 33.

Mulieres menstruatas ab altari secernunt cum sancto Dionysio plurimi a sanctis Patribus; jure, an immerito videat studiosus lector. Nobis autem quod innoxie ad corpus sanitatis causa spectat rebus spiritualibus impedimentum non afferre multo probabilius videtur. Non corporalis infirmitas Deo displicet, sed quod gratiam tollit peccatum.

Annot. (2), pag. 169.

Contentionis æstu actus videtur hic dixisse Archelaus, post trecentos et amplius annos a Christi morte Manetem emersisse : nam a Christi morte usque ad habitæ cum Manete disputationis tempus, anni circiter CCXLIX intercedunt.

Annot. (3), pag. 175.

Imaginariam Archelaus vocat legem, vetus Testamentum, quod typus esset et imago futuræ novæ legis : sic et Petrum de Vineis in Epistolis suis non semel, *imaginarium* hominem vocasse nuntium, seu legatum observat Cangius in Glossario, quod illum, a quo missus fuerat, repræsentet, et ejus velut imaginem referat. Utitur et hac voce Evagrii monachi vetus interpres in disputatione Teophili episcopi Alexandrini cum Simone Judæo, cap. 13, ubi sabbata *imaginariam* requiem vocat septimæ illius diei, in qua Deum, mundi creatione absoluta, requievisse pagina sacra testatur. Quare Archelaus in responsione ad Diodorum presbyterum totus est in demonstrando, non esse rejiciendum vetus Testamentum, quia tanquam speculum veram nobis exprimit novæ legis imaginem.

Annot. (4), pag. 177.

Quod enim hic de Angelis cum fœminis concumbentibus tradit Archelaus, jam usque à Philonis Hebræi, et Josephi temporibus, Judæorum opinio est, quam etiam sequuntur Tertullianus, Justinus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Methodius, Cyprianus, Lactantius, ut late probat Pamelius in Tertulliani Para-

doxo 1, et Fevardentius in notis ad Irenæum ejusdem opinionis asseclam, lib. 4, cap. 70. Horum tamen Patrum nonnulli bonos a malis Angelis deceptos, nonnulli malos Angelos cum hominum filiabus commixtos fuisse credidere; sed utramque opinionem communi calculo rejiciunt alii Patres, et recentiores omnes sacræ Scripturæ interpretes, quorum catalogum texere: cum res vulgatissima sit, prætermittimus.

Annot. (5), pag. 178.

Archelaus hic veterum quorumdam Patrum sententiam amplectitur, qui solum Deum incorporeum; reliqua vero creata omnia corporea esse putarunt, quod nempe loco circumscripta, in se ipsis subsisterent; licet nostri respectu, qui crassa et densa corpora habemus, incorporeos dici putarent. Vide Dionysium Petavium, tomo tertio theologicorum Dogmatum, lib. 1, cap. 2 et sequentibus, ubi latissime omnium Patrum ea de re sententias expendit.

Annot. (6), pag. 192.

Sensus esse videtur solius regis, perfecti, videlicet, illius qui expectatur, opus esse hominum ignorantiam, ut antea dixit, penitus destruere, quod non præstiterat Manes.

Annot. (7), pag. 224.

Locus notandus de hierarchiæ ecclesiasticæ ordine ab Apostolis instituto. Episcopos autem, presbyteros et ministros tantum nominat Archelaus, quod ministrorum, hoc est, diaconorum nomine omnes infra presbyteratum ordines antiquissimi Patres comprehendere consueverint : ita Clemens Alexandrinus, lib. 6 Stromatum. Tertullianus, de Baptismo, cap. 17. Origenes, homil. 2, in Jerem. et in Matthæi, cap. 19, et alibi passim.

Annot. (8), pag. 228.

Vides ut arcani disciplinam in occultandis fidei mysteriis olim custodierint Christiani, et quanto curaverint studio ne sacrosanctæ Legis libri ad Gentilium manus pervenirent, etiam antequam Diocletiani persecutio exorta esset, ac traditionis periculum immineret. Præterea hinc apparet, non ubique; sed certis quibusdam in locis Christianorum libros vendi consuevisse.

Annot. (9), pag. 230.

Etsi Basilidem, qui paulo post Apostolorum tempora hæresim docuit, Alexandrinum fuisse, et in Ægypto scholas erroris aperuisse testetur Eusebius, lib. 4 Hist. Ecclesiast., cap. 7; nihilominus, qui ab Archelao memoratur, idem ac Basilides Alexandrinus esse videtur, licet apud Persas hæresim prædicasse dicat. Fieri enim potest, ut Basilides Alexandria digressus, Persas quoque hæreticis dogmatibus inficere tentasset. Sane Basilidis Persæ nulla, quod sciam, apud veteres mentio. Scripsit autem Basilides Alexandrinus libros 24 in Evangelium, eodem Eusebio teste, qui non alii esse videntur a tractatuum libris, quos laudat Archelaus, et ab exegeticis illis, ex quorum libro 23, quædam loca refert Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 4. An autem Evangelium illud, in quod Basilides scripsit, Apostolorum esset, an aliud, quod suo marte confinxit, cujus meminit Origines Hom. 1 in Lucam, Hieronymus in prologo suorum Comm. in Matthæum, et Ambrosius in prologo in Evangelium Lucæ, non satis liquido constat.

Annot. (8 *bis*), pag. 265.

Hoc ait Arnobius, nos infirmitate humana peccare; nec voluntatis, sed judicationis electione; quia revera nolumus malum nec eligimus; sed id bonum judicamus naturali cæcitate, quod tamen reapse malum est, quæ fuit nonnullorum sententia, quam confutat Aristoteles lib. Nicomacheor. 3, et falsissimum sane est, nos peccare non voluntatis electione, sed sola judicii cæcitate : quam sententiam e Platonicorum schola hauserat Arnobius in doctrina Christiana nondum satis tritus. Lactantius, lib. 5, cap. 14. Hanc autem sententiam defendit acerrime Arrianus dissert. Epicteti locis compluribus, et præcipue lib. 1, cap. 27. Totum enim caput in hoc argumento occupatur.

Annot. (9 *bis*), pag. 288.

Longissimi temporis, id est, æterni. Non negat æternum, qui longissimum declarat : nihil æternitate longius.

Annot. (10), pag. 301.

Longævas, id est, æternas, ut catholica inveniatur propositio.

Annot. (11), pag. 316.

Hæret Arnobius in disputatione de natura mali, nec se extri-

care difficili in quæstione satis liquide potest. Dupliciter appellatur malum in sacris Litteris, nimirum : *malum culpæ et pœnæ malum.* Primi istius auctor est Diabolus, secundi Deus. August. contra Adamantium Manich. cap. 46, et de Lib. Arb., lib. 1, cap. 10. Chrysologus, serm. 9. Lactantius, lib. 4, cap. 6. Gennadius, de Ecclesiastic. dogmat., cap. 57.

Annot. (12), Ibid.

Hæc pertinent ad mala pœnæ ; de quibus etsi nemo dubitare poterat, quin a Deo lenissimo patre piis provenirent ad eorum emendationem et castigationem : impiis autem infligerentur, sicque eorum peccata a justissimo Judice punirentur; ecce tamen in re tam clara, totque Scripturæ testimoniis comprobata, caligat Arnobius, et in hæreticorum illius ævi nonnullorum errore versatur.

Annot. (13), pag. 317.

In tota hac disputatione Christianorum leges et dogmata non satis callere videtur Arnobius. Cum enim prima sit et universalis omnium causa Deus, αἴτιος των ὄντων, ab ipso pendent res omnes, et sub ea causa continentur. Si vero quædam ab eo proficiscantur quæ mala existimentur, malum illud ab eo non provenit, quamvis arcana voluntate et beneplaciti hæc fieri permittat.

Annot. (14), pag. 329.

Numerus ille falsus est et erroneus; credendum est Arnobium dixisse *trecentos*, et vocem *quadringentos*, per aberrationem fuisse hic introductum.

Annot. (15), pag. 371.

Hunc locum, ut et pleraque alia hujus libri, (quemadmodum suis locis indicabimus) desumpsit auctor noster, tum ex Cicerone, de Nat. deorum, tum etiam ex Clementis Alex. Protreptico ad Gentes, et hos ipsos auctores videtur innuere, cum paulo ante dixit : « Quam quidem olim partem judicii acres viri, atque in-
» genio perspicaci, tam sermone italico explicuere quam græco,
» et dare nobis compendium res ista potuisset, si non et aliquos
» videremus, litterarum esse istarum rudes, et institutus a nobis
» sermo, nos quoque compelleret, nonnihil de rebus, quamvis ab
» illis sumptum commemoratumque depromere. » Hunc itaque lo-

cum mutuatus est Arnobius noster a Cicerone, in 3. de Nat. deor., ejus verba hæc sunt : « Principio Joves tres numerant ii qui theo» logi nominantur, etc. » Hujus rei etiam Clemens sed brevius hoc modo meminit : *αυτίκα γοῦν εἰσιν οἱ τρεις τοὺς ζῆνας αναγράφουσι.*

Annot. (16), pag. 383.

Hunc Messenium facit Lactantius lib. 1, c. 11, ut et Plutarchus de Iside et Osiride; cur vero hic Acragantius dicatur, aut ibi Messenius non ita facile est dicere. Scripsit autem Euhemerus Jovis res gestas, et aliorum qui vulgo dii habebantur. De hoc mentionem fecit Tullius, lib. 1, de Nat. deorum. Plutarch., de Plac. phil. Clemens Alexander in Protrept. Josephus 1. contra Appionem. Augustinus, lib. 6 et 7 de Civ. Dei. Eusebius, cap. 4, lib. 11, de Præp., et alii.

Annot. (17), pag. 387.

Quindecim viri Sibyllinorum librorum custodes : qui etsi tandem sexaginta fuerint, remansit tamen in his quindecim vocabulum, ut observat Servius; *laureati* autem, quia cum ludos varie coronati spectarent, sane quindecimviros qui sibyllinas sortes tractabant, lauro coronari erat æquissimum.

Annot. (18), pag. 425.

Non damnat hic Arnobius simulacrorum usum, sed insurgit tantum contra falsam paganorum opinionem qui credebant divinitatem habere formam quæ posset materia repræsentari. Sequentia similiter sunt accipienda.

Annot. (19), pag. 426.

Notandum verbum *honoramus*. Ethnici templis honorari deos existimabant, quasi locis consecratis : Christiani contra dicebant, honores istos Deo non esse tribuendos, neque divinitatem quasi septis quibusdam continendam. Loca item constituenda, non quibus divinitas concludi existimetur, sed in quibus Deus oretur, et religionis officia celebrentur. Quare conventicula, ecclesias, oratoria, *προσευκτήρια,* ab usu et fine ea loca appellabant.

Annot. (20), pag. 446.

Lucianus initio de sacrificiis, stultissimos mortales pronuntiat, quod diis offerant sacrificia. Vetus poëta apud Porphyrium *περι αποχῆς ἐμψυχων* lib. 11.

Annot. (21), pag. 467.

Damnatur incensi usus juxta paganorum placitum, qui credebant deos ejus odore delectari; non autem eo sensu quod Deo mentis piæ affectionem declaret. Abusus, non usus est rejiciendus. Idem infra de vino, sertis et coronis dicendum.

Annot. (22), pag. 530.

Hæc exhibet imperator Justinianus ad calcem Epistolæ ad Menam : et Hieronymus, Epistola 94, ad Avitum : id etiam crimini vertit Origeni quod dixerit « Filium quoque minorem » Patre, eo quod secundus ab illo sit, et Spiritum sanctum in- » feriorem Filio in sanctis quibusque versari : atque hoc or- » dine majorem Patris fortitudinem esse quam Filii et Spiritus » sancti; et rursnm majorem Filii fortitudinem esse quam Spi- » ritus sancti : et consequenter ipsius sancti Spiritus majorem » esse virtutem cæteris quæ sancta dicuntur. » Hæc Rufinus quibusdam detractis, quibusdam additis emollivit; ac forte inde est quod Hieronymus lib. 2 et 3 adversus Rufinum contenderit vel Didymum, vel ipsummet Rufinum, vel alium nescio quem tam græce quam latine in bonam partem plerasque de Filio et Spiritu sancto blasphemias commutasse quæ in græco hujus Apologiæ contextu comparebant; quod in interpretatione librorum περι Ἀρχῶν, unde locus hic eruitur, fecisse Rufinus ipse evincitur. Vide Origenianor. lib. 2, quæst. 2, num 27 et 28.

Annot. (23), pag. 533.

Eadem fere reperiuntur lib. 1 de Principiis, cap. 3, num. 4, ubi hæc apponuntur ex Epistola Justiniani imperatoris ad Menam patriarcham Constantinopolitanum. « Dicebat autem et Hebræus » magister, quod duo illa Seraphim quæ in Isaia senis alis des- » cribuntur clamantia ad invicem et dicentia : *Sanctus, Sanc-* » *tus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth :* de unigenito Filio Dei, » et Spiritu sancto essent intelligenda. Nos vero putamus etiam » illud quod in cantico Habacuc dictum est, *In medio* vel *duorum* » *animalium,* vel *duarum vitarum cognosceris,* de Christo et de » Spiritu sancto sentiri debere. » Hæc autem Origenis interpretatio ita Hieronymo stomachum movit, ut impiam illam et detestandam appellet lib. 3 in Isaiam, et Epist. 41 al. 65 ad Pammachium et Oceanum. Sed vide quo pacto excusetur Origenianor. lib. 2, quæst. 2, num. 26.

INDEX

TOMI DECIMI QUINTI.

S. DIONYSIUS ALEXANDRINUS.

Pag.

S. DIONYSIUS ALEXANDRINUS, Episcopus et Confessor. Græcus. (anno 264.) 3

EPISTOLÆ.

EPISTOLA I. De persecutione Decii. 7

EPISTOLA II. Ad Novatianum. anno 251. — De schismate. 9

EPISTOLA III. Ad Fabium, episcopum Antiochiæ. an. 251.—De persecutione Decii. 9

EPISTOLA IV. Ad eumdem. eodem anno. — De eadem persecutione. 16

EPISTOLA V. Ad fratres. anno 253. —De solemnitate paschali et peste. 17

EPISTOLA VI. Ad sanctum Stephanum. anno 256. — De pace Ecclesiæ reddita. 19

EPISTOLA VII. Ad sanctum Xystum. anno 257. — De baptismo. 20

EPISTOLA VIII. Ad eumdem. anno 258. — De impio hæreticorum baptismo. 21

EPISTOLA IX. Ad Dionysium Romanum. anno 257. — De hæresi Novati. 22

EPISTOLA X. Ad Philemonem, Romanum presbyterum. anno 258. — De sancti Dionysii visione. 23

EPISTOLA XI. Contra Germani calumnias. anno 259. 24

EPISTOLA XII. Ad Domitium et Didymum. eodem anno.—De persecutione Decii. 28

EPISTOLA XIII. Ad Basilidem. eodem anno. — De pluribus disciplinæ regulis. 30

EPISTOLA XIV. Ad Hieracem, Ægyptium episcopum. anno 262. — De lugendo statu Alexandrinæ civitatis. 34

LIBRI DOGMATICI.

FRAGMENTUM LIBRI DE PROMISSIONIBUS, contra Nepotem anno 254. 36

S. GREGORIUS THAUMATURGUS.

Pag.

S. GREGORIUS THAUMATURGUS, seu neocæsariensis. (circa annum 270.) Græcus. 47

EXPOSITIO FIDEI,

Quam per revelationem a beato Joanne evangelista, mediante Dei genitrice Maria virgine, accepit. 55

EPISTOLA CANONICA,

De iis qui in barbarorum incursione idolothyta comederunt, et alia quædam peccata commiserunt. 56

Canon primus. *idem.*

Canon secundus. 57

Canon tertius. 58

Canon quartus. *id.*

Canon quintus. 59

Canon sextus. *id.*

Canon septimus. *id.*

Canon octavus. *id.*

Canon nonus. 60

Canon decimus. *id.*

Canon undecimus. *id.*

METAPHRASIS IN ECCLESIASTEN.

Caput primum. 61

Caput II. 63

Caput III. 66

Caput IV. 68

Caput V. 71

Caput VI. 73

Caput VII. 74

Caput VIII. 77

Caput IX. 79

Caput X. 82

Caput XI. 84

Caput XII. 85

IN ORIGENEM ORATIO,

Quam Cæsareæ Palæstineæ, post multorum annorum apud illum disciplinam, dixit, cum in patriam reditum pararet. 88

SANCTUS ARCHELAUS.

Pag.

S. Archelaus, cascharorum episcopus. Syriacus. (circa annnm 277.) 125

ACTA DISPUTATIONIS

Archelai, episcopi mesopotamiæ, et manetis hæresiarchæ. 127

Manichæus, Apostolus Jesu Christi, Marcello filio charissimo. 132

Marcellus, Manichæo. 133

Diodorus, Archelao episcopo 194

Archelaus, Diodoro presbytero. 198

ARNOBIUS.

Arnobius. Latinus. (circa annum 264.) 235

DISPUTATIONES ADVERSUS GENTES.

Liber primus. 237

Liber secundus. 278

Liber tertius. 336

Liber quartus. 363

Liber quintus. 390

Liber sextus. 425

Liber septimus. 446

SANCTUS PAMPHILUS.

S. Pamphilus, Presbyter et Martyr. Græcus. (Anno 309.) 493

In apologeticun pro Origene Rufini præfatio ad Macharium. 497

APOLOGIA PRO ORIGENE.

Præfatio ad Confessores ad metalla Palæstinæ damnatos. 499

Caput I. Catalogus Ecclesiasticæ prædicationis. 507

Caput II. De Deo Patre omnipotente. 518

Caput III. De Deitate Filii Dei. 521

Caput IV. De Spiritu sancto. In libro secundo. 527

Responsio ad quartam criminationem.—Adversum eos qui dicunt eum per allegorias adimere omnia quæ a Salvatore scripta sunt corporaliter facta. 546

Responsio ad quintam criminationem.—Quod unus est Christus Filius Dei. Ex primo libro de Esaia. 549

Pag.

Caput V. De Incarnatione Verbi Dei. 534

Responsio ad primam criminationem. — Quod ex Deo Patre natus est Filius, et unius est cum Patre substantiæ; alienus vero substantiis creaturarum. Ex primo libro Epistolæ ad Romanos. 539

Responsio ad secundam criminationem. — Quod non per prolationem natum dicat esse Filium Dei secundum Valentini impietatem. 542

Responsio ad tertiam criminationem. — Quod non purus homo, sed divinæ naturæ sit Christus. De primo libro Epistolæ ad Galatas. 544

Caput VI. Responsio ad sextam criminationem. — Quid ea quæ in Scripturis referuntur, etiam secundum litteram gesta sint. 552

Caput. VII. Prima responsio ad septimam criminationem. Quomodo sentiebat de Resurrectione. 555

Caput VIII. Altera Responsio ad septimam criminationem. — De pœnis peccatorum. Ex libro secundo περὶ Ἀρχῶν. 564

Caput IX. Responsio ad octavam criminationem. — De anima. 568

Caput X. Responsio ad nonam criminationem. —De transmutatione animarum. 573

RUFINI EPILOGUS IN APOLOGETICUM

AD MACHARIUM;

Seu liber de adulteratione librorum Origenis. 579

De adulteratione vel corruptione librorum suorum ex libro Epistolarum Origenis quarto. Epistolæ scriptæ ad quosdam charos suos Alexandriam. 583

ANNOTATIONES. 591

EXPLICIT INDEX.